



BX3701
.M8L94
v. 1

✓
MONUMENTA HISTORICA SOCIETATIS JESU
A PATRIBUS EJUSDEM SOCIETATIS EDITA

VOL. 63



MONUMENTA IGNATIANA

MONUMENTA IGNATIANA

EX AUTOGRAPHIS VEL EX ANTIQUIORIBUS EXEMPLIS

COLLECTA

SERIES TERTIA

SANCTI IGNATII DE LOYOLA

CONSTITUTIONES SOCIETATIS JESU

TOMUS PRIMUS

MONUMENTA CONSTITUTIONUM

PRAEVIA



ROMA (113)
BORGOS. SPIRITO, 5

1934

Printed in Italy

APPROBATIONES HUJUS OPERIS

IMPRIMI POTEST

Romae 25 Februarii 1934

RAPHAËL BITETTI S. J.
Praep. Prov. Romanae

IMPRIMATUR

Romae 24 Mart. 1934

JOSEPHUS PALIC, A.
Archiep. Philippen. Vic. Ger.

ANNO · M · DCCCC · XXXIII

SACRVM

SANCTISSIMO · CORDI

IESV · CHRISTI · REDEMPTORIS

NOSTRIS · PECCATIS

ANTE · ANNOS · MILLE · NONGENTOS

VVLNERATO

PROOEMIUM TOTIUS OPERIS

Praemittimus nonnulla, quae aut totius operis materiam, rationem, modum et usum, aut utrumque Constitutionum textum, latinum et hispanum, respiciunt. Postremo brevem notitiam addimus auctorum quorumdam, qui de Constitutionibus tractarunt.

ARTICULUS I DE CONSTITUTIONIBUS IN UNIVERSUM

Quoniam Constitutionum nomen saepissime nobis in hoc opere adhibendum est, et in nostris antiquis monumentis atque in diplomatis apostolicis passim usurpatum, neque semper una eademque res eo nomine intelligitur; quoniam praeterea in aliis religiosis ordinibus saepe accidit, ut capitulorum generalium statuta aut constitutionibus inserantur aut etiam constitutiones nominentur: claritas et ordo rerum postulat, ut eas Constitutiones, quas in hujus operis inscriptione a S. Ignatio de Loyola conscriptas dicimus, a caeteris rebus cum iisdem connexis distinguamus.

Summorum quidem pontificum diplomata, pro Societate Jesu data, e quibus praesertim jus Societatis colligitur, primum dignitatis auctoritatisque gradum obtinent; sed illa diplomata non sunt Constitutiones quas Ignatius confecit. Neque Constitutiones ab Ignatio conscriptae vocantur nec sunt, regulae illae quas in opere *Institutum Societatis Jesu* vol. III, legimus: summarium Constitutionum, regulae communes, regulae provincialium, regulae rectoris et hujusmodi plura¹.

In opere eodem, *Institutum Societatis Jesu*, congrega-

¹ Brockie in Observatione critica, quam praemittit regulis Societatis Jesu in opere *Codex Regularum auctoris Lucae Holstenii*, III, 121, confundit ha regulas cum Constitutionibus, quod opus omnino diversum est, ac re ver editum in domo romana Societatis Jesu anno 1558-1559.

tionum generalium decreta invenies; quae etsi plerumque leges merito appellari possunt, quippe quae ut leges ferri solent²; attamen neque Constitutiones sunt, neque Constitutionum nomine donantur, neque unquam apud nos Constitutionibus adjunguntur.

Nomine itaque Constitutionum intelligimus primo ea omnia quae nostris voluminibus secundo et tertio sub quatuor titulis continentur: Examen, Declarationes in Examen, Constitutiones, Declarationes in Constitutiones. Ac ne e nostro penu unum rebus quatuor commune nomen hausisse videamur; primae editioni Constitutionum, annis 1558-1559 in aedibus Societatis concinnatae, submonitio haec ad lectorem praemissa est: «Illiud autem, pie lector, intelligas oportet; quanuis tractatum et nomen diuersum Examinis, Constitutionum et Declarationum legas; tamen Constitutionum nomine omnia, quia vim eamdem et authoritatem habent, censeri». Similiter loquitur congregatio prima generalis Societatis Jesu, quae sub titulo II «De his quae pertinent ad Constitutiones circa res ipsas», et in titulo III «De his quae pertinent ad Constitutiones circa verba» locos etiam Declarationum et Examinis enumera^t et expendit³. Qui loquendi modus (quod ad Declarationes Constitutionum pertinet) in ipsis Declarationibus radicem habet; prima siquidem declaratio capituli primi partis sextae sic habet: «Estas Declarationes prime ras que con las Constitutiones se publican, tienen la misma fuerza que las Constitutiones» caet.⁴ Atque in monumento 35 hujus voluminis, et quidem veluti praemonitionem Declarationum Examinis, haec multo clariora legimus: «Primeramente se entienda que todas las Declarationes, que son hechas para más eluçidar y declarar todas quantas Constitutiones y reglas se hallaren en esta Compañía de Jesú nuestro Criador y Señor, son assímismo Constitutiones, teniendo las unas y las otras vnas mismas fuerças y peso, en el Señor nuestro»⁵. Hanc itaque

² Congregatio 27, decr. 3, § 2. Haec congregatio habita est anno 1923; itaque illius decreta non sunt in editione *Instituti* qua utimur; utimur autem ultima, quae est florentina 1892-1893.

³ *Institutum*, II, 161 et 168.

⁴ In cod. B seu *Autographo*, f. 129.

⁵ Infra, p. 249. Hoc loco conjunguntur *Constitutiones y reglas*; unde con cludes, eo tempore aut nondum definitum fuisse inter utrasque discriminem, aut ex mente legislatoris homines Societatis Jesu eodem modo utrisque obligari.

primariam latioremque significationem obtinet vox Constitutiones in ipsa hujus operis inscriptione.

Quae quamquam ita sint, nosque illa etiam omnia uno Constitutionum nomine designemus; secundo tamen Constitutiones ab Examine et Declarationibus saepe distinguere oportebit, non solum quia nonnulli fuerunt, qui auctorem Constitutionum Ignatium affirmarent, Declarationum negarent; sed maxime quia Examen et Declarationes partes ejusmodi sunt, quae singularem tractatum et attentionem mereantur.

Trium vero distributio est hujusmodi. Examen non in partes, sed in capita octo divisum est; Constitutiones vero partibus decem, singulae partes compluribus capitibus constant, praeter decimam, quae sine capitibus in paragraphos distribuitur. Capita tam Examinis quam Constitutionum in paragraphos, suis quasi numeris distinctas, solvuntur. Hinc est quod Examinis et partis decimae Constitutionum loci signis duobus, Constitutionum vero reliquarum tribus designantur: *Examen II, 4* est Examinis paragraphus quarta capitinis secundi; *Const. IV, 6, 5* est paragraphus quinta capitinis sexti partis quartae Constitutionum.

Declarationes omnibus fere capitibus cum Examinis tum Constitutionum apponuntur; ad eas vero indicandas sufficiet plerumque etiam duplex signum in Examine, triplex in Constitutionibus: *Examen IV, C* est declaratio C (singulis enim litteris singulae Declarationes designantur) capitinis quarti Examinis; *Const. VII, 2, L* est declaratio L capitinis secundi septimae partis Constitutionum.

Ac de Examine et Declarationibus paulo post sejunctim dicemus; hic Constitutionum conspectum damus (proposito singularum partium argumento), qualis in ipso Constitutionum prooemio, declaratione A, exhibetur:

«Prima de iis admittendis ad probationem agit, qui nostrum sequi Institutum expetunt.

Secunda, de iis dimittendis, qui ad illud non esse idonei videbuntur.

Tertia, de iis, qui retinebuntur, conservandis, et in spiritu ac virtute promovendis.

Quarta, de iis instituendis in litteris et aliis mediis proximos iuvandi, qui in spiritu et virtute in seipsis profecerint.

Quinta, de cooptandis in corpus Societatis iis, qui sic fuerint instituti.

Sexta, de iis quae in seipsis observare debent, qui in hoc corpus iam cooptati sunt.

Septima, de iis quae observanda sunt erga proximos, distribuendo scilicet operarios, et eos in Christi Domini nostri vinea occupando.

Octava, de iis quae faciunt ad mutuam et cum suo capite unionem eorum, qui distributi sunt.

Nona, de iis quae ad caput pertinent, et ad gubernationem, quae ab eo ad corpus descendit.

Decima, de iis quae universaliter ad conservationem et augmentum totius corporis huius Societatis in bono suo statu pertinent».

Haec erat secunda nominis Constitutionum significatio, quatenus Constitutiones ab Examine et Declarationibus distinguuntur.

Tertia de nominis significatione observatio simplicissima quidem, nec tamen inutilis est, nomen Constitutionum usurpari plerumque numero plurali, significans totum integrumque opus ignatianum, quod nunc in lucem edimus; interdum vero, cum a S. Ignatio tum ab aliis auctoribus atque adeo a nobismetipsis, adhiberi numero singulari, ad indicandum constitutionem unam sive statutum aliquod singulare, cum dicitur v. g. constitutionem aliquam transiisse in Declarationes. Proinde huic numero singulari respondet etiam numerus multitudinis, significatione diversa ab illa prima generali quam diximus; hac ratione memoramus v. c. Constitutiones de universitatibus, de paupertate, de missionibus.

Postremo quoniam regularum et Summarii cuiusdam Constitutionum mentio saepe incidit; Summarium Constitutionum est id quod ipso nomine significatur, extractum ex Examine (praesertim capite quarto) et ex variis Constitutionum partibus (praesertim tertia), eo fine qui in plena Summarii ipsius inscriptione clare proponitur: «Summarium Constitutionum quae ad spiritualem nostrorum institutionem pertinent et ab omnibus observandae sunt». Retinet ergo Summarium naturam illam Constitutionum propriam, quae in eo est ut generalia principia seu normas agendi potius indicent, quam ut singularia praeci-

piant, id quod magis ad regulas (prout hae nunc inter nos intelliguntur) pertinet.

Itaque regulae non solum sunt quaedam omnibus communis, sed etiam cujusque generis personarum et officiorum singularum propriae, v. g. sacerdotum, scholasticorum, caet., rectoris, praefecti studiorum, janitoris, aliae. Qui sensus nominis regularum (numero plurali) valde ab illo differt, quo vox eadem numero singulari gaudet quando v. g. Paulus III et Julius III regulam vocant formulam ipsam primam instituti Societatis Jesu, quam approbant⁶; aut S. Franciscus Xaverius scribit: «agora que es confirmada nuestra regla»⁷; regula enim hoc sensu multo magis, quam Constitutiones ipsae, summa principia, pauciora numero, universaliora sensu, complectitur.

Intendimus ergo hac nostra editione in publicam lucem proferre Examen et ejus Declarationes, Constitutiones et earum Declarationes. Neque solum textum illum latinum, qui, auctoritate publica Societatis Jesu approbatus, solus vim legis obtinet (textus est typis expressus anno 1583, v. infra, a. 3, § 1), sed etiam discrimina omnia inter hanc et editiones tres, quae praecesserant, et novem quae secutae sunt; imo conati sumus e textibus manuscriptis latinis, unde textus impressus desumptus est, differentias illas omnes colligere (praeter merum scribendi discrimen et apertos calami prelive errores) quae sive ad translatoris auctorisve mentem, sive ad sententiae progressum mutationemve perspiciendam, alicujus momenti, morosis etiam hominibus, videri possint.

Quod si hoc in latino textu praestitimus, multo diligentius in hispano praestandum fuit. Itaque ipsa editione textuum hispanorum constabit, quale ab initio fuerit Examen, quales Constitutiones, quales Declarationes, quid ab unis in alteras transferit; utrum textus primus hispanus ab ultimo, ultimus hispanus a primo latino multum an parum discrepet; atque, id quod inde sequitur, utrum prima congregatio generalis Societatis, coacta anno 1558, biennio post S. Ignatii mortem, textum Constitutionum ratum fixumque edicens, multis an paucis, an nulla re mutaverit.

⁶ «Voueant singuli se in omnibus, quae ad Regulae huius nostrae observationem faciunt, obedientes fore Societatis Praeposito», *infra*, pp. 28, 378.

⁷ *Monum. Xaver.* I, 245.

Et quoniam de mutationibus in textum Constitutionum inductis (aliquas enim induxit congregatio prima, ut jam patet) agimus; probe intelligendum est illud quod auctores quidam aiunt vel scribunt, nullam congregationem generalem Societatis Jesu inventam esse, sperandumque fore ut nulla inveniatur in posterum, quae textum a S. Ignatio nobis traditum attingere audeat⁸. Nempe non ita intelligendum hoc est, ut res omnes et singulæ, etiam minutissimæ quaeque, ejusdem ponderis sint atque ita immutabiles habendæ, ut omni tempore ac loco custodiendæ putentur; nam congregatio secunda v. g. mutavit formulam scribendi, quae est in Const. VIII, 1, L, M, N⁹; sed ita ut intellexit congregatio tertia: «Cum quidam ex Patribus, inquit, proposuissent: utrum Constitutiones, quae ratione temporum, vel alias ob causas in praxi non sunt, expungendæ essent; responsum est: nulla ratione id faciendum esse; sed potius oportere, ut omnes inviolatae permaneant, ut quales a sanctæ mem. R. P. N. Ignatio acceptæ sunt, tales identidem ad posteros transmittantur: notandum tamen esse aliqua ratione, quod non observandum esse Congregatio iudicaret»¹⁰.

Voluit nempe, imo pergit velle Societas ut textus ille, quem tanto labore S. P. Ignatius confecit, immutatus permaneat, ut omni tempore cognosci possit, quales ex illius mente manibusque Societatis leges prodierint; intellexit tamen semper Societas et intelligere porro pergit, Constitutiones aliquas temporum mutationibus obnoxias esse, quae proinde non solum sine detimento, sed etiam cum foenore cessare mutarive possint vel debeant; mutationes autem hujusmodi, non in ipso Constitutionum textu, sed in decretis congregationum generalium constare debere. Quaenam illæ futurae sint, non privatorum, ne ipsius quidem praepositi supremi, sed congregationis generalis proprium est definire, quae sola leges condere et abrogare potest.

Hinc intelligent lectores nostri, etiam externi, quare in hujus operis partibus quibusdam, maxime ubi textus Constitutionum ejusve translatio attinguntur, congregationis generalis frequenter mentio fiat. Congregationes autem generales appellamus eo

⁸ LA TORRE, *Matr.* p. VIII.

⁹ *Institutum*, II, pp. 198, 202, 205, decr. 16, 31, 54.

¹⁰ Ib., decr. 23, p. 224.

coetus, qui, in multis ordinibus religiosis saepissime, in nostris monumentis et in ipsis Constitutionibus interdum, capitula generalia vocantur. De congregatione generali agunt *Const. VIII*, cc. 2-7.

De Constitutionibus in universum haec dicta sufficient. Antequam vero ad res quasdam singulares accedimus, prae-monendus est etiam lector regulas quasdam fuisse a tempore S. Ignatii, quae aut pro Constitutionibus, aut pro Constitutionum prodromis haberi possint, quas proinde in hac nostra editione, et quidem in primo volumine (de quo paulo post) aliqui forte desiderabunt. Poterant quidem hujusmodi regulae eo loci exhiberi. Quoniam vero regulae non modo genus quoddam, ut supra diximus, a Constitutionibus diversum efficiunt, sed etiam separatim ab illis in Societate Jesu evolutae sunt, satius duximus eas etiam a Constitutionibus in unum corpus diversum colligere, quod quasi complementum editionis Constitutionum suo tempore in lucem prodibit.

ARTICULUS II

DE EXAMINE ET DECLARATIONIBUS

Examen et Declarationes res duae sunt quas hac ratione propositas in aliorum ordinum Constitutionibus non invenimus¹. Ideo necessarium ducimus earum indolem lectoribus, breviter quidem, hic exponere.

§ 1. De Examine

Aliquem examinis modum omnes cuiuscumque religiosi ordinis candidatos subire debere, perspicuum est; nullus enim civilis hominum coetus, nedum religiosus, hominem prorsus igno-

¹ Constitutiones Ordinis Praedicatorum v. g. dividuntur in binas distinctiones, singulæ distinctiones in capitula. His vero capitulis adjunctæ sunt declarationes, natura et origine tamen a nostris omnino diversæ; percurrent enim illæ praemissi capitulo textus eosque fusius explicant, allatis saepe vel indicatis capitulo generalium decretis etc.; unde etiam accidit, ut declaratio multo longior quam capitulo esse soleat. Ita v. g. in editione parisina anni 1872 capitulo primum distinctionis primæ absolvitur una pagina (pp. 34-35); declarationes protenduntur a pag. 36 ad 68. Est nova editio parisina anni 1886.

tum recipit. Unde locus aliquis est in omnium ordinum constitutionibus, qui examen appellari posset. Ille autem locus esse solet examen passivum, si ita loqui fas est, quatenus candidatus ipse ab ordine ejusve delegatis examinatur; examen activum, quo candidatus ordinem examinabit, ex ipsis constitutio-nibus constabit, quae candidato considerandae tradentur.

Examen autem nostrum est simul activum et passivum; est enim libellus a proprii nominis Constitutionibus distinctus et separatus, cuius ope et candidatus Societatem Jesu, et So-cietas Jesu candidatum cognoscere satagit. Itaque capite primo declaratur ipsum Societatis institutum et varietas personarum, quae in ipsa sunt; in quarto res, quas praecipue scire et obser-vare eos convenit, qui in Societatem admittuntur. Haec duo capita proxime declarant candidato qualis sit Societas, quam ingredi optat. Secundum et tertium, interrogationibus quibus-dam propositis, qualis sit candidatus exquirunt. Et haec qua-tuor capita sunt Examen generale, cujuscumque generis candi-datis conveniens. Cum autem (id quod jam in primi capitinis in-scriptione profertur) varia genera personarum in Societate sint, non solum novitii et professi ut in omnibus religiosis ordini-bus, adduntur capita quintum, sextum, septimum et octavum, his personarum generibus magis accommodata.

In his autem capitibus, atque etiam in quarto (multo ma-gis quam in primo) ita temperatur examen activum et passi-vum, itaque pari fere passu utrumque progreditur, ut dum can-didato Societas, vicissim Societati candidatus magis inno-tescat. Ita e. c. in capite quarto, dum candidatus res sibi obser-vandas examinat, interrogatur pariter «an omnino obedientem se exhibere in omnibus, quae hic dicta et declarata sunt velit» (n. 33); et paulo ante finem ter: «Igitur interrogentur an hujus-modi desideria tam salutaria... in se sentiant» (n. 44); «Interro-getur, an certe desiderium in se sentiat hujusmodi desideria sen-tiendi» et «quo melius ad eorum [desideriorum] effectum per-veniatur, interrogetur, an decreverit paratusque sit hujusmodi injurias... admittere, et patienter cum Dei gratia ferre» (n. 45)².

Haec de Examine sufficient.

² Amabat S. Ignatius hujusmodi examina; ita in *Const.* IV, 3, B ad finem, vult ut aliquod examen fiat, ad eos examinandos, qui in collegia

§ 2. De Declarationibus

Indolem Declarationum Ignatius Pater his verbis optime declarat: «quae [Declarationes] cum non minoris sint auctoritatis quam reliquae Constitutiones, magis descendendo ad particularia, eos, qui reliquis praesunt, de rebus quibusdam possint edocere, quas brevitas et universalitas aliarum minus dilucidadas reddebat»³.

Cum dicit, brevitate et universalitate Constitutiones reddi subinde (non semper, ut patet) minus dilucidadas, aperte significat, eas egere aliqua explicatione, interpretatione seu epikia vel dispensatione «quod eo spectat, inquit Nadal, ut intelligent Superiores, eo difficilius sibi esse in Constitutionibus dispensandum quod vident P. Ignatium providisse, quoad eius fieri potuit, ut in Declarationibus dispensationes etiam ipsae, vel epikiae exponerentur; quasi alias voluerit excludere vel indicare difficillimas»⁴.

Hinc intelligitur quare voluerit S. P. Ignatius, ut Declarationes Constitutionum penes moderatores essent. Dispensare enim a lege officium superioris est, ejusdemque propterea judicare, quandonam dispensationi sit locus.

Declarationum etiam est ad particularia, ut S. P. Ignatius loquitur, magis descendere, quorum occasione non raro sive principia, sive rationes proferuntur, quae non minoris momenti quam ipsae Constitutiones sunt. Confer e. c. Declarationes in caput secundum partis septimae.

Caeterum in historia textus hispani, quam in volumine secundo enarrabimus, constabit planissime, divisionem et discrimen Constitutiones inter et Declarationes ab anno quidem 1541 statuta et definita aliquo modo fuisse; in secernendis vero rebus quae ad Constitutiones, ab iis quae ad Declarationes pertinere deberent, firmam et constantem normam (quam in rebus hujusmodi vix reperias) nec fuisse nec esse potuisse. Itaque non pauca e textu Constitutionum anni 1550 ad Declarationes trans-

nostrorum admitti poterant, propositum non habentes Societatem ingrediendi.

³ Declaratio in Prooemium Const.

⁴ Scholia, p. 280.

ierunt. Imo probabile est, aliquas partes Constitutionum ita primum scriptas esse, ut res ad materiam eamdem pertinentes, nullo discriminе inter Declarationes et Constitutiones observato, simul ponerentur, studiosius postea distinguendae. Illud saltem certum est, plurima esse in antiquissimo textu hispano ea ratione permixta, quae in sequentibus separata sunt. Vide primum textum in volumine secundo⁵.

Ac de natura Declarationum haec in praesentia delibasse satis esto.

ARTICULUS III

DE CONSTITUTIONUM EDITIONIBUS QUAE HANC NOSTRAM PRAECESSERUNT

Non intendimus hoc loco praeparationem ac progressum illarum editionum contexere, id enim una cum aliis quaestionibus annexis alibi tractandum erit; neque omnes editiones enumerare, id quod Bibliographiae reservamus; sed brevem (omissis etiam probationibus alias proferendis) quasi conspectum exhibere laborum, quos in edendis Constitutionibus majores nostri perfecerunt, quo utilius faciliusque omnes perspiciant, quem locum nostra haec editio teneat et quibus in adjunctis in publicam lucem veniat.

Notum est, hispane primum a S. Ignatio scriptas esse Constitutiones, quas ille usque ad ultimum vitae spiritum (1556) perpolire non destitit. Latinas ex codice hispano quem Autographum vocant, fecit Joannes de Polanco, qui Ignatio ab anno 1547 a secretis fuit. Haec autem translatio, vivente Ignatio incepta et post illius mortem absoluta, una cum textu hispano, unde illa processit, a congregazione generali prima anno 1558, antequam typis ederetur, approbata est. Codicum ergo manuscriptorum habemus familias duas: primam hispanorum, qui maxima ex parte praecesserunt, alteram latinorum qui maxima ex parte seuti sunt mortem S. Ignatii.

⁵ Jam inde colligi potest, quantum a rei veritate aberrent, qui, aut nulla aut futili ratione allata, Constitutiones Ignatio, Declarationes Lainio vel etiam Salmeroni tribui posse opinantur, v. g. auctor praefationis operis *Les Constitutions des Jésuites avec les Déclarations*, p. viii.

Quod si nostram codicum descriptionem (infra, post Prolegomena) vel per summa capita percurreris, facile intelligas ante Constitutiones sive inceptas sive absolutas, multa fuisse ab Ignatio ejusque sociis singulatim pertractata et elaborata, quae ad Constitutionum ipsarum genesim persequendam magnopere juvant. Hinc tria illa monumentorum genera, quae infra indicamus (p. xxiv): monumenta praevia, textus hispanus, textus latinus.

His positis nullo negotio percipies quae de latinis et hispanis editionibus nunc breviter exponemus.

§ I. De editionibus latinis

Quando congregatio prima generalis Societatis Jesu textum Constitutionum tam latinum quam hispanum confirmavit; textum latinum, ut par erat, selegit, qui in universa Societate, jam tunc per totum terrarum orbem diffusa, vim legis obtineret.

Itaque prima editio latina facta est annis 1558-1559, sub secundo generali Jacobo Lainio, Examen et Constitutiones anno 1558; Declarationes 1559. In hac editione Constitutiones et Declarationes separatim, suis quaeque libellis, editae sunt¹.

Paucis post annis sub Borgia generali voluit congregatio secunda textum latinum Constitutionum habere, qui ad hispanum proprius quam lainiana editio accederet. Itaque collatione cum textu hispano facta, plurimi loci, quod ad modum dicendi pertinet, emendati sunt, atque editio secunda exscripta typis est anno 1570². Illud praeterea novi in praecipua editione borgiana invenimus quod Declarationes non separatae a Constitutionibus, sed una cum illis, suis quaeque locis, impressae sunt.

¹ *Primvm ac Generale Examen iis omnibvs, qvi in Societatem Iesv admitti petent, proponendvm.* Romae in aedibus Societatis Iesv 1558. — *Constitutviones Societatis Iesv,* Anno 1558. Romae, in aedibus Societatis Iesv, 1558. — *Declarationes in Examen [1559].* — *Declarationes et Annotations in Constitutiones Societatis Iesv.* Romae, in aedibus Societatis Iesv. 1559.

² *Constitutviones et Declarationes Examinis generalis Societatis Iesv.* Romae M. D. LXX. Apud Victorium Haelianum. Cum facultate Superiorum. — *Constitutviones Societatis Iesv.* Cum earvm Declarationibvs. Romae, M. D. LXX. Apud Victorium Haelianum. Cum facultate Superiorum.

Praecipuam vocavimus editionem hanc, quia aliquot praetera exemplaria, ut loquitur Nadal³, sine Declarationibus edenda Borgia curavit⁴, quae tamen nulli (si Natali credas) usui fuerunt, cum altera illa omnibus passim daretur.

Ad collationem cum textu hispano faciendam uter codex hispanus magis contulerit, Autographum an authenticus primae congregationis (de quibus suis locis agemus) nec facile dici potest, neque operae pretium est investigare, cum duo illi codices, praesertim post emendationes in utroque a congregatione prima approbatas, nulla re ullius momenti differant.

Haec editio secunda, paucissimis rebus mutatis, usque ad nostra tempora perseverare dici potest. Nam tertia editio sub Mercuriano, tertio generali, in lucem data anno 1577, nihil aliud est quam secundae repetitio, a qua locis vel potius verbis quatuor quinqueve discrepat⁵. Quarta vero facta sub generali Claudio Aquaviva anno 1583, multo quidem plura quam tertia emendavit; at si haec ipsa plura cum differentiis comparantur, quibus editio secunda a prima recedit, paucissima etiam dicenda sunt⁶. Denique ipse Aquaviva, exemplum S. Francisci Borgiae secutus, editionem Constitutionum sine Declarationibus faciendam curavit⁷. At neque haec videtur magno in usu fuisse; certe nulla posthac editio hujusmodi sejuncta facta est.

Nam quarta illa integra ita publica etiam nunc auctoritate fruitur, et editiones posteræ (fuerunt autem novem) eatenus legitimæ habeantur, quatenus et cum illa conformentur et ab

³ *Scholia*, p. 280.

⁴ *Constitutiones Examinis Generalis Societatis Iesv.* Romae, M. D. LXX. Apud Victorium Haelianum. Cum facultate Superiorum. — *Constitutiones Societatis Iesv.* Romae, M. D. LXX. Apud Victorium Haelianum. Cum facultate Superiorum. Cf. DEL PORTILLO, AHSI 1 (1932) 193 sqq.

⁵ *Constitutiones et Declarationes Examinis generalis Societatis Iesv.* Cum facultate Superiorum. Romae, In collegio eiusdem Societatis M. D. LXXVII. — *Constitutiones Societatis Iesv.* Cvm earum Declarationibvs. Cum facultate Superiorum. Romae, In Collegio eiusdem Societatis M. D. LXXVII.

⁶ *Constitutiones Societatis Iesv.* Cunt earum Declarationibus. Romae. In Collegio eiusdem Societatis. Cum facultate Superiorum. Anno Domini MDLXXXIII.

⁷ *Constitutiones Societatis Iesv.* Romae, In Collegio eiusdem Societatis. M. D. LXXXIII. Cum facultate Superiorum.

eo qui potestatem habet permittantur. Factae videlicet sunt editiones aliquot fraudulentae, quae etiamsi textum editionis legitimae fideliter reddant, legitimae tamen ipsae haberi non possunt⁸.

Hae itaque sunt editiones solius latini textus Constitutionum, in quibus majores nostri usque ad quartam quidem editionem de una maxime re solliciti fuerunt, ut sententia hispana quam accuratissime verteretur; post quartam vero, quamvis eadem haec omnibus non satisfaceret (id quod suo loco exponeamus), ut textum latinum constantem retinerent.

Sunt praeterea editiones aliae duae latinae, sed quia simul cum hispanis prodierunt, eas in sequentem paragraphum rejicimus.

§ 2. De editionibus hispanis

Textus hispanus nunquam solus adhuc typis exscriptus est; semel arte phototypica expressus; bis una cum textu latino editionis quartae typis excusus.

Ut ergo ab his ultimis ordiamur, editio magna duarum linguarum a Claudio Aquaviva in lucem prolata est anno 1606⁹, quo anno quinta editio minor, Romae quoque, prodiit. In textu latino editio magna quartam, non quintam, simpliciter iteravit, imo constat, ab editione quinta minore illam magnam non pendere, cum quatuor locis quibus unis quinta minor a quarta recedit, major cum quarta conveniat. Textum hispanum transcripserunt ex codice approbato a congregacione generali quinta (1593-1594), post collationem cum Autographo et cum exemplo authentico congregacionis primae.

Post tria fere saecula (1892) P. Joannes Josephus de la Torre alteram editionem duarum linguarum in lucem dedit¹⁰, de qua ipse scribit: «Haec altera editio, ut primam *[illam Claudi Aquavivae]* quam proxime imitaretur, curatum est, voluminis

⁸ V. Bibliographiam, in vol. III, et DEL PORTILLO, *Estudios Eclesiásticos*, 2 (1923) 296 sqq.; 3 (1924) 167 sqq.

⁹ *Constitutiones Societatis Iesu. Latinae, et Hispanicae. Cum earum Declarationibus.* Romae, In collegio eiusdem Societatis. M. DC. VI. Superiorum permisso (magno folio).

¹⁰ *Constitutiones Societatis Jesu latinae et hispanicae. Cum earum Declarationibus.* Matriti Typis Aloysii Aguado MDCCXCII.

forma et granditate, typorum figuris, charta ipsa, dispositione atque adeo numero paginarum: ut qui nova haec volumina legat, vetera illa legere se existimare queat»¹¹.

Id quidem de textibus Constitutionum, qui in utraque editione sunt, intelligendum est; nam in caeteris matritensis editio multis nominibus claudianae praestat. Primum enim textui latino subjiciuntur *Animadversiones in versionem*, ubi plus quam duo locorum millia collecta sunt, in quibus textus latinus hispanico proprius accedere posse (editoris judicio) videtur, daturque modus quo id obtineri possit. Deinde in textu hispano ea quae S. Ignatius et Polancus, manu quisque sua in Autographo scripserunt, distinguuntur a reliquis, quae sunt librariorum. Denique huic hispano textui supponuntur *Deleta in autographo*, his vero ipsis variata multa desumpta praesertim ex codicibus A et C. Est praeterea Praefatio historica et Notitia codicum usurpatorum. Itaque primus omnium conatus vere magnus, nec sine magno fructu, editionis criticae Constitutionum praeparandae.

At praeter hos textus exhibet editio matritensis duas appendices, quarum prima multa monumenta Constitutionum praevia, altera textum quemdam hispanum Constitutionum continet, quae omnia tunc primum edita sunt.

Nonnulla tamen in hac editione desiderantur, quae editori quidem vitio vertenda non sunt, cum primus ille in edendis Constitutionibus novam terere viam aggressus sit; posteris vero, qui viam eamdem percurrere voluerint, locum ad novos labores, quibus collecti jam fructus augerentur, id quod proximo articulo indicabimus, reliquerunt.

Postremo loco textus nominandus, qui arte phototypica anno 1908 curis editorum *Monum. Hist. Soc. Iesu* expressus est¹². Est enim illa editio unica in qua textus hispanus in lucem solus prodiit. Quae quidem editio quamquam, praeter brevem praefationem et notitiam codicis nudum solummodo textum exhibet, magnam tamen utilitatem ad Constitutionum cognitionem augendam et studium fovendum affert, quippe quae lectoribus

¹¹ Praefatio, p. vi.

¹² *Constituciones de la Compañía de Jesús y sus Declaraciones por S. Ignacio de Loyola fundador de la misma Compañía*. Reproducción fototípica del original. Roma Stabilimento Danesi MCMVIII.

textum Constitutionum ante oculos ponit, qualem et S. Ignatius manibus tractavit, et Societas veluti fontem caeterorum cum hispanorum tum latinorum semper venerata est.

Jam ad nostram editionem gradum facimus.

ARTICULUS IV

DE HUJUS EDITIONIS UTILITATE

Monumentorum Ignatianorum editoribus fuisse olim consilium non edendi Exercitia et Constitutiones, hocce vero consilium postea esse mutatum, animadvertisimus jam in Prolegomenis editionis Exercitiorum¹. Neque esset cur de hac re iterum scriberemus, nisi pro Constitutionibus denuo edendis novae rationes accessissent.

Nam, ut ex historia textuum hispanorum, quam in Prolegomenis voluminis secundi enucleabimus, constabit, postquam splendida editio matritensis hispana et latina, quam modo dimicimus, anno 1892 in lucem venit, novi textus, praesertim hispani, innotuerunt; unus integer omnium partium, complures non integri, quorum ope successio et progressus Constitutionum clarius elucescunt. Inter hos textus unus est maximi momenti, hispanus ille integer, antiquior omnibus hucusque notis, quem P. de la Torre in paranda editione matritensi ignorasse videtur.

Ille vero ipse textus, qui in matritensi editione est Appendix secunda (pp. 365-418), tam multa praebet attentione et consideratione dignissima, ut necessario recudendus videretur. Ut rem unam hic annotemus, textus ille est, quem Ignatius Pater anno 1550 et 1551 sociis examinandum praebuit²; cumque emendata plurima contineat, quorum aliqua, plura pauciora, ex observatis Patrum certe orta sunt; erat operae pretium diversi temporis emendata, quantum fieri posset, distinguere, atque ipsum textum, qualem anno 1550 Ignatius habuit et socii accepterunt, exhibere.

Imo textus, multis de causis maximi prae caeteris omnibus

¹ Cf. *Monum. Ignat.* ser. 1^a, I, 6, et XII, 693; ser. 2^a, vol. unic., p. 9.

² Hoc notavit La Torre, p. 337, annot. **, nos ostendemus infra, *Proleg.* c. 1, a. 8, § 3.

momenti, quem Autographum vocamus, aliquas, paucissimas quidem easque legitimas, mutationes post Ignatii mortem subiit, quae una cum reliquo textu semper, ut par erat, conjunctae editaeque sunt; unde illud accedit, ut Autographum quale ab Ignatio Patre relictum est, nunquam in lucem venerit.

Constat igitur, jure meritoque nos *Monumentis Historicis Societatis Jesu* novam editionem textus hispani Constitutionum addere debuisse. Quod vero ad textum latinum pertinet, cum translatio latina opus Ignatii non sit, poterat ex hac parte in Monumentis Ignatianis sine injuria omitti. At quoniam editio haec nostra utilitatem nostrorum de Societate hominum imprimis quaerit, textus autem latinus gaudet unus publica Societatis auctoritate, atque iis, cum nostris tum externis, qui linguam hispanam non penitus callent, ad verba sententiasque textus hispani perspiciendas, magno tutissimoque adjumento est futurus; nostra editio sine textu latino manca remansisset. His adde quod de hujus textus origine et progressu paucissima nota sint, cum tamen multa in monumentis nostris scitu digna latitent, quae nunc publici juris fient.

Monumenta vero praevia etsi magna ex parte in appendice prima editionis matritensis luce publica donata sunt, primum quidem aliis etiam nunc ineditis complenda erant, deinde vero omnia et ordine temporis, qui in ea editione interdum desideratur, quantum fieri poterat, disponenda, et clariore luce illustranda erant.

Et haec quidem ad monumentorum ipsorum cognitionem spectant. Est vero aliud utilitatis genus, nostro quidem judicio plurimi aestimandum. Imprimis enim S. Ignatii filii utilissima res erit, tanti Parentis vigiliarum precumque quasi eventus ante oculos ponere, quibus per tot annos ille in Constitutiones ex cogitandas, conscribendas, cum Deo conferendas, corrigendas incubuit. Imo illum ipsum verborum criticum apparatus quem vocant (quemque plurimi refugunt), non sine animi voluptate fructuque consulueris. Certe Nadal in Scholiis suis meminit interdum prioris lectionis, cuius «memoria, inquit, et spiritualis sensus non est propterea [ideo quod sententia mutata sit] rejiciendus»³. Quod autem paeclarus ille scholiastes hoc loco

³ *Scholia*, p. 45.

notavit, plurimis aliis notare libebit, aut saltem quibus gradibus ad ultimam dicendi rationem per ventum sit.

Hac via augebitur apud nostros legum Societatis aestimatio, non fictis narrationibus subtilisve ingenii discursibus, sed rei veritate suffulta, ac nova ratio accedet ad easdem leges diligentissime pro viribus observandas.

Deinde externi, quorum longe maximam partem sinceros veritatis cultores arbitramur, suismet ipsi oculis videbunt, quanta aut ignorantia aut malitia laborent illi, qui nescio quas fabulas subdolave consilia de Constitutionibus jesuitarum sparserunt in vulgus. Hic enim non modo Constitutiones et Declarationes, Societati tandem post diuturnos labores datas, ob oculos ponere lenteque considerare, sed earum etiam praeparationem variamque formam accurate perspicere poterunt, in quibus omnibus honestatis sanctitatisque studium elucere negaverit nemo.

His de necessitate vel utilitate hujus editionis breviter expositis, rationem seu modum ejusdem indicabimus.

ARTICULUS V

DE HUJUS EDITIONIS MODO

In animo quandam nobis fuit, volumen unum simile volumini Exercitorum, quod est secunda series in nostris Monumentis Ignatianis, confidere. Cum enim volumen illud singulari omnium approbatione acceptum sit, consentaneum erat ut tritam viam ingrederemur, praesertim cum Constitutiones etsi multo longiores quam Exercitia sunt, Directoriis tamen, quae alteram non contempnendae molis partem illius voluminis efficiunt, augendae non erant. Arridebant quoque nobis quatuor columnae, quarum tres primae textus hispani tria stadia, quarta textum latinum exhiberet. Hinc facilitas collationis et alia multa commoda, quae cujusquam animo sponte sese offerunt. Nihilo tamen minus ab eo consilio recedendum praesto nobis fuit. Absunt quidem Directoria; adsunt vero non solum Declarationes, quae a Constitutionibus non multum extensione differunt, sed etiam monumenta Constitutionum prævia, partim inedita, omnia editioni nostrae necessario præmittenda; adsunt alia quasi complementa, aut necessaria aut valde utilia, Constitutio-

nibus ipsis quasi appendices adjungenda, adest vere immensa emendationum in textibus manu scriptis, hispanis praesertim, suppellex, quae cum viam ostendant, per quam sententia ad ultimam sui conformationem progressa est, mentem Ignatii Patris, per se et per alios res omnes sollertissime expendentis et explicantis, illustrant, ut nihil dicamus de Prolegomenis et rerum notationibus, ad certam lectorum utilitatem adhibendis, neque de quatuor textibus hispanis, non forte necessario, at certe magno cum fructu imprimendis, de qua re suo loco dicemus.

Itaque reliquum erat, ut aut unius voluminis molem augeremus, aut plura volumina pararemus. Alteram hanc rationem praetulimus, tum ne a consueta nostrorum Monumentorum forma recederemus, tum vel maxime quod aequales nostri magnis istis molibus a lectione plerumque deterrentur; volumus autem, percupimus certe, ut haec editio nostra frequenti facile que manu versetur. Itaque stetit sententia trium voluminum, quorum primo Monumenta Constitutionum praevia, altero textus hispanus, tertio textus latinus contineretur.

Quod ad rerum notationes pertinet, magna quidem ex parte unae eademque esse in utroque textu debent; at quandoquidem alii, de Societate nostra praesertim, hispanum, alii latinum textum maxime usurpabunt, commodius visum est easdem iterare, quam ex uno in alterum textum perpetuo rejicere.

Duo autem triave genera notationum erunt. Primum genus, hujusmodi editionum valde proprium, in primis eas notationes complectitur, quae declarant, unde textus noster desumatur, puta ex autographo, aut apographo, caeteris. Secundum genus alia monumenta Societatis, praesertim ignatiana, refert, e quibus alicujus constitutionis origo, usus, alia intelligi possunt. Ad hoc genus locupletandum nobis plurimum opis contulit opus P. Aicardo, *Comentario de las Constituciones de la Compañía de Jesús*. Cum hoc secundo genere illae notationes conjungendae sunt, quas explicationis causa, in gratiam praesertim externorum, e probatis auctoribus aut e nostro penu interdum apponimus. Tertium denique genus conflatur notationibus, quae nexum inter Societatis Constitutiones et aliorum ordinum cum antiquorum tum recentiorum ostendunt, de quo genere in voluminibus secundo et tertio uberius disseremus.

Quod vero ad ipsorum monumentorum impressionem attinet, quoniam nostra haec editio membrum corporis *Monumenta Historica Societatis Jesu* est, quippe quae tertiam seriem inter *Monumenta Ignatiana* efficit; nunquam dubitavimus, quin normas sequeremur, quas in nostris *Monumentis*, non exiguo quidem labore nostro, fructu tamen non poenitendo, a multis jam annis tenemus.

Itaque monumenta exhibemus quam fidelissime fieri potuit, nulla re sublata, nulla mutata, ne ratione quidem scribendi, etsi frequenter vitiosa et inconstanti. Quod si quando (id quod rarissime accidit) aliquid mutare coacti sumus, id lectorem monemus.

Rationem tamen quamdam scribendi, quam antehac editores *Monumentorum* retinuerant, deseruimus; retinebant enim *Xpo., xpiano.*, caeteraque radicis ejusdem vocabula, in quibus littera p in locum litterae ὁ graecae subierat. Maluimus dissolvere compendium et scribere *Christo, christiano*, caet., quae etiam scribendi ratio in nostris manuscriptis interdum invenitur.

Quae nos textibus inserimus, claudimus uncis duorum angulorum []; uncis vero unius anguli <> utimur ad ea in textu designanda, quae cum sint deleta in ms., non in apparatu critico verborum, ut plerumque facimus, sed in textu ipso retinenda, quacumque de causa suis locis declaranda, censemus.

Illa vocabulorum compendia, quae in textibus varia invenies, v. c., fol., f., 2º et alia hujusmodi, intellectu facilima, scito esse ex ipsis monumentis exscripta; quae inclinatis formis damus, notata sunt in mss. tractu calami subter ducto; quae vero juxta textum litteris crassioribus impressa sunt, ea textus ms. habet, nisi aliud monemus, in margine.

Sententiae et verba scripta manu vel Ignatii Patris vel Polanci, quae in monumentis ipsis voluminum praesertim primi et secundi frequentissime, in apparatu critico verborum interdum inveniuntur, aliqua ratione a reliquis erant discernenda. Verba S. Ignatii inter virgulas duas, «*Ignatius*», polanciana inter supremas virgulas simplices, ‘*Polancus*’, inclusimus. Quando vero integrum aliquod monumentum, sume e. c. Ephemeridem in volumine primo, S. Ignatius ipse manu sua perscripsit, nulla distinctione opus erat ac proinde signum distinctionis omisimus. Satis enim erat illud ipsum a capite monumenti notare, id quod in ipsa monumenti inscriptione praemonemus.

additis inscriptioni verbis *Autographum S. Ignatii*. Itaque, etsi Autographi nomen jam inde a saeculis fere quatuor veluti proprium factum est exemplaris cujusdam textus hispani Constitutionum, qui Ignatii manu, non scriptus sed emendatus est; tamen extra hunc textum vocem illam usurpamus sensu proprio, quo nunc ab omnibus usurpatur, non ut Claudius Aquaviva scribebat de duobus autographis Constitutionum, de qua re in vol. II proloquemur.

In apparatu critico adhibendo proderit forte praenotasse, non raro imperfectas remansisse sententias, quarum proinde pleniorum sensum si quaequieris, inutiliter labores. Nihilo tamen minus, in gratiam eorum, quibus hispana lingua familiaris non est, atque morem libenter gerentes quibusdam, qui id optare videbantur; saepe indicamus, in monumentis praesertim hispanis, quodnam verbum illud esse videatur, quod scribi coeptum nec absolutum est.

Etiam notationes rerum plures adhibemus, quam in ceteris *Monumentis* nostris consuevimus, quia id exigere monumentorum natura videbatur.

Denique in afferendis locis Exercitiorum secundum editionem historico-criticam, quae est *Monum. Ignat.* ser. 2^a, tomus unicus, illud novi accidit, quod eos locos numeris indicamus, quorum perpetua series primo inducta est in editionem Exercitiorum parvulam latinam et hispanam a nobis praeparatam et apud Marietti, Augustae Taurinorum typis expressam anno 1928; quam seriem praeterea separatim editam, veluti supplementum nostrae editionis historico-criticae Exercitiorum, ad eos omnes misimus, qui editionem hanc apud se habent. Hoc autem, ut per se patet, de locis Exercitiorum tantum intelligendum est: reliqua enim quae in eo volumine continentur, per paginas ejusdem indicamus.

Diximus de utilitate et ratione nostrae editionis; reliquum est ut de auctoribus praincipiis, qui de Constitutionibus scripserunt, pauca subjungamus.

ARTICULUS VI

DE IIS QUI DE CONSTITUTIONIBUS SCRIPSERUNT

In animo nobis non est, plenam sed aliquam notitiam de his auctoribus praebere; neque de omnibus, sed de iis tantum

qui aut data opera Constitutiones declararunt, aut de rebus institutove Societatis disserentes, Constitutiones ipsas illarumve partem non contemnendam sapienter interpretati sunt. Ab his enim lucem accipere poterunt ii qui aliquando illam ad leges nostras melius intelligendas, desiderabunt¹.

Inter hos auctores principem locum, non quidem ordine temporis, at certe gravitate, extensione et soliditate tenet Franciscus Suarez S. J. (1548-1617).

Tractatum *De religione Societatis Jesu* Doctor eximius lucubravit tanquam partem ultimam operis *De virtute et statu religionis*. Profitetur quidem in Praefatione, idque singulari quadam animi devotione aestuque, velle se institutum Societatis contra obrectatores, praesertim catholicos, defendere; in corpore autem operis, omissis prorsus animi motibus, rebus tantum serenaque doctrinae expositione, ut solet, utitur, ac propositum suum paeclare attingit².

Et quamquam neque Examen neque partes decem Constitutionum percurrit, vix aliquid alicujus momenti in his continetur, quod Suarez suo loco non luculenter exponat. Constat enim hoc opus libris undecim. Primus est, *De religione Societatis Jesu quoad institutionem et institutum ejus in generali*: alter, *De ingressu in Societatem et probatione, et quae illum antecedit et quae subsequitur*; tertius, *De admissione scholarium absoluto novitiatu in Societatem per tria vota simplicia in communi, eorumque dimissione*; quartus, *De votis simplicibus castitatis, paupertatis etc., quae in Societate Jesu emittuntur*; quintus, *De scholasticis ac studiis Societatis Jesu, tam domesticis quam externis*; sextus, *De professione, quae in Societate Jesu fit, ac de iis quae illam antecedunt et consequuntur*; septimus, *De professis trium votorum et coadjutoribus formatis Societatis*; octavus, *De mediis quibus ad propriam perfectionem acquirendam Societas utitur*; nonus, *De mediis, seu ministeriis quibus ad proximorum externorum salutem Societas utitur*; decimus, *De regimine Societatis tam in genere quam in particulari, et*

¹ Hic ergo ne quaesieris opera illorum scriptorum (si qui sunt), qui sinistris commentariis, non lucem, sed tenebras animis offundunt.

² Cf. DE SCORRAILLE, *François Suarez*, II, 129-139, praesertim p. 137, n. 8.

consequenter de praelatis ejus; undecimus, De iis qui religiosum statum a Societate mutant³.

Quod si hos operis suaresiani titulos cum Examinis et decem partium Constitutionum titulis comparabis, quo loco quaeque res inveniatur, facile conjicies; neque miraberis, nostrorum Constitutionum commentatores, ex hoc uberrimo fonte plurima semper hausisse.

Celeberrima etiam inter nostre magnaenque auctoritatis et sunt et habentur *Scholia in Constitutiones et Declarationes* ab Hieronymo Nadal S. J. (1507-1580) concinnata. Nec mirum, cum ille postquam Ignatii conditoris animum penitus perspexerat et imberiberat, Patris ejusdem nomine et auctoritate, Constitutiones multis locis promulgarit. Itaque congregatio secunda, anno 1565 decrevit, non quidem ex obligatione observanda, pro directione tamen amplectenda Scholia haec esse⁴.

Scripta videntur fuisse inter primam et secundam congregationem generalem (1558-1565). Legimus enim in decretis primae, visum esse difficultatem seu dubia ad Constitutiones pertinentia, posse per scholia conficienda removeri, remque PP. Natali et Polanco esse commissam⁵; scripta vero jam erant anno 1561⁶. Postea tamen non solum tempore congregationis secundae Scholia sua Natalis expurgavit et in ordinem redegit, sed perpetuis curis iterum ac saepius illa magis elaboravit. Saepissime enim usurpat secundam Constitutionum editionem, factam anno 1570; hanc novam, primam veterem appellat. Tertiam, quae parum omnino a secunda differt, ut supra jam diximus, usurpare potuisse; facta enim est anno 1577; minime vero quartam, editam anno 1583, mortuus enim est Nadal anno 1580. Sub pontifice Gregorio XIII (1572-1585) ea saltem addidit, quae ad hunc pontificem referuntur⁷.

³ R. P. FRANCISCI SUAREZ *Tractatus de religione Societatis Jesu*, Bruxellis, Parisiis, 1857; prima editio, etiam illa postuma, Lugduni 1625.

⁴ Decr. 42, *Institutum*, II, 204.

⁵ Decr. 51, ib. p. 168.

⁶ *Epist. P. Nadal*, I, 489.

⁷ Pag. 333. Edita typis primum sunt Prati, in Etruria, 1883; hanc nos editionem semper afferimus, cum sit unica. Esset operae pretium accuratiorem editionem in lucem dare.

Quo tempore Suarez in tractatum De religione Societatis Jesu incumbebat, typis exscribi fecit Petrus de Ribadeneyra S. J. (1526-1611) opus quoddam *Tratado en el qual se da razon del instituto de la Compañía de Jesvs*⁸.

Non agit proprie de Constitutionibus, sed (id quod auctor ipse in praefatione declarat, f. ult.) de solvendis dubiis praecipuis, quae novitas instituti Societatis in quorumdam animis excitaverat. Itaque Constitutiones afferuntur tantum occasione data, quando v. g. vota simplicia scholasticorum et coadjutorum non formatorum ab accusatione injustitiae et a defectu caritatis vindicat, et ita porro⁹.

Viam ingreditur quam scholasticam methodum vocant: imprimis quae objiciuntur proponit, eaque argumentis fulcit, tum doctrinam Constitutionum evolvit ac demonstrat, objectis denique facit satis. In his autem, id quod necessarium erat, multa, imo vix non omnia, ad Constitutiones Declaracionesve pertinent, quas tamen ad verbum raro admodum affert, contentus rem ipsam, quae impugnatur, ante oculos dilucide exhibere.

Naturae plane diversae est opus P. Achillis Gagliardi (1537-1607) *Ad Patres ac Fratres Societatis Jesu De plena cognitione Instituti*¹⁰. Est enim synthesis, quae prius De fine Societatis, tum de mediis, et haec quidem primo quae ad propriam, secundo quae ad proximorum salutem et perfectionem pertinent. Cum Constitutiones sint unus e sex fontibus e quibus nostri instituti notitia est eruenda¹¹ et, si a P. Gagliardi indicatos ad marginem locos inspicias, omnium caeterorum, etiam simul sumptorum, longe fecundissimus, multum juvare illius opus potest ad Constitutionum cognitionem et amorem animo imbibendum.

⁸ *Tratado en el qual se da razon del instituto de la religion de la Compañía de Jesvs*. Escrito por el Padre PEDRO DE RIBADENEYRA, Religioso de la misma Compañía. Año 1605... Impresso en el Colegio de la Compañía de Jesus de Madrid. Est hujus operis versio latina facta a P. Laurentio Carli S. J. Romae, Typis Civilitatis Catholicae, 1864.

⁹ In cc. 13, pp. 97-107, et 14, pp. 107-112.

¹⁰ Brugis editio tertia, typis Societatis Sancti Augustini. Desclée, De Brouwer et Sociorum, sine anno; prima anno 1841, cf. SOMMERVOGEL I, col. 1572, sub nomine *Boero*, n. 4.

¹¹ In Prooemio, § 2, p. 4.

Proprii nominis Commentarium Constitutionum edidit hac nostra aetate P. Augustinus Oswald S. J. (1821-1908)¹² «Hae declarationes, inquit auctor in Praefatione, originem trahunt ex enarratione data ab Instructore [*Instructor erat ipse P. Oswald*] Patribus tertiae Probationis».

Percurrit et commentatur singulas denas partes, quae operis ipsius divisionem efficiunt, omittens tamen Examen et in quarta parte capita de universitatibus. In commentariis autem faciendis non solum pontificia diplomata et congregationum Societatis generalium decreta, sed etiam generalium consultationes responsionesque et auctores complures adhibet, quos in ipsa praefatione enumerat. Est itaque opus utilissimum ad eum finem, quem sibi auctor proposuit, ut librum haberent Patres «in quo post perfectam Probationem invenire iterum cum delectatione possent ea, quae in sacra solitudine non modo intellectus cognitione percepissent, verum etiam animi ardore complexi adamassent» caet.¹³

Compendium Instituti Societatis Jesu a P. Henrico Ramière S. J. (1821-1884) illustratum, a P. Julio Besson S. J. tertio editum¹⁴, divisum quidem est in partes decem, quae tamen partibus decem Constitutionum non respondent; harum atque etiam Examinis longe maxima pars, nisi forte integre, suis locis declaratur¹⁵. «Liber est utilissimus (inquit Oswald in Praefatione editionis tertiae Commentarii sui) ad habendam cognitionem etiam practicam rerum nostrarum».

Opus P. Eduardi Fine S. J. (1847-1927) *Ius regulare, quo regitur Societas Iesu, seu plenius Iuris regularis tum communis tum particularis, quo regitur Societas Iesu, Declaratio*, multo

¹² *Commentarius in decem partes Constitutionum Societatis Jesu*. Opus manuscriptum composuit AUGUSTINUS OSWALD Soc. Jesu sacerdos... Insulis. - Anno Domini MDCCXCII; tertia editio anno 1902.

¹³ In Praefatione, p. vi.

¹⁴ *Compendium Instituti Societatis Jesu*, praepositorum generalium responsis et auctorum sententiis illustratum, auctore P. HENRICO RAMIÈRE S. J.; editio tercia quam emendavit et recentioribus decretis auxit, novissimaeque Compendii Privilegiorum recensioni accommodavit P. JULIUS BESSON, sacerdos ejusdem Societatis. Tolosae... 1896. Autographice bis prius editum, 1855 et 1880.

¹⁵ In hoc opere ex usu esset index locorum Constitutionum cum paginis ubi illi exponuntur.

latius extenditur quam merus Constitutionum commentarius¹⁶. Absolvitur opus capitibus viginti quatuor, una serie in partibus quinque. Singula capita praeter octavum, nonum, duodecimum, decimumquartum et vigesimum quartum, in sectiones binas dividuntur, quarum altera est de proprio jure Societatis. Itaque in his sectionibus alteris, et in capitibus nono, duodecimo et in ultima paragrapho capititis vigesimi quarti, plurimae Constitutiones, etiam Examinis, explicantur¹⁷.

Postremum locum ordine temporis, non dignitatis, teneat magnum opus P. Aicardo (1861-1932) in sex volumina evolutum (singula millenarum fere paginarum, 0.147×0.212 magnitudinis capsae), vere Commentarius historicus Constitutionum¹⁸, quas, allato magno numero monumentorum ex corpore prae-
sertim *Monumenta Historica Societatis Jesu*, explicat et confir-
mat. Auctor ordinem ipsum Constitutionum non est sequutus;
sed illas et opus suum in tres partes divisit, quarum prima de
virtutibus et institutione sociorum, altera de ministeriis in pro-
ximorum utilitatem, tertia de ipso corpore Societatis conservando
augendoque agit. Volumini sexto addidit P. Thomas Cologan
S. J. indicem peculiarem Examinis et Constitutionum, secun-
dum partes, capita et numeros. Totum opus est, ut ipse auctor
scribit, repositorium quoddam seu apotheca monumentorum¹⁹
suo ordine disporitorum, ex quibus innotescit, qua ratione Pa-
tres nostri, imprimis S. P. Ignatius, Constitutiones adhiberent
seu in usum proxime deducerent.

His finem imponere non possumus quin maximas omnibus
gratias persolvamus praedicemusque, qui operam et consilium
ad arduum iter conficiendum nobis praestiterunt, quorum qui-
dam jam ad superos evolarunt, remunerationem multo majorem

¹⁶ *Iuris regularis... Declaratio*, auctore EDUARDO FINE S. I., Prati, 1909.

¹⁷ Utilis esset in hoc quoque libro index locorum Constitutionum et
paginarum ubi illi reperiuntur.

¹⁸ *Comentario a las Constituciones de la Compañía de Jesús*, obra escrita por
JOSÉ MANUEL AICARDO, sacerdote de la misma Compañía, Madrid, 1919-1932.

¹⁹ Introducción, n. 21, p. xix.

quam humanam gratiam accepturi. Hos inter P. Otto Braunsberger S. J. imprimis nominandus, qui non multo ante mortem tempore, fractis jam viribus, labori tamen non pepercit, ut nobis laborantibus praesto esset.

Inter alios qui etiamnunc in hac vita commorantur, singulare grati animi testimonium debemus eminentissimo cardinali Francisco Ehrle S. J., excellentissimo domino Angelo Mercati, vaticani archivi praefecto, R. P. Alfonso Kleiser S. J. Velit Christus Rex his caeterisque omnibus, hujus editionis quocumque modo fautoribus, propitium se et viventibus et morientibus exhibere.

Romae, die Christo Regi sacro, 29 Octobris 1933.

PROLEGOMENA

Constitutionum nostrarum auctorem S. Ignatium fuisse, in Prolegomenis voluminis alterius, adjutore Christo, ostendemus. Nunc de monumentis Constitutionum praeviis nobis agendum est, quorum quaedam ab Ignatio, quaedam a sociis primis, quaedam a summis pontificibus maxime prodierunt. Cum enim supremus in catholica Ecclesia legum lator, pontifex romanus, auctoritate sua non modo Societatem confirmarit, sed facultates, privilegia, alia, vivente etiamdum Ignatio, Societati concesserit, quae aut Constitutionibus perficiendis aut alia ratione Societati nostrae maximo bono fuerunt; in tria capita tractationem hanc distribuimus: capite primo de monumentis quae labori sociorum praesertim debentur, in altero de illis quae magis Ignatium respiciunt, in tertio de diplomatis pontificiis agemus. Etsi autem claritati consulentes divisionem hanc in Prolegomenis tenemus, ipsa tamen monumenta illo ordine collocamus, quem ipsa ratio temporum poscere videtur.

Nec sine causa *videtur* dicimus. Nam cum multa monumenta certum ac definitum tempus p[re]se ferant (puta diplomata pontificia); aliorum aetatem solis conjecturis improboque labore persequi, nec semper assequi potuimus. Neque tamen diffitemur longiori vestigatione ad majorem forte claritatem nos aliosve perventuros fuisse. At est modus in rebus. Ideo si certa dare non licet, probabilibus contenti sumus, donec beatior aliquis certiora repererit.

Illud etiam notandum non pauca esse in hoc primo volumine monumenta, quae textibus Constitutionum hispanis in secundo proferendis posteriora tempore sunt. Neque enim unius tempori serviendum nobis erat, sed aliquid etiam eximiae utilitati impertiendum, quae ex collatis inter se facilius textibus hauritur, quae quidem facilitas prorsus evanisset, si Constitutionum textus non simul in uno volumine, et, quantum fieri potuit, in paginis eisdem ante oculos legentium posuissemus,

sed separatim unum post aliud et cum aliis monumentis commixtos praebuissemus.

Attamen de monumentis omnibus quae praevia vocamus, illud verum est, ultimo textui Constitutionum hispanico (quanto magis latinis omnibus), qui a S. Ignatio usurpatus est, aliqua ratione praecessisse. Ultimum e. g. monumentum praevium, quod hoc volumine continetur, ad partem Constitutionum decimam perficiendam aliquid contulit, quae ratio sufficiens visa est, quare hoc et alia complura locum inter Constitutionum prodromos invenirent.

Jam quanti momenti ad nostrarum Constitutionum historiam contuendam haec monumenta sint, consideranti illucescet. In praesentia illud annotasse sufficiat, nonnulla in his esse, quae tota scripta sunt manu S. P. Ignatii, ac vera autographa, imo holographa vocanda sunt. Inter haec Ephemeridem imprimis numeramus, quae integra primam lucem nunc aspicit (monumentum 19). Alia sunt etiam autographa primorum sociorum, nominatim B. Petri Fabri (monumenta 3 et 8), et Joannis Coduri (monumentum 6). Tam multa vero invenies, in quibus vel Ignatii Patris vel maxime Polanci secretarii manus plura pauciora vel adjecit vel emendavit, vel (de Polanco nunc dicimus) integre perscripsit; ut singula hic numerare longum, exempla ponere supervacaneum videatur.

Qua ratione haec Ignatii et Polanci scripta in nostra editione distinguamus, paulo ante in Prooemio totius operis diximus.

CAPUT PRIMUM

DE LABORE SOCIORUM

Sociorum nomine intelligimus hoc loco viros illos decem Ignatium de Loyola, Petrum Fabrum, Franciscum Xaverium, Jacobum Laynez, Alfonsum Salmeronem, Simonem Rodriguez, Nicolaum Bobadilla, Paschasium Broet, Claudium Jajum, Joannem Coduri, qui postquam Parisiis una convenerant et, communicatis consiliis, sacras Palestinae regiones invisere, seseque saluti animorum procurandae devovere statuerant; cum hierosolymitanum iter aggredi, nedum perficere, non possent, Romae prima Societatis Jesu fundamenta posuerunt. Undecimus quidem

socius fuit Didacus de Hozes, cuius causa decem sociorum Ignatii Patris historiae nostrae frequenter meminerunt; sed Didacus ille vitam cum morte commutavit, prius quam socii deliberationes in urbe aggrederentur. Itaque decem, connumerato Ignatio, remanserunt, qui omnes in bulla confirmationis suis non minibus nominantur. Hi ergo omnes, pro rata quisque portione, ad Constitutiones facientes laboris aliquid attulerunt, cumque antiquissima monumenta nobis cognita, quae Constitutionibus praeparandis inservierunt, non uni e decem, sed communiter omnibus debeantur; a sociorum labore incipere aequum est.

De singulis autem monumentis tria plerumque investigabimus: aetatem, auctorem, scriptorem, quibus, occasione oblata prout monumenti natura fert, alia quaedam accedunt, quae monumentum ipsum in clariore luce collocent.

Complectimur autem hoc primo capite monumenta sub numeris 1, 2, 3, 6, 8, 9, 10, 11, 12, 14, 16, 33, 46, 48. Singulis monumentis singulos articulos tribuimus, praeter monumenta 6, 8, 14, 16 et 33, quae propter eorumdem intimum nexum uno articulo comprehendimus.

ARTICULUS I

DELIBERATIO PRIMORUM PATRUM, 1539 (Monumentum 1)

1. Antiquissimum de Societatis Jesu Constitutionibus monumentum, illud est quod numero 1 exhibemus, cuius aetatem ex ipso monumento novimus. Nam et P. Ignatius in dorso titulum scripsit «1539. En tres meses. El modo de ordenarse la Compañía», et ipsum monumentum anni tempus accurate describit, quippe quod affirmat initio «Proxime elapsa quadragesima» decrevisse Patres conventus illos habere; clarus autem in fine: «immorati sumus in his et aliis per tres fere menses a medio quadragesimae usque ad festum Joannis Baptistae inclusive», seu ad diem vigesimum quartum Junii (p. 7).

Mirum est in anno hujus primae Deliberationis assignando differre ab Ignatio Polancum, Lainium et Ribadeneiram. Hi enim tres scribunt illud accidisse anno 1538. Polancus in Vita P. Ignatii et in Chronico, Lainius in epistola ad Polancum,

Ribadeneira in Vita B. Patris¹. Fortasse tamen Polancus et Ribadeneira ab uno Lainio in hac re pendent.

At ex monumento ipso certum est, conventus et deliberationes illas actas esse tempore quadragesimae dum Patres nostri omnes et conciones habebant et aliis sacris ministeriis operam dabant. Jam vero tempore quadragesimae anni 1538 exercere Romae sacra ministeria nondum poterant, quia facultas illorum exercendorum data primum illis est die tertia Maji anni ejusdem², transacto igitur jam magno jejunio, nam sacrum pascha illo anno in diem 21 Aprilis inciderat.

Adde affirmare Polancum convenisse Patres omnes Romam «post quadragesimam anni sequentis 1538»³, id quod recte dictum existimamus. Ergo tempore quadragesimae seu «a medio quadragesimae», ut est in monumento ad finem, Deliberationem Romae habere non poterant.

Quae cum clarissima et simplicissima sint, necesse non est immorari in ostendendo, tempestatem illam anno 1538 contra nostros Patres Romae excitatam et sententiam absolutionis datam die decimo octavo Novembris anni ejusdem, praecessisse consultationibus quadragesimalibus⁴; missionem vero duorum Patrum Broet et Rodriguez in civitatem Senarum, quae, secundum ipsam Deliberationem, jamjam imminebat, quando consultationes illae habebantur, accidisse post quadragesimam anni 1539⁵.

Vix probabile est hoc loco Lainium, Polancum et Ribadeneiram de anno loqui ecclesiastico, qui ab incarnatione Domini (25 Martii) exordiebatur, cum nullibi (quod sciamus) illi annos ita numerent; si tamen hic hanc viam secuti essent, idem fere tempus esset media quadragesima anni 1538 exeuntis (mense Martio), et anni 1539 qui praecedente Januario inceperat⁶.

¹ *Chron.* I, 71 et 79; *Monum. Ignat.* ser. 4^a, I, 146; *Vida*, I, 2, c. 13.

² *Monum. Ignat.* ser. 4^a, I, 549.

³ *Chron.* I, 78.

⁴ Cf. *Monum. Ignat.* ser. 1^a, I, 137-144; RODRIGUEZ, *De origine et progressu Societatis Jesu*, in *Epist. PP. Broet...* 503-508; *Chron.* I, 67-70 et 79.

⁵ Cf. *Chron.* I, 80; *Epist. PP. Broet...* 201-203 et 509; *Fabri Monum.* 498.

⁶ Pascha resurrectionis fuit anno 1538 die 21 Aprilis, anno 1539 die 6 mensis ejusdem En seriem praecipuorum eventuum: Anno 1537, mense

2. Scriptorem hujus monumenti Joannem Coduri fuisse affirmant clari auctores La Torre et Tacchi Venturi⁷. At si hanc scribendi formam cum forma alius monumenti, quod certe manu Codurii exaratum et signatum est, conferimus (neque enim alia via hujus rei definienda suppetit); horum illustrium auctorum sententiae adhaerere non possumus.

Est certum Joannis Codurii monumentum votum ejusdem seu suffragium, quo Ignatium Patrem Societati Jesu praeficiendum declarat, editum inter Codurii monumenta, sumptum ex authographo⁸, quod est in codice *Rom. I*, n. XX. Si ergo hoc votum cum Deliberatione hac comparabis, offendes primo, votum quidem accurate scriptum, sed calamo currente, nulla sollicitudine de forma litterarum laborante; Deliberatio vero hominem prodit non modo accurate scribentem, sed pulcherrima etiam scriptura rotunda utentem, aequabili ductu ab initio ad finem singulas litteras efformantem, uno verbo, suo scribendi officio fungentem.

Deinde singulas litteras inspiciens notabis litteram s, ineunte et media voce, scribi a Codurio obliquam, in suprema parte dextrorum, in infima sinistrorum inflexam; in Deliberatione autem recto tractu, eleganter inflexa parte suprema tantum.

Littera latina l maiuscula initio verborum perpetuo scribitur a Codurio consonans (J), calamo semper sinistrorum reducto, idque ita ut nunquam fere cum sequenti littera conjungatur, sive haec vocalis sive consona sit; Deliberatio contra, scribit modo consonantem j, modo vocalem i, atque hanc litteram semper cum sequenti conjungit, sed ita ut j consonans non primo in sinistram hinc in dextram revolvatur, sed semper ab infima parte subito dextrorum quasi uncus assurgat.

Possumus alias inter se litteras comparare atque omnes fere valde inter se diversas ostendere: sed juvat alia discrimina

Novembri Romam pervenient Ignatius, Faber, Lainius (*Monum. Ignat.* ser. 4^a, I, 625; ser. 1^a, I, 138). Anno 1538: post pascha (21 Aprilis) Romam veniunt reliqui socii septem (ib., ser. 4^a I, 119 sq.); die 3 Maji concessa Ignatio ejusque sociis facultas praedicandi aliaque sacra ministeria exercendi (ib., p. 548). Paulo post orta contra illos procella, quae sedatur per sententiam vicarii urbis in illorum favorem, datam 18 Novembris (ib., pp. 627-629). Anno 1539: media quadragesima initium deliberationum.

⁷ *Matr.* p. 297, annot. (b); *Storia*, II, 189, annot. 4.

⁸ *Epist. PP. Broet...* 418-419.

ob oculos ponere. Coduri scribit *quedam, celis, nostre Societatis, mee vite caet.*, diphthongum semper omittens, quae scribendi ratio ab editoribus Monumentorum Codurii, ut assolet, retenta est; Deliberatio vero etsi saepius omittit, non raro tamen diphthongum adhibet. Coduri scribit *mihi bis*; Deliberatio *michi, nichil* (f. 15r, pp. 6-7).

Quod si quaesieris cur in re manifesta periti nonnulli homines aliter senserint; existimamus rem exigui ponderis non magnopere eos occupasse, contentosque fuisse levi quadam comparatione, qua cum minuta illa quae notavimus oculos non percellant, et genere quodam scribendi cursivo rotundo utraque scripta inter se convenient; cum denique nonnullae litterae, v. g. extrema littera s, formae seu typi ejusdem sint; quod generi scribendi dandum erat, uni scriptori dederunt.

3. At de re exili multa nimis. Quisnam vero monumenti auctor fuit? Si res ipsas inquirimus, facile patet fuisse re vera auctores Patres illos decem, qui de his rebus Romae agebant. At vero quis eorum res hujusmodi scripto exceptit? Vix aut ne vix quidem argumentum ullum est, quo mens in aliquam partem sine timore errandi propendeat. Conjicere licet, Codurio vel Fabro commissam esse jam tum provinciam ea scribendi in quae omnes consenserant, quibus deinde certe commissa est.

4. At de rebus ipsis quae in monumento continentur, aliquid attingere oportet. Ac nota primo titulum a Sotuello praepositum «Deliberatio primorum Patrum... de constituenda congregatione seu Societate» (p. 1, not. 1) ita esse intelligendum, ut cum ipso monumento plane cohaereat. Etenim hanc primam Deliberationem monumentum ipsum exemplo declarat his verbis: «Ecce modo summus pontifex mittit ex nobis duos in civitatem Senarum; debemusne illorum qui illo pergent, curram gerere vel illi de nobis, et mutuo nos intelligere, an forte non magis illos curare, quam illos qui sunt extra Societatem» (p. 3). Quae verba tacite, perspicue tamen, ostendunt ante hanc deliberationem Societatem exstitisse, quam quidem etiam ante hoc tempus, quando, anno 1537 exeunte, in varias Italiae urbes socii undecim dispersi sunt, Societatem Jesu appellari voluerunt⁹.

⁹ Chron. I, 79.

Itaque illa Societas non ita constituenda erat, quasi nullo modo nata esset, sed videndum an Societas, ante aliquot annos orta, etsi non ut corpus juridicum, in posterum conservanda et qua ratione esset.

Et certe quidem prima quaestio non ponitur: « Utrum expediat necne, nos in uno corpore colligari », sed his verbis: « An... magis expediret nos ita esse inter nos deuinctos et colligatos in vno corpore, ut nulla quantumcumque magna diuisio nos separaret, an forte non ita expediret » (p. 3, n. 3). Quaerunt itaque utrum Societas conservanda sit necne; respondentque sine ulla haesitatione « Dei unionem et congregationem » scindendam non esse, sed potius in dies confirmandam et stabiiliendam magis, seu conservandam et roborandam initam jam Societatem.

Circa modum vero finis huius obtainendi, seu, ut est in deliberatione, « in mediis expedientioribus et fructuosioribus, tam nobis quam caeteris proximis nostris, erat aliqualis pluralitas sententiarum » (p. 2). Quam sententiarum varietatem nemini admirationi esse debere, clare modesteque Deliberatio exponit. Multo minus eam vocari altercationem licet. Quamquam vero id in universum verissimum est (vix enim duos homines reperias qui rebus in omnibus prorsus idem sentiant), certo tamen modo animos nostros percellit, quod illos Patres videmus deliberantes, utrum expediret necne obedientiae votum esse in Societate Jesu; votum, dicimus ejus virtutis, quam deinde Ignatius tanquam singulare sociorum signum, tantopere commendabat atque perfectissimam exigebat.

At minus forte mirabimur, si duo ante oculos ponemus. Primum illud est, Deliberationem non versari circa obedientiam, sed circa votum obedientiae; nam sine ulla obedientia nulla est societas; sine voto obedientiae exstat societas domestica, civilis, aliae plurimae. Et certe in ipsa Deliberatione legimus: « An... postquam nos omnes emiseramus votum castitatis perpetuae et votum paupertatis... an, inquam, expediret emittere tertium, scilicet, obediendi alicui ex nobis » caet. (p. 4, n. 4). Deinde Patrum consultum, quod habes in monumento 2, estque a singulis subsignatum, ait: « Sponte deliberaui tanquam meo iudicio magis expediens ad Dei laudem et perpetuitatem Societatis quod esset in ea obedientiae uo-

tum » caet. (p. 8). Alterum est quod hac via, addito nempe votis castitatis et paupertatis olim emissis, obedientiae voto, eorum Societas religio seu religiosus ordo evadebat; itaque illorum aliquis aiebat: « Videtur quod hoc nomen religionis seu obedientiae » caet. (p. 5, n. 7); neque ullum ordinem religiosum cognoscebant, qui illi vitae rationi, quam ipsi, Deo afflante, animo conceperant, responderet. Reperta tandem via est, qua et illi Dei O. M. afflatus et vita in ordine religioso, tribus religionis votis adstricta, suaviter fortiterque conjungentur. Hujus initium viae ingressi sunt Patres his tribus mensibus, quibus praecipue illud statuerunt quod unum in titulo Ignatius Pater expressit: « El modo de ordenarse la Compañía para dar obediencia a uno della ».

5. Illud denique praenotandum, quam concinna spiritualibus S. Ignatii Exercitiis et res et agendi ratio in hac Deliberatione elucescat, in ea praesertim parte, ubi sententiarum diversitas exsurgit. In primis enim Deus perpetuis ardentissimisque precibus in auxilium vocatur; tum animi affectibus inordinatis omnibus exuuntur, in qua parte vide tertium modum humilitatis in illa dispositione, quae ab omnibus et singulis exigitur: « ut niteretur unusquisque in inueniendo gaudium et pacem in Spiritu Sancto circa obedientiam, quantum ex se est laborans habere voluntatem magis affectam ad obedendum quam ad precipientem, ubi par Dei gloria et sua majestatis laus sequeretur»¹⁰; denique rationes in utramque partem agitantur, non solum cum res praecipua ipsa definienda est, sed etiam quando ipsam ad hunc finem perveniendi viam vestigari oportet.

Nisi Patres illos omnes exercitiis ignatianis jamdiu operam strenue dedisse constaret; Ignatium ipsum sententiarum harum auctorem scriptoremque fuisse crederemus. Illum quidem partes praecipuas in his consultationibus sic habuisse, ut eas habuerat antea et in posterum habere perrexit, nobis quidem extra dubium est; non omnia quae hic sunt, eum habuisse auctorem, ex ipso monumento patet, quod dissertis verbis, nullo tamen dato nomine, alia aliis attribuit.

¹⁰ Infra, p. 5, n. 6, et *Exercitia*, nn. 167 et 178 sqq.

ARTICULUS II

DE OBEDIENTIAE VOTO FACIENDO, 1539 (Monumentum 2)

1. Monumentum alterum est primi complementum. Nam cum diuturnis neque facilibus deliberationibus statuissent Patres nostri tanquam rem Societati magnopere convenientem, ut in ea obedientiae votum emitteretur; id ipsum scripto notandum censuere. In ipso autem monumento constat, scriptum esse die 15 Aprilis anni 1539, in quem diem incidit eo anno feria tertia post dominicam in albis.

2. De scriptore autem longum est inquirere. Joannes Pinus in AA. SS. testatur accepisse se exemplum sibi ab Ignatio Pinio Roma missum ab eoque ex Petri Fabri autographo descriptum¹. Autographum non vidimus. Vidimus tamen exemplum; quod ansam praebere potuit (quibusdam certe praebuit), ut judicarent, esse a Petro Fabro exaratum, cum non sit. Est autem hoc exemplum in codice *Epp. NN.* 98, in quo subscripta nomina seu cognomina Ceres et decem primorum Patrum, horum autographa imitantur. Nomen autem et cognomen *Petrus Faber* et ipsum monumentum una eademque manu scripta sunt. Unde si nomina et cognomina pro autographis habentur, primum est concludere, monumentum ipsum manu B. Petri Fabri esse perscriptum. At forma illa scribendi a fabriana toto caelo differt.

Inciditne in errorem Ignatius Pinus? Si hoc de quo loquimur exemplum transcripsit, respondendum est incidisse. Etenim tam nomina et cognomina quam signa quae nonnullis ex his nominibus apponuntur, ita ab authenticis aliunde certissime notis differunt, ut authentica censeri non possint. Pro indubio arguento sint imagines photographicae duae, quarum prima nomina decem et Ceres ex hoc exemplo de quo loquimur desumpta, altera sex (praeter ipsum Ceres) quae sunt in fine monumenti tertii², exhibet. Inter alia discrimina notabis

¹ AA. SS. Julii, t. VII, *Commentarius praevius de vita S. Ignatii*, § 28, n. [288]; hunc tomum et Commentarium semper adhibemus ex AA. SS., nisi aliud monemus.

² Ex codice *E*, f. 6r, infra, p. 13.

praesertim signum appositum nomini Ignatii Patris; nam signum hoc omnibus locis formam refert similem litterae simplici f, ut quae est in monumento tertio, non similem dupliciti ff, ut est in monumento altero.

Petri Fabri et signum et litterae quae sunt in hoc exemplo, magnopere a signo et litteris discrepant, quae sunt authenticæ in tertio, id quod intuenti patet.

Adde inveniri etiam in hoc monumento nomen P. Broet ita scriptum, ut nullibi praeterea, quantum scimus, reperitur. Scribitur enim hic *Brouet*, cum in epistolis omnibus (id quod jam notavit Fouqueray, I, 56, annot. 4) et in reliquis monumentis, quae quidem vidimus, semper scribatur *Broet*.


Atque hoc est aliquod indicium, bollandianum exemplare ex nostro pendere. Hoc enim loco (n. 288) scribunt etiam *Broet*, cum tamen alibi, antea et postea, scripserint semper *Broet*³. Cur uno loco illo scripserunt *Broet*, nisi quia in exemplo transcripto ita (*Brouet* eodem recidit ac *Broet*) erat exaratum? Inde non leviter conjicimus Ignatium Pinum suum exemplar aut ex hoc nostro aut ex alio huic simile transcripsisse.

3. Est enim aliud exemplum huic nostro, quod ad nomina subscripta pertinet, ita simillimum ut fere omnia altera ex alteris expressa videantur. Hujus imago typographica in libello periodico *Les Missions catholiques*⁴ edita est, cuius originale in musaeo operis *Propagation de la Foi*, Lugduni in Gallia, asservatur. Dicitur hoc alterum exemplum, loco libelli indicato, *autographie de Saint François Xavier*, ac paulo post⁵ id ipsum auctoritae P. Joannis Roothaan Societatis Jesu præpositi generalis, roboratur, qui ait, collatum esse hoc scriptum cum nonnullis S. Francisci Xaverii epistolis, hisque simile repertum esse. At jam tum cum scriptum illud editum est, quidam e nostris Patribus, P. Roy, missa epistola reclamavit, affirmans scriptum illud nullo modo simile esse reliquis Xaverii scriptis, utque Patrem Roothaan excusaret, aciem oculorum


³ AA. SS. §§ 17, 23, 24, nn. 168, 170, [232], 251, 252; deinde §§ 28, 29, 35, 36, nn. 292, 293, 294, 295, 305, 357, 367, 373 et si qui sunt alii.

⁴ 14 (1882) 571.


⁵ Pag. 576.



Monum. 2, pp. XLII et 8.



Monum. 3, pp. XLII, L et 13.



B. Petri Fabri; Cf. p. L¹³.

illius valde obtusam fuisse aiebat, qui proinde alicujus alius opinioni acquiescere coactus esset⁶.

Patris Roy de hac re judicium nobis aliisque quibusdam, quos majoris auctoritatis causa consuluimus, certissimum est⁷. Confer, si lubet, monumentum editum in *Les Missions catholiques* cum autographis S. Francisci Xaverii in Monumentis Xaverianis, I, 673 et 812.

Fortasse hoc exemplum a Pinio nostro B. Petro Fabro attributum est; nam etiam hic similitudo quaedam intercedit inter nomen subscriptum *Petrus Faber* et ipsum monumentum. Sed alia scripta Fabri conferenti certum quoque est non esse hoc exemplum a Fabro perscriptum.

4. At suntne saltem nomina et cognomina authentica, manu ipsorum scripta quorum nomina legimus? Vehementissima in contrarium indicia sunt, praesertim nimia illa similitudo cum exemplo, de quo paulo ante disseruimus. Etiam hic habemus cognomen Brouet; in utroque exemplo est particula quaedam post verbum *indignissimus* obliterata, *et* in primo, *et* vel *at* in altero.

Nonne tamen fieri potest ut, sin minus omnia, aliquod saltem ex his nominibus authenticum sit, reliqua per imitacionem expressa? Nam cognomen *Laynez* tam simile authentico est, ut si ex eo res definienda esset, authenticum nomen sine ulla fere dubitatione haberetur; nomen Bobadilla parum differt; illius Caçres seu Caceres, qui nomen primus subscrispsit, alia scripta non vidimus; ejus tamen nomen cum ipso monumento conferentibus suspicio incidit, fueritne ille monumenti hujus scriptor. Adde quod tota scriptura non a librario aliquo, cui transcribendi officium incumbit, sed calamo currenti scriptum potius videatur.

Denique exempla illa, quorum unum scriptum manu S. Ignatii in romana professorum domo exstisset dicitur⁸, alterum a P. Ignatio Pinio «in novitiatu ad S. Andream, proxime domesticum saccellum S. Stanislai, ubi mortuus est», invenire non potuimus.

⁶ Haec omnia V. Groffier (*a secretis coetui ad Propagationem Fidei*) una cum imaginibus typographicis monumenti et photographica autographi P. Roothaan nobiscum humanissime communicavit (27 Octobris 1926).

⁷ Concordat SCHURHAMMER, *Die zeitgenössischen Quellen*, n. 373.

⁸ *Les Missions catholiques*, ib., p. 576.

Quo fundamento nitatur sententia illa, quae in *Les Missions Catholiques* loco allato, ponitur: « Chacun des Pères en avait écrit une copie que tous les autres signèrent », ignoramus. Forte cum viderent exempla duo, alterum quod a S. Francisco Xaverio, alterum quod a S. Ignatio scriptum diceretur; a reliquis octo vel novem idem factum esse existimarunt. Quod si ita est, cum primum illud S. Francisci Xaverii non sit, ex hac parte corruit fundamentum. Sed de his satis.

5. Quamvis autem exemplaria omnia quae novimus, apographa forte sint, subscriptiones vero non autographae, sed autographorum imitatione expressae imagines; de authenticitate tamen monumenti nulla est ratio dubitandi. Nam primo res praecipua in monumento contenta, obedientiae votum scilicet in Societate esse oportere, ex aliis testimoniis certissima est. Deinde tam multa exemplaria, quorum alia nobis perierunt, alia conservantur, unde nata essent, nisi unum saltem exemplum ex ipsis primis Patribus ortum duxisset?

Denique Bobadilla in historia vitae suae quaedam narrat, quae apud alios non invenimus, eaque videtur non obscure indicare quae ex hoc monumento aperta sunt. Postquam enim dixit, constituisse Patres dies quindecim ad deliberandum, utrum expediret necne, illorum Societatem religiosum ordinem fieri, sic porro pergit: « celebrante Mag. Fabro, qui erat tanquam pater omnium a confessionibus, ut interrogaret omnes et singulos socios si uellent uniri et fieri una religio omnium illorum, si placeret Deo et summo pontifici, et an uellent singuli esse illius religionis et Societatis. Qui omnes reperti sunt ejusdem animi, et respondebant singuli affirmatiue; et tunc dabatur illis Eucharistia corporis et sanguinis Christi⁹. In nostro monumento affirmanter Patres, velle se Societatem intrare, si a pontifice approbetur, in fine autem ad sacratissimam communionem accedunt.

Miraberis fortasse, quod plura hujus monumenti esse videantur non solum apographa, sed ea in quibus transcriptores quicunque illi fuerint, vel per se vel per alium, nomina subscripta imitari conati sint. Numquid illi, si res ita se habeat, falsa pro veris venditare voluerunt? Vix credibile est. Cui

⁹ *Bobadillae Monum.* 617.

enim bono fuerit? Potius crediderimus, studio quodam impulsos erga parentes illos nostros, quoniam quidem eorum nomina ab ipsis exarata omnes habere non poterant, voluisse eorum saltem imagines, quantum fieri poterat, possidere. Nonne integras epistolas novimus, quorum scriptores formam litterarum S. Ignatii imitari conati sunt¹⁰? Quod si malueris mortuos illos de dolo malo condemnare, ipse videris; nobis illud «Nemo malus, nisi probetur», suum hic locum habere videtur.

6. Homines autem qui monumento subscrubunt omnes praeter unum Caceres, notissimi sunt. Hunc autem illum esse opinamur, de quo Polancus dicit socium Ignatio fuisse Parisiis, alium a socio complutensi nominis ejusdem¹¹. Ex nostris autem monumentis 2 et 3 patet, eum non modo Romanos socios esse secutum, sed in deliberationibus etiam admissum. Deinde Parisiis litteris colendis atque exercitiis dandis una cum Domenech et Miron strenue laboravit, sacerdos initiatus est, vota paupertatis et obedientiae nuncupavit¹². Postea tamen «perfectionis propositum abjecit, inquit Polancus, nec tamen hoc saeculum quod dilexit, eum admodum suaviter tractavit»¹³. Haec probabiliter causa est cur haec Deliberatio appelletur saepe Deliberatio decem, etsi, annumerato Caceres, undecim sunt. Si plura de hoc homine desideras, adi *Epistolas Mixtas*, I, 72. Nota tamen diligenter aut hunc Caceres illum non esse de quo Ribadeneira, loco Dialogorum ibidem allato loquitur, aut Ribadeneira certe lapsum esse dicentem defecisse Caceres

¹⁰ Carmonae in Hispania asservatur exemplum epistolae S. P. Ignatii, quod ipsum originale esse nonnulli olim existimasse videntur, etiam editores Monumentorum nostrorum; cf. *Monum. Ignat.* ser. 1^a, I, 145 et annot. 1; et in appendice, pp. 725-727. Editores nostri neque epistolam neque imaginem photographicam viderunt illius exempli, quod in castello Assen, prope oppidum Beckum in Westfalia, servatur; nos tum carmonensis tum assensis imagines vidimus, nec dubitamus quin verum originale sit exemplum assense, quod a verbis «De Roma a los dos días» usque ad finem scriptum est manu S. Ignatii; carmonense est imitatio tantum, nec felix valde illa quidem. Vide imagines photographicas et optimum de hac re commentarium P. Dionysii Fernández Zapico in *AHSI*, 1 (1932) 100-104.

¹¹ *Chron.* I, 50.

¹² *Epist. Mixtae* I, 61, 63, 66, 68, 582.

¹³ *Chron.*, ib.

quo tempore Parisiis Venetias anno 1537 Patres nostri profecti sunt; Caceres enim noster Romae cum Ignatio caeterisque Patribus anno 1539 versabatur. Editores Epistolarum Mixtarum, I, in manibus habuisse non videntur nostra haec monumenta, ac proinde lapsus Ribadeneirae suspicantur tantum.

De modo autem scribendi *Caçres*, nota, etiam compendium esse trisyllabum, *Ca-ç-res*, pro syllaba altera, pronuntiato nomine litterae *çe*. Ad hoc scribendi genus pertinet *C dius*, pro *Claudius*; tres enim litteras supplebat ex cognomine supposito *Iaius*; intuere imaginem paulo superius appositam. Ita compendio scribebant *qales*, quam vocem, si legis addito nomine primae litterae (*qu*), duabus syllabis *ales*, habebis integrum vocabulum *quales*¹⁴.

ARTICULUS III

DETERMINATIONES SOCIETATIS, 1539 (Monumentum 3)

1. Hoc monumentum ad tempus idem, ad quod priora duo, spectat. Id, quamquam nullibi in ipso monumento dicitur, additum tamen est in ff. 8v et 9v, manu P. Sotuelli, et merito quidem.

Etenim primo scriptum est monumentum Romae, extra quam post elapsos annos 1537-1539 nunquam una fuerunt socii sex et Caceres, qui huic monumento sua nomina subscripserunt.

Deinde totum monumentum scriptum est manu Petri Fabri, qui Romae quidem fuit ab ultimis mensibus anni 1537 (illuc enim una cum Ignatio et Lainio mense Novembri ejus anni pervenerat) usque ad dimidiatum 1539, quo tempore Parmam profectus¹ Romam primum rediit anno 1546, ubi paulo post, mortem obiit.

Cum autem ex illis quae de primo monumento disseruimus, constet, has Deliberationes habitas esse anno 1539, ad

¹⁴ *qales* invenies in codice A, f. 109, versu penultimo. Est locus textus A Constitutionum, IX, 5, 2, qui edetur in vol. II hujus operis. *Baltasar pro Baltasar* est apud SCHURHAMMER, *Die zeitgenössischen Quellen*, in Tafel XVI, n. 9.

¹ *Memoriale* n. 19, *Fabri Monum.* 498.

tempus idem hoc monumentum ac duo priora, pertinere necesse est.

Vaga quaedam temporis indicatio est in f. 5v illis verbis: « Die veneris ante pentecosten ejusdem anni » (p. 12, n. 12). Cum autem prius nullus annus nominetur, suspicamur aut hoc monumentum conjunctum cum alio fuisse v. g. cum nostris primo et secundo ubi annus notatus esset, aut Fabrum voluisse annum adjungere, quod tamen non praestitit.

2. Ad anni vero hujus dies et menses assignandos aliquid difficultatis solvendum manet. Meminit enim monumentum diei quarti Maji et diei sequentis, qui fuit dominicus. At anno 1539 dies tertius et quartus Maji, non quartus et quintus, inciderunt in sabbatum et dominicum diem. Quare pro die quarta, lege diem tertiam, eoque magis quod festus dies sanctae crucis agitur die tertio Maji, non quarto.

Memorat quoque diem veneris ante pentecosten, qui fuit vigesimus tertius Maji, diem denique, qui fuit « pridie octauae corporis Christi » seu undecimus Junii. In Memoriali tamen suo scribit Petrus Faber, se et magistrum Laynez profectos esse Parmam mense Majo². At lapsus Fabrum memoria esse hoc Memorialis sui loco ostendit Tacchi Venturi³. Etenim legatus Henricus Filonardi, cardinalis Sti. Angeli, die 20 Junii profectus est; Faber autem et Lainius una cum illo iter aggressi sunt, teste ipso Fabro⁴.

² Ib.

³ *Storia*, II, 241, annot. 1.

⁴ *Fabri Monum.*, ib. Ipse tamen P. T. V., p. 197, annot. 2, lapsus quoque tantisper videtur; ait enim: «In quel giorno [l'11 di giugno, mercoledì innanzi l'ottava del *Corpus Domini*] erano certamente assenti da Roma i Padri Rodriguez, Broet, Lainez e Fabro, andati i primi due a Siena, gli altri a Parma, come mostrerà il capo seguente». Caput sequens seu VII id quidem ostendit de Rodriguez et Broet (pp. 215-216); de Laynez autem et Fabro agit caput VIII «i quali... la sera del 20 Giugno insieme col Filonardi... si posero in cammino per la via di Loreto a la volta di Parma» (pp. 240-241). Si ergo die 20 profecti sunt, non necessario aberant Roma die 11. Deinde monumentum nostrum, etiam in ea parte quae incipit «Pridie octauae corporis Christi» usque ad finem scriptum est manu Fabri. Unde, nisi Fabrum hanc partem extra urbem scripsisse ponamus, in urbe diebus illis fuisse necesse est. Manet tamen, Lainium et Fabrum profectos esse mense Junio non «sub tempus autumni», ut est in *Chron.* I, 82, n. 12.

Atque id quidem optime cum nostro monumento cohaeret, ubi de die 11 Junii tanquam de die jam transacto, mentio fit.

Itaque conclusa sunt quidem capita novem die tertio Maji, alia duo die vigesimo tertio mensis ejusdem, quatuor ultima undecimo die Junii; at vero hoc monumentum scriptum totum videtur post hunc diem, qui tanquam praeteritus nominatur. Unde dies fere octo possumus designare, inter duodecim et vigesimum Junii, quibus B. Petrus Faber has Determinationes Societatis exaravit.

Diximus, die tertio Maji novem capita esse conclusa, non sola septem illa priora, quia dies duo illi qui f. 5 illis verbis designantur «Sabbato ante dominicam quartam post pascha» (p. 11, n. 7) iidem sunt atque illi qui initio monumenti dies quarta (*lege tertia*) et dominica appellantur. Prima enim dominica mensis Maji anni 1539, eadem fuit quarta post pascha. Fortasse (ut hoc etiam per transennam dicamus) numerus hic quartus dominicalis occasio fuit erroris ut diem mensis etiam quartum vocaret.

Ponimus in superioribus, totum monumentum exiguo temporis intervallo vel potius uno fere tractu esse perscriptum. Hoc non solum ex ejusdem brevitate conjicere licet, sed, quod ad alteram partem attinet, a folio quinto incipientem, atramentum et calamus prorsus idem persuadent; praecedentia enim capita atramento magis nigro et calamo crassiore scripta sunt.

3. Cur vero cum initio dicatur «conclusa sunt ab omnibus ex octo», septem deinde tantum subscripta nomina apparent? Imo sex potius dicendum, cum Caceres unus e septem, inter decem primos nunquam numeretur. Primum quidem negotium facessit ipsa locutio «ab omnibus ex octo». Existimamus ergo voluisse Fabrum dicere «ab octo ex omnibus», id est, ex omnibus decem sociis, qui tunc erant, octo tantum a die tertio Maji illis deliberationibus interfuisse, nisi forte, suppressa partitiva sententia, pro «ab omnibus ex octo», intelligendum sit «ab omnibus octo». Probabiliter enim abiabant jam Senas Paschasius Broet et Simon Rodriguez, quibus mandata et facultates ad hanc missionem necessariae datae erant diebus duodevigesimo Martii et tertio decimo Aprilis⁵. Biduo post Romae etiamtum morabantur, quippe qui die

⁵ *Epist. PP. Broet...* 201-203.

decimo quinto hujus mensis una cum caeteris monumentum circa obedientiae votum subsignarunt⁶. Qua re peracta, quam-primum esse illos profectos verisimile est.

Quod si duo hi socii ne deliberationum quidem participes fuerunt et ab urbe aberant, nihil miraberis, quod eorum nomina subscripta monumento non sint.

Deinde, nota diligenter nomina illa sex (vel septem) non subscripta proprie esse monumento; nam si ita esset, non in medio, sed in extremo monumento apposita essent. Atqui in medio monumento, neque ad omnia conclusa, sed ad unam tantum rem confirmandam posita sunt; id quod a Fabro claris verbis exprimitur: «concludatur, inquit, id quod videbitur pluribus, cui quidem sententiae subscripterunt infra scripti» caet. (p. 13). Itaque ex nominibus subscriptis sex illos uni rei consensisse novimus; reliqua vero conclusa illis etiam sex ac duobus reliquis probata esse, non ex nominibus expressis novimus, sed ex testimonio Fabri scribentis octo socios in illis consensisse.

Remanet tamen explicandum, cur nomina Francisci Xaverii et Nicolai Bobadilla desiderentur. Nam utrumque deliberationibus interfuisse ex dictis admittimus, ac de Bobadilla quidem expressa mentio fit, ubi ille a caeteris dissensisse narratur (p. 12, n. 12). Itaque quod ad Bobadilla pertinet, facile opinari possumus, propterea illum nomen suum non apposuisse, quia etiamsi reliqua placerent, unum tamen displicebat, quamvis res illa in qua dissentiebat, alia omnino esset ab illa cui nomina apponebantur. Franciscum Xaverium etiam a caeteris dissensisse, suspicari non licet, tum quia unum dissentientem Faber indicat, tum quia ingenio, virtute, grato praesertim animo, Ignatio conjunctissimus erat. Cur itaque illius nomen abest? Suspicamur abfuisse aliquandiu Roma, etsi non invenimus ubinam eo tempore versatus sit. Senas una cum Rodericio missus a pontifice dicitur in *Matr.*⁷ At vero id dici non potest; nam Paschasius Broetus praeceptum obedientiae et facultates accipit, ut, socio adhibito «quem duxeritis eligendum» in illam civitatem perget; socius autem fuit Simon Rodericius⁸.

⁶ Vide monumentum 2.

⁷ Pag. 300, annot. (a).

⁸ *Epist. PP. Broet.*... 201-202, 509, 513; *Chron.* I, 80.

Magnam saltem hujus anni partem Xaverius Romae commoratus esse videtur. Cum enim Rodericus socios sex nominaverit, qui in varias Italiae urbes missi essent, paulo post ait: « quatuor alios qui in Urbe remanserant » otiosos non fuisse⁹. Hi quatuor erant: Ignatius, Xaverius, Salmeron et Coduri; nam sex nominavit Fabrum, Laynem, Jajum, Bobadillam, Paschasiūm, Simonem.

Cur itaque Xaverii nomen ab hoc monumento absit, in praesentia nos latet. P. Tacchi Venturi id morbis frequentibus, quibus hoc tempore Xaverius laborabat, attribuit¹⁰.

Caceres ille (de quo vide supra, p. XLV, n. 6) inter octo non numeratur, quia e decem primis, qui uni hoc tempore Societatem conflabant, non erat.

Quae vero *Matr.* exhibet veluti nomina *Paschasius* et *Bobadilla*, quorum initiales litterae valde implicatae in monumento manu scripto reperiantur, sunt duo signa nominibus Petri Fabri et Claudii Jaji apposita, ab ipsis Fabro et Jajo propriis suis nominibus et cognominibus apponi solita, quae aliis etiam locis vidimus, v. g. signum P. Jaji bis in Conclusione sex sociorum¹¹; signum autem P. Fabri est in ejus votis pro Ignatio praeposito eligendo¹², in epistola, quae servatur in bibliotheca olim regia matritensi¹³ et alibi. Signum Petri Fabri habet initio litteram P et in fine litteram f. Ad genus idem signorum pertinere illud censemus, quod cognomini Caceres praepositum, *Matr.* in litteram R convertit; ut enim praecedit hoc signum, sic etiam sequitur aliud, idque, in monumento circa votum obedientiae, a primo non valde dissimile.

4. Quod ad res ipsas his Constitutionibus contentas pertinet, vides, post tria religionis statum constituentia vota, in superioribus jam statuta, primum esse votum singularis obedientiae summo pontifici faciendum circa missiones, id quod jam Parisiis emissum quodammodo a Patribus nostris erat, doctrinam christianam pueros docendos, menses tres anno

⁹ *Epist. PP. Broet...* 509 et 513.

¹⁰ *Storia*, II, 197, annot. 2.

¹¹ Est monumentum 6 hujus voluminis.

¹² In monumentis 8 et 8^{bis}.

¹³ Edita in *Fabri Monum.* 422. V. imagines hujus signi ad p. XLII, et monumentum 3, not. 9, p. 13.

probationis seu novitiatus praemittendos, qui in exercitiis, peregrinationibus et hospitalibus ponantur, aliis verbis produci probationis tempus, cuius longioris probationis causam in alio momento paulo post invenies (p. 60, n. 18); denique praesumitum generalem fore perpetuum, paupertatem domorum perfectam, praepositi in recipiendis et dimittendis novitiis auctoritatem, quae, auditio aliquorum judicio, illi integra maneat, exceptis adiunctis quibusdam, quae annotantur. Anmadverte quoque animum ad Bobadillam dissentientem, qui causa vel potius occasio fuit normae cujusdam in deliberationibus amplectendae. Cum enim adhuc omnia unanimi consensu de facto processissent; nunc tamen non esse tantam consensionem necessariam perspexerunt, ideoque maiorem suffragiorum partem sequendam, ac proinde sufficientem esse statuerunt, quae regula in bulla Pauli III « Regimini militantis Ecclesiae », anno sequenti confirmata est. Neque pugnat haec constitutio cum illa, quam de nomine Societatis Jesu loquens dicebat Ignatius: statutum esse, nihil uno discrepante in constitutis rebus mutari posse¹⁴, si quidem praesens constitutio de rebus statuendis, Ignatius de jam constitutis loquebatur. Quamvis autem aliquis a caeteris sociis dissentiret, aiunt Patres, aequum non est, eum in reliquis definiendis non admitti. Fatendum tamen est rationem a Patribus allatam obscuram esse, et occasionem diversis interpretationibus dedisse¹⁵.

¹⁴ In Constitutionibus anni 1541, n. 45, hic monumentum 9, p. 47; cf. monumentum 14, p. 69, et *Chron.* I, 73.

¹⁵ Natalis, de dissensionibus Bobadillae aestu quodam singulari scribens, ait: «Hic dissensit a P. Ignatio et 8 Patribus de rebus gravissimis ante Societatis confirmationem; itaque propter eum est tunc decretum: si quis ab aliis in sententia dispareret in communi rerum tractatione ne admitteretur, ejus itaque in primis actibus nullum est vestigium». *Epist. P. Nadal* II, 52. Si locum nostrum Natalis significat, dicendum est male illum legisse, omissio altero *non*, quod tamen in apographo ab ipso Natali annotato, cod. *Instit.* 221, f. 118v, utrumque invenitur. Praeterea si illud statutum esset quod ait Nadal, etiam omissio altero *non*, dicendum esset statuisse Patres, ut ex deliberationibus excluderetur qui diversam ab aliis sententiam haberet. Jam quid hoc est aliud quam uniformitatem sententiarum in omnibus exigere? Nempe contrarium ejus quod disseste constitutum est. Neque Boehmer hunc locum recte videtur intellexisse; scribit enim statuisse Patres, eum qui principium illud, res a majori parte definiendas esse, non

ARTICULUS IV

CONCLUSIO SEX SOCIORUM SEU « DETERMINATIO SOCIETATIS »
ET SUFFRAGIA QUAEDAM DE CONSTITUTIONIBUS SIVE FACTIS SIVE FACIENDIS

Statuerunt quidem Patres nostri, in deliberationibus majorum suffragiorum partem ad res definiendas satis esse, id quod in monumento 3 constat; ast causa quae illos ad hoc consilium capiendum impulerat, eadem quoque ad illam, quam Ignatius Pater « Determinationem Societatis » appellavit, et ad suffragia quaedam ferenda, eos permovit. Ut enim fieri non poterat ut res omnes unanimi omnium suffragio decernerentur; sic, cum sociorum alii in alias partes a summo pontifice mitterentur, neque fieri poterat, ut omnes omnium deliberationum participes essent.

Haec rerum ac personarum adjuncta originem monumentis quibusdam praebuerunt, quae numeris videlicet 6, 8, 8bis, 14, 16, 33 designantur, de quibus hoc articulo agendum est.

§ 1. Conclusio sex sociorum seu
«Determinatio Societatis» 1540
(Monumentum 6)

Cum igitur missiones hae pontificiae nullo modo vel praeteriri vel neglegi possent; decernunt Patres, qui Romae anno 1540 aderant, omnia quae sive ad Constitutiones Societatis, sive ad ipsam Societatem quocumque modo pertinerent, «debere relinqu judicio et sententiae» sociorum, qui et in Italia versarentur et Romam commode convocari possent.

admitteret, jure suffragii esse privatum, «verliere bei der Abstimmung sein Stimmrecht» (*Studien*, I, 242). Intelligit Boehmer, verbum *principium* in locutione «in hoc principio» significare sententiam illam, res majori suffragiorum parte definiendas esse; qui ergo hoc principium seu sententiam non admittat, amittere jus suffragii. At primum sine ratione omittit unum *non*, nulla omissionis causa prolata; deinde illud «in hoc principio» potest etiam significare tempus, in his initis; denique nisi aliunde sciamus fuisse aliquem qui modum illum improbabet, nulli tam absone improbatio tribuenda est. Scimus quidem Bobadillam a caeteris dissensisse in articulo de docendis pueris, ut est paulo ante in hoc ipso monumento; eum vero dissensisse etiam in eo, quod res majori suffragiorum parte statuerentur, non constat.

Consilium hoc die 4 Martii 1540 ceperunt Patres Ignatius, Codurius, Rodericius, Salmeron, Jaius et Xaverius, sex itaque e sociis decem. Hanc rem monumentum 6 nos docet.

§ 2. B. Petri Fabri suffragium, 1540 et 1541
(Monumenta 8 et 8 bis)

Quidnam vero censebant reliqui quatuor, Faber, Laynez, Paschasius et Bobadilla? Bobadilla quidem parum de Constitutionibus sollicitus erat hoc tempore, quippe qui vocatus a S. Ignatio « ex Bisiniano Romam, scribit ipse Bobadilla, tum ad eligendum generalem, tum etiam ad ordinandas Constitutiones... quantum ad Constitutiones, inquit, erit... tempus in futurum considerandi et conficiendi eas »¹. De Paschasio Broet ac de Lainio paulo post dicemus.

Petrus Faber vero, sociorum Ignatii in condenda Societate primus, cum Parmae versaretur², jam jamque in Germaniam et Hispaniam profecturus esset, suffragium misit, quod quidem quamvis ad nos non pervenerit, illud tamen bene novimus ex monumento quodam ejus temporis, his verbis expresso: «29 Augusti 1540. P. Petrus Faber eligit in superiorem Patrem Ignatium, et promittit se obediturum quibusuis ordinationibus uel Constitutionibus, quas facient illi qui Romae fuerint congregati»³.

Profectus igitur in Germaniam Faber una cum Petro Ortiz, Wormaltiā accesserunt 25 Octobris 1540⁴. Post aliquot menses suffragia illa scripsit quae huic volumini sub numero 8 adnectimus.

Jam quidem typis exscripta illa sunt in *Fabri Monumentis*, una cum aliis tribus Fabri ejusdem suffragiis⁵; hic tamen de-nuo edenda, ex ipsis autographis desumpta ideo praesertim censuimus, ut historia Constitutionum nostrarum praevia clarius elucesceret. Primum edimus quia antiquissimum, alterum ad complendum primum.

¹ *Babadillae Monum.* 619, in *Autobiographia*, n. 18.

² *Fabri Monum.* 31-32.

³ Hoc testimonium editum est in *Matr.* p. 315, et annotatum in *Fabri Monum.* 51, annot. 2. In hac annotatione est error, *elegit* pro *eligit*. Originale est in codice *A*, f. 28.

⁴ *Fabri Monum.* 499, *Memoriale* n. 20.

⁵ Ib., 51. Vota similia S. Francisci Xaverii habes in *Monum. Xaver.* I, 811-812.

§ 3. Suffragium sex sociorum, 1541
 (Monumentum 14)

Una cum Fabro Parmam Lainius missus erat, qui tamen aliquo tempore post, relicta Parma, Placentiam pervenit die 16 Julii anni ejusdem 1540, atque ibi commoratus usque ad 28 Decembris⁶, tandem Romam accersitus ab Ignatio Patre⁷, occasionem habuit suam sententiam proferendi.

Idem dicendum de Paschasio Broet, qui cum senenses cives ab anno 1539 excoluisset, Romam quoque vocatus est⁸.

Romae itaque versabantur ineunte anno 1541 socii Ignatius, Lainius, Salmeron, Broet, Jajus et Coduri. Voluerunt illi certe Bobadillam, Bisignani in Calabria commorantem, exspectare; at vero « a la hora de su partida para Roma, inquit Ignatius, le fue mandado por el papa se detuviiese más en aquella ciudad... y porque su santidad quería repartir los que estauan en Roma por diuersas partes, fueron forçados concluir sus cosas sin Bobadilla »⁹.

Ac re vera nondum electo praeposito generali neque primis Constitutionibus subsignatis, agi coeptum est de mittendis in Hiberniam Coduri et Salmerone¹⁰; hi tamen sex et Constitutionibus primis sua nomina mense Martio subscripsérunt¹¹, et eorum quinque praesentes Ignatium mense Aprili generalem praepositum nominarunt¹².

Quae cum ita se haberent, existimarunt, facultatem illam sociis in Italia commorantibus factam, postquam Societas a summo pontifice confirmata et generalis praepositus electus erat, renovari oportere. Itaque die 14 Maii anni 1541 idem statuunt, quod anno superiore die 4 Martii statuerant¹³, illa

⁶ *Lainii Monum.* I, 10 et 16-17

⁷ *Chron.* I, 90.

⁸ *Ib.*, 80 et 90.

⁹ *Monum. Ignat.* ser. 4^a, II, 5.

¹⁰ *Epist. PP. Broet...* 421 sqq.

¹¹ V. monumentum. 9.

¹² *Monum. Ignat.* ser. 4^a, II, 4 sqq.

¹³ V. monumentum 6. Horum duorum monumentorum compendium est in codice A, f. 28, cum titulo « 4 Martii 1540 et 14 Maii 1541 ». Hoc

tamen conditione renovata, ut ex Constitutionibus jam factis nulla posset mutari, etsi unus tantum contradiceret. Hoc monumentum sub numero 14 invenies. In quo quidem illud primo videbis, scripsisse prius Broet (nam ejus manu scriptum est monumentum) nihil posse definiri uno dissentiente, duobus tamen verbis deletis, remanere illud, uno dissentiente, nihil posse mutari¹⁴. Deinde si hoc monumentum cum Determinatione simili superioris anni conferes, videbis hic desiderari nomina Simonis Roderici et Francisci Xaverii, qui mense Martio anni superioris in Lusitaniam profecti erant; inveniri autem duo, Lainii et Broeti, qui anno superiore ab urbe aberant (pp. 24 et 69).

§ 4. Claudii Jaji suffragium, 1542 (Monumentum 16)

Jaius autem, etsi reliquis sociis, nomine etiam subscripto, plane consenserat, cum tamen in Germaniam jussu pontificis sub finem anni profectus esset¹⁵; voluit singulare suae voluntatis judicique testimonium Societati tradere, scripsitque Ratisbonae monumentum 16. Quod quidem quamquam loci nomen ubi scriptum est, omittit; ex die tamen scriptoris, Ratis-

monumentum indicat *Matr.*, p. 315, in annotatione (a) documenti 3. Compendium vero ita se habet: «4 Martii 1540 et 14 Maii 1541. Determinant infrascripti ea quae pertinent ad totius Societatis commodum, ut Constitutiones faciendas relinqu iudicio et sententiae plurium suffragiorum eorum qui de corpore Societatis sunt in Italia commorantium, qui ab iis qui Romae tunc erunt, conuocari poterunt aut ab eis per litteras suffragia requiri: et vt talis determinatio perinde ualida sit, ac si tota Societas praesens esset»; sequitur «et ut sit ad plura uota» obliteratum. «Ignatius, Joannes Coduri, Simon Rodorici, Alphonsus Salmeron, Claudius Jaius, Franciscus, Laynez, Paschiasius Broet». Legenti facile patet agi re vera de duobus nostris monumentis, non de uno tantum, quod ponit *Matr.*, quorum et tempus accurate notatur et verba ipsa usurpantur. Cumque tanta sit in caeteris consensio, octo Patrum nomina, quae hic simul inveniuntur, nullam suspicionem injicere debent de tertio monumento, cui octo omnes subscripserint. Ipsum enim compendium duo monumenta in ipso titulo indicat; et quamvis octo simul nomina neutri subscripta sint, rem tamen de qua agitur, omnes admiserant, qua de causa omnium simul nomina, is, quicumque ille fuerit, qui compendium fecit, hoc loco transcribere se posse merito judicavit.

¹⁴ Variata monumenti 14 invenies in fine voluminis, in addendis paginae 69.

¹⁵ *Chron.* I, 92.

bonae scriptum esse intelligimus; epistolam enim Jaji habemus scriptam ibidem eo ipso die 18 Aprilis 1542¹⁶. Unde conhicere quoque licet, schedulam hanc (0.170 x 0.045) epistolium fuisse, huic epistolae, quam ad Ignatium Jajus mittebat, adjunctum.

§ 5. Suffragium quatuor sociorum, 1548
(Monumentum 33)

1. Hac itaque via rebus suis socii se bene consuluisse arbitrabantur. At Coduri eo ipso anno 1541 vita cessit, cuius loco Broetus una cum Salmerone missionem hibernicam sub autumnum suscepit¹⁷; Claudius Jajus primo quidem Faventiam, deinde, ut modo diximus, in Germaniam missus est¹⁸. Lainius Venetiis annis 1542-1545, deinde theologus pontificius una cum Salmerone, jamdiu ex missione hibernica reverso, Tridenti et Bononiae biennio fere versatus¹⁹. Postea anno 1547-1548 Florentiam, Perusiam, Senas, Patavium, Venetas variasque alias civitates excoluit²⁰. Salmeron, Jajus, Broet, Bobadilla vitam huic similem vivebant, unde facile apparet, quam operosum esset Romam ad Constitutiones faciendas socios convocare. Solus igitur Ignatius in urbe remanebat, qui, praeter complura alia opera, Societate gubernanda et concinnandis Constitutionibus distinebatur, et ab anno saltem 1544, maxime a 1547, diligentem his operam dabat, id quod in volumine II narrabimus.

Hic ergo rerum status, ut praecentium quatuor monumentorum, ita quinti originem, quod sub titulo « Suffragium quatuor sociorum » sub numero 33 producimus, declarat. Hoc autem monumentum ultimum est, quo socii sententiam communem de Constitutionibus factis et faciendis protulerunt²¹.

¹⁶ *Epist. PP. Broet...* 270.

¹⁷ *Chron. I*, 96.

¹⁸ *Ib.*, 92.

¹⁹ *Lainii Monum. I*, ix-x.

²⁰ *Ib.*

²¹ Exemplum italum hujus monumenti 33 editum est in *Epist. PP. Broet...* 42-43. Ad hoc monumentum praecipue referendum illud videtur, quod Polancus notat, etsi ad annum 1549 dilatum: «Ad Constitutiones etiam, quae ab ipso Patre Ignatio conficerentur vel confectae essent, complurium ex primis Patri-

Itaque, nisi nos opinio fallit, haec fuit S. Ignatii voluntas, ut illa rerum conditio, quae a Deo providente per varios caus erat adducta, a sociis qui erant in Italia confirmaretur, seu aliis verbis, ut solus Ignatius ea facere posset, quae una cum Coduri, si diutius Coduri vixisset, fecisset. Sed quoniam aliqua solus jam fecerat, ut modo diximus, oportebat in primis ut socii non solum eas Constitutiones, quas Ignatius in posterum elaboraret, sed illas etiam quas jam elaborasset, aequi bonique consulerent. Socii vero gravibus innixi rationibus, quae partim in monumento exponuntur, partim ex rerum personarumque adjunctis, quae indicavimus, intelliguntur; amplissimam Ignatio facultatem dederunt. Neque haec facultas extorta ab Ignatio alicui videatur ex eo quod in monumento dicitur: « firmaré de mi mano los siguientes capítulos conforme al orden de V. R.» (p. 245). Nam praeterquamquod quaelibet voluntatis Ignatii significatio Lainio ceterisque sociis, utpote obedientissimis, instar mandati esse potuisset; vox tamen ipsa *orden* non necessario significat mandatum seu praeceptum; sed potest etiam significare quidquid fit ut aliquid eveniat. Hoc sensu adhibetur non raro a Lainio²²; imo etiam ab Ignatio, cum scribebat v. g. Simoni Rodriguez: « y agora di orden que madama y el Card. de Burgos escriviran para allá, y que Mons. de Vérgamo los fuese ha ablar, el qual llebará las cartas, según he dado orden con todos»²³. Ipse autem Ignatius tantum aberat, ut invitatis Constitutiones obtrudere vellet, ut jam hoc ipso anno 1548 scribere ad socios incepit, ut non solum ex Italia, sed etiam ex dissitissimis locis Romam anno 1550 convenienter, quibus (id quod rerum eventus, demonstravit) Constitutiones a se omnium nomine factas examinandas ostenderet, ut inferius in articulo IX exponemus. Caeterum hic agendi modus Sti. Ignatii concordat cum responso dato anno, ut videtur, 1548 a duobus consultoribus, quorum neuter probabiliter e Societate erat, quod responsum vide inferius (p. 348).

Hujus vero monumenti bina exemplaria novimus, alterum hispanum, alterum italicum. Utrique subscribunt socii quatuor:

bus qui superstites erant, scripti consensus venerunt; donec tamen ex diversis locis satis multi Patres convenienter (quod anno proximo jubilaei fieri posse Ignatius cogitabat) Constitutiones non sunt promulgatae», *Chron.* I, 361-362.

²² Cf. *Lainii Monum.* I, 4, 5, 20, 66, 68.

²³ *Monum. Ignat.* ser. 1^a, I, 210.

Jacobus Laynez, Alfonsus Salmeron, Paschasius Broet, Claudius Jajus. Atque hoc quidem ordine in exemplo hispanico; in italico autem alium ordinem habemus: Paschasius Broet, Laynez, Claudius, Alfonsus Salmeron.

2. Cujus quidem monumenti tempus et locus diligentiores disputationem desiderant. Exemplum italicum habet « Le quattro cose sopradette me pareno buoue et giuste; et così tutto quello che parerà fare a Mtro. Ignatio sia fatto; al quale in tutto mi rimento. Da Bologna, a 7 de Gennaro 1548. Paschasio Broet. Idem Laynez. Claudius. Las 4 cosas sobredichas, como justas, conuenientes y razonables las apruebo y confirmo y subscriuo de mi nombre. Alphonso Salmerón».

Exemplum autem hispanicum ita explicit: « De Sena, a 14 de Henero 1548. Diego Laýnez. Las quatro cosas sobre dichas como justas, conuenientes y razonables las apruebo y confirmo y subscriuo de mi nombre Alphonsus Salmerón. Di Bologna 7 de Gennaro 1548. Paschasio Broet. A le sudette cose consento et il mio consentimento sotometto al buon parecer del R. P. nostro Mº Ignatio. Claudio Jaio ».

Ex aliis documentis novimus, mense Januario anni 1548 Lainium fuisse Senis per tres hebdomades, indeque Florentiam profectum esse die 25 mensis ejusdem²⁴. Venit ergo Senas ineunte Januario, ibique potuit die 14 exemplo hispanicu nostri monumenti primus nomen subscribere.

Hoc eodem tempore, Alfonsus Salmeron et Paschasius Broet, Bononiae versabantur, templum et collegium Societati procurantes²⁵. Claudii Jaji epistolam nullam novimus, quae ad annum 1548 pertineat; scimus tamen, illum, anno 1547, die 10 Augusti, qui S. Laurentio sacer est, Ferrariam pervenisse²⁶, ubi videtur commoratus esse, donec a Lainio assumptus ut socius cum eodem Venetias proiectus est, quo uterque die 18 Aprilis 1548 pervenerunt²⁷.

3. Difficultates in ipso monumento sunt: imprimis, quod hispanus textus unus est, isque apographum vitiosum; tum Laynez ante alios tres nomen suum hispano exemplari supponit die 14 Januarii; reliqui deinde subscribunt di 7 mensis

²⁴ *Lainii Monum.* I, 69-70.

²⁵ *Epist. Salmeronis* I, 63-68.

²⁶ *Chron.* I, 225.

²⁷ *Ib.*, 272.

ejusdem; et ille quidem Senis, hi vero Bononiae. Res contra debuisset accidere, ut prius ii qui die septimo, deinde ille qui die quartodecimo subscrispsit, nomen apponenter. Altera difficultas est in eo quod Lainius signat exemplum italicum datum Bononiae die septimo Januarii, cum eo die jam esse debuerit Senis, si Senis Florentiam profectus die 25, tres in urbe Senarum hebdomades seu dies 21 versatus erat.

Quaeri etiam potest quare duplex exemplum, alterum hispanum, alterum italicum exaratum sit; illa quoque, utrum prius fuerit; utrum italicum ex hispanicō an hispanicum ex italicō procedat, si quidem alterum ex altero translatum sit.

4. Solutionem difficultatum fortasse illud quasi exordium dabit, quod in hispanicō textu, non in italicō invenitur. Nam ex hoc loco certe imprimis novimus, scribi haec ad P. Ignatium, id quod legenti patet; deinde probabiliter concludimus, hoc monumentum hispanum partem esse alicujus epistolae, qua Lainius Ignatio rescribit, iis capitibus assentiens quae Ignatius proposuerat. Ait enim « firmaré de mi mano los siguientes capítulos conforme al orden de V. R. »

Haec conjectura multum roboris accipit ex litterarum hujus temporis commercio inter Lainium et Ignatium. Etenim ex epistola Lainii, data die 20 Januarii anni 1548 ab urbe Senarum, compertum est, Ignatium ad Lainium scripsisse ultimo die Decembris anni 1547, quae quidem epistola non est in Monumentis Ignatianis; rursus Lainium ad Ignatium singulas epistolas singulis hebdomadis, quibus Senis versatus erat, scripsisse²⁸. Scripserat ergo Lainius binas litteras (neque hae sunt inter Lainii Monumenta). Atqui nostri monumenti textus hispanus, scriptus est Senis die 14 Januarii, ultimo die hebdomadis alterius. Probabiliter videtur hunc textum esse illarum litterarum partem. De italicō textu mox loquimur.

Res igitur ita accidere potuisse opinamur. Accepta a Lainio Ignatii epistola, in qua puncta quatuor illa continebantur, scribit Lainius responsum hispanum et quatuor puncta, non addito suo nomine, eaque omnia mittit primo sociis, qui die septimo Januarii Bononiae nomen suum hispanicō textui subscribunt. Scribit prae-terea Broetus eo ipso die exemplum italicum (ad Ignatium Broe-

²⁸ *Lainii Monum.* I, 69.

tus italice scribere solebat), cui Broetus et Salmeron, (ii, ex paulo ante dictis, Bononiae commorabantur), subscribunt. Hoc italicum exemplum una cum hispanico ad Lainium Senas mittunt, qui die 14 utriusque nomen suum, hispanico autem, praeter nomen, diem etiam et locum subscribit. Si res ita se habuit, constat, qui factum sit, ut Lainius nomen subscriberet Senis in exemplo italicico scripto Bononiae. Jajus utrobique subscribere potuit.

De mutua ratione inter utrumque textum indicavimus jam quid sentiendum videatur. Nam si P. Ignatius ea puncta conscripsit, hispanice primum esse conscripta multo probabilius est, quandoquidem omnia fere, quae certo scimus illum scripsisse, hispane scripta sunt. Nec verisimile est, duos textus, alterum hispanicum, alterum italicum, Roma esse missos, siquidem exemplum italicum scriptum est manu Broeti²⁹, qui Romae tunc non versabatur.

Haec ex conjectura tantum persequimur, quae, si monumenta deperdita consulere possemus, aliter et facilius fortasse explicarentur, nisi forte aut apographum hispanum vitio aliquo laboret, aut ipsi illi Patres in assignando die mensis erraverint.






5. De caeteris quae in monumento habemus, illud unum notabimus, errorem transcriptoris esse in nominibus Andreeae de Oviedo, Andreeae de Frusio et Jacobi Lhoost, quae italicum exemplum recte posuit; nullum enim inter Societatis homines illius temporis, qui aliquo in numero fuerint, invenimus, sive Andream de Ruiz, sive Iacobum Coosth; Andreas vero Frusius, gallus (de Freux, qui etiam de Frusi et de Frusis nominatur) notissimus inter socios Ignatii aequales, non solum ut humaniorum litterarum peritissimus cultor, sed etiam ut vir religione et virtute conspicuus, dignus propterea, qui ab Ignatio et sociis primis inter Societatis professos adscisceretur. De Jacobo Lhoost vide in monumento 28 annotationem 20 (p. 193). Andream vero de Vuiedo positum esse pro Andrea de Oviedo, etiam exemplo italo destituti, admitteremus.

§ 6. De horum monumentorum scriptoribus

Non esset operae pretium de hac re seorsum inquirere, nisi monumentum 6 aliquid negotii quibusdam facessisset. Ete-

²⁹ Ita dicitur in *Cartas*, II, 478; ipsum monumentum videre non potuimus, cum neque *Cartas*, neque *Epist. PP. Broet...* p. 42, codicem locumve indicent, ubi illud invenitur.

my 16 pie credimus deo optimo maximo dispensante
 congregari nec id diversus mundi regiones etiam segregari
 sibi iussu summi potestis totius ecclesie principis
 coheredemus nobis qui in unum corpus coniuncti sumus in multis posse
 sucedere que pertinere poterant ad totum societatem coram
 videlicet eius constitutio per facilius est alia que videbit
 eis qui habebit cibis qui time time fringit hoc determinans
 et qui ad huius determinacionis regiam nominam nostram nomen nostra
 subscriptio humanae omnis debere resurgere iudicio et sententiae
 plurim suffragiorum eorum qui de nostra corpora sunt
 illarum determinacionis qui ut hoc qui ratione time eam cognoscatur
 poterant aut ab eis per liberat eorum suffragiorum disponit
 et sic usque plurim suffragiorum eorum ut diximus qui time
 et ista sententia de supradictis ad totius societatem
 omnium pertinenter poterant determinare nisi sola societas
 presens sic in plenaria et byzantini sunt obligatae
 dicitur mariti. 1560.


 Joannis Coduri

 Simon Coduri

 Alphonsus Salmeron

 Edius James

 Franciscus

nim monumenta 8 et 8^{bis} exarata esse manu B. Petri Fabri, monumenta 14 et exemplum italicum monumenti 33 manu Paschasi Broet, monumentum 16 manu Claudii Jaji, nemo ambigit. Quisnam autem librarius ille fuerit, qui exemplum hispanum monumenti 33 scripsit, nondum habemus exploratum.

At de monumento 6 ait *Matr.*, p. 302, annot. (a): «Manus est S. Francisci Xaverii, potius quam P. Coduri, ut censem P. Boero». Nos vero contra, Patris Boero sententiam non modo probabiliorem quam sententiam editoris matritensis, sed omnino certam judicamus, postquam monumentum (de quo in *Prolegomenis ad monumentum 1 diximus*) cum hoc monumento et cum scriptis, quae certo sunt S. Francisci Xaverii contulimus. In universum scripta Codurii a Xaverianis in eo discrepant, quod Coduri utitur cursiva gothica gallica³⁰, quae ex cursiva gothica orta est; S. Franciscus Xaverius utitur cursiva, quae ex humanistica ortum duxit, et conferri potest cum forma illa hispana humanistica, cuius exemplar habes apud García Villada³¹. Ut autem discrimina nonnulla singularia notemus, littera e apud Coduri quasi duobus semicirculis concentricis fere semper efformatur, estque similis illi, quae in ea quam scripturam bullaticam vocant, frequenter invenitur, quam formam saepe in nostris manuscriptis hominum gallorum repertis, v. g. Pascasii Broet, Pontii Cogordani³² caet. Apud Xaverium nunquam apparet hujusmodi e, sed forma etiam nostratibus communis, uno oculo clauso³³. Coduri scribit r, infima parte litterae adunca dextrorsum (fere ut primum r apud García Villada, p. 330, col. 1); Xaverius semper rotundum (simile quarto r, ib.) arcibus tamen loco angulorum fere positis, praesertim in ima littera. Extremam litteram s efficit Coduri fere ut medium sigma graecum σ, Xaverius extremis inflexis, supra dextrorsum, infra sinistrorsum. Cum ergo litteris monumenti 6 ea convenient, quae in Codurii scriptis, non in Xaverianis comprehenduntur, illius scriptor, non Xaverius, sed Coduri habendus est.

³⁰ Cf. STEPHENS-COULON, *Paléographie*, p. XXVI et tabulam 123^a.

³¹ *Album*, facsimil 103.

³² In codice A, f. 27 (hic monumentum 14, infra, p. 69) et *Po de Constit.*, ff. 16-15, ubi est, in facie prius pura, scripta pars secunda Constitutionum.

³³ *Monum. Xaver.* I, 673 et 813, ubi habes paginas duas S. Francisci Xaverii holographas. Utraque forma litterae e invenitur in tabula XXII, n. 1, ex adjunctis operi *Manuel de Paléographie latine et française par*

ARTICULUS V

DETERMINATIONES VARIAE SEU CONSTITUTIONES ANNI 1541
(Monumentum 9)

§ 1. De monumenti auctoribus et aetate

1. Societate a Paulo III, mense Septembri anni 1540 ex-eunte, confirmata, socii decem (qui tunc erant tota Societas) variis dissitosque Europae locos excolebant: Xaverius et Rodriguez Lusitaniam, Faber Germaniam; in Italia Paschasius Senas, Jajus Brixiam, Laynez Parmam, Bobadilla regnum neapolitanum, Coduri, Salmeron et Ignatius Romam.

Cum autem inter eos prius convenisset, consilia de rebus ad Societatem pertinentibus, a majori parte eorum qui in Italia versarentur et commode convocari possent, esse capienda; ineunte anno 1541 Romam socii sex convenerunt: praeter Ignatium, Salmeronem et Coduri, qui stabiles in urbe morabantur, Patres Broet, Jajus et Lainius. Curnam prius non convenerunt? Nempe quia in varias provincias a summo pontifice missi, tantos ex vinea Christi fructus referebant, ut difficulter inde avellerentur¹. Haec difficultas de Paschasio ac Laynez scriptis monumentis

MAURICE PROU, Paris, 1924. Primum verbum *Rentes* habet primum e quod apud Coduri frequentissime, apud Xaverium nunquam, nisi fallimur, inventitur; alterum e illud est quod Xaverius usurpat. Illud e gallicum est quoque in epistola Elisabethae, Angliae reginae. gallice scripta, quae est in Iam. XV, p. 149, operis *Catálogo de las colecciones expuestas en las vitrinas del Palacio de Liria*, lo publica la DUQUESA DE BERWICK Y DE ALBA, CONDESA DE SIRUELA, Madrid 1898; item in STEPHENS *Paléographie latine*, 125 fac-similés en phototypie, Édition française par REMI COULON, O. P.. 1910, Paris, p. 119; sunt epistolae Ludovici XII et Enrici III, regum Galliae.

¹ Nostram hanc dilati conventus (quamquam ille de dilata electione loquitur) explicationem ante aliquot annos jam dedit scriptor quidam, historiae Societatis nostrae bene peritus, H. Boehmer; qui cum dixisset, consentaneum videri ut, confirmata Societate, praepositus generalis quam primum eligeretur, id autem non evenisse, ait, re vera nullius momenti fuisse utrum generalis statim an sex mensibus elapsis eligeretur, praesertim cum de facto Ignatius Societatem gubernaret; esse autem magni momenti, officia sociis a pontifice summo commissa recte obire, quae hujusmodi erant, ut maximum sociorum numerum occuparent, *Studien*, I, 262.

constat, quae vide, sis, apud Tacchi Venturi. De Claudio Jajo neque facilitatem neque difficultatem in eo revocando notatam invenimus. Bobadilla vero cum jamjam iter romanum suscep-turus esset, a summo pontifice, ut supra diximus, remanere Bisignani coactus est².

Sed ut ad monumentum veniamus, Constitutiones certe faciendas et generalis praepositus creandus erat. Ideo Ignatius, qui non de jure, sed de facto et prompto omnium judicio «clavum hujus naviculae regebat» inquit Polancus, facultatem a summo pontifice obtinuit, tres saltem illos, Laynez, Paschasiūm et Jajum in urbem convocandi³. Cumque nondum esset generalis praepositus constitutus, videreturque tamen aliqua statuta firmari oportere, antequam generalis creatus esset, cui una cum consilio summus pontifex facultatem condendi Constitutiones attribuit, illas quas, duce Sotuello, Determinationes varias, et duce Ignatio Constitutiones appellavimus, statuerunt; quae re vera sunt Constitutiones anni 1541, quas Patres nostri antequam professionem ad S. Pauli emitterent, propriis nominibus confirmarunt; has Constitutiones exhibit monumentum 9⁴.

Monumentum esse authenticum, nomina Patrum sex autographa, quae bis in uno monumento inveniuntur, praecclare ostendunt.

2. Quod ad tempus attinet, in ipso monumento dicitur convenisse Patres omnes die quarto Martii anni 1541; eo die duos eorum electos esse, Ignatium et Coduri, qui de rebus occurrentibus deliberarent, ac Societati referrent; hos autem duos die decimo mensis ejusdem munere suo fungi coepisse. Caeterum nulla temporis mentio in monumento est.

Jam vero scribens Codurius, inceptum esse laborem ad has Constitutiones faciendas die decimo Martii, satis indicat, id

² De Paschasio, *Storia*, II, 222-223; de Laynez, ib., p. 270; de Jajo ib., p. 284; de Bobadilla v. supra, a. 4, initio.

³ *Chron.* I, 90, ait venisse hos tres; reliquos autem quatuor, aut distantia locorum aut pontificis auctoritate detentos esse; nempe Simonem et Xaverium in Lusitania, Fabrum in itinere ad Germaniam, Bobadillam Bisignani. Cum autem tres qui Romam venerunt, pontificis mandatu suis quisque locis distinerentur, merito admittimus, secuti P. T. V. (*Storia*, II, 270-271), obtinuisse Ignatium a summo pontifice eos revocandi facultatem.

⁴ Constitutiones vocat Ignatius in narranda canonica Societatis formatione, *Monum. Ignat.* ser. 4^a, II, 4.

quod ex rei natura accidere debuit, hunc laborem ipso die non esse perfectum. Nescimus ergo quonam die nomina sua Patres his Constitutionibus subscriperint; possumus tamen aliunde affirmare, aut eo ipso Martio exeunte aut proximo Aprili ineunte id contigisse. Etenim die 22 Aprilis vota solemnia ad S. Pauli Patres nostri nuncuparunt. Praecesserat autem electio Ignatii Patris in praepositum generalem, quae per dies fere quindecim protracta est. Primo enim diebus tribus rem omnes Deo commendarunt, aliis tribus diebus suffragia in capsula inclusa retinuerunt; cumque una omnium voce electus esset Ignatius, is a sociis aegre impetravit, ut quatuor dies alios ad morosius deliberandum assumerent; tum nova suffragatione cum nihil mutatum esset, denuo moras nexit Ignatius atque ad S. Petrum in Montorio pergit, confessarii sui consilium petiturus postquam totius vitae confessionem fecisset, eique totam animam pateficerisset, qua re tribus diebus distentus est; die autem paschatis seu decimo septimo Aprilis sententiam suam confessarius protulit, qui sociorum sententiae prorsus adhaerebat. Nondum acquievit Ignatius, sed hominem rogavit, ut diligenter iterum re Deo commendata, scriptam sententiam ad socios mitteret; qua quidem die tertio accepta, et Patre Ignatio tandem acquiescente, proxima feria sexta (qui dies fuit 22 Aprilis) vota ad S. Pauli emittunt⁵.

Dies ergo elapsi erant viginti, plures pauciores. Cum autem deliberationes de praeposito generali nominando inceptae essent postquam hae Constitutiones jam factae et subsignatae erant⁶; liquet, id aut ante exeuntem Martium aut ineunte Aprili accidere debuisse.

Unde hebdomadis fere tribus haec constituta omnia Ignatius et Coduri excogitarunt, socii omnes expenderunt et approbarunt.

3. Ex hoc monumento explicandus est aut forte corrigendus Polancus noster. Is enim, narrationem gestorum anno 1541

⁵ Monum. Ignat. ser. 4^a, II, 4-7. In hoc monumento sacrum pascha bis nominatur *pascua de flores*. Boehmer sumpsit *pascua de flores* pro die dominico palmarum (*Studien*, I, 264, annot. 2); unde dies computare recte non potuit, putavitque errorem librarii esse in monumento manu scripto. At *pascua de flores* vel *pascua florida* idem est apud hispanos ut *pascua de resurrección*.

⁶ Monum. Ignat. ib., p. 4.

aggregiens «cum Constitutiones praecipuae, inquit, jam essent post multas orationes et sacrificia ab eo [Ignatio] concinnatae, tum ad eas subscribendas, tum ad praepositum eligendum, sparso per Italiam socios evocat»⁷.

De his Constitutionibus loqui Polancum ex ejus narratione non obscure eruitur; has vero non fecisse Ignatium solum, nec antequam Romam socii evocarentur, ex ipso monumento certe constat. Ut Polanci autem narrationem cum monumento conciliemus, non absonum videtur, potuisse Ignatium Patrem, antequam socios Romam vocaret, ipsum per se has Constitutiones ita elaborare, ut quodammodo jam concinnatas ad deliberandum perferret, id quod Polancus non ab Ignatio solum, sed ab ipso etiam Coduri audire potuit, nam Romam venit ante hujus mortem, quae accidit die 29 Augusti anni 1541; Polancus autem ea aestate exercitia obierat, in Societatem admissus erat, et vota die 15 Augusti nuncuparat⁸.

4. Sed quidquid de hac re teneas, compara quae nunc tribus hebdomadis Patres nostri concluserunt, cum paucis illis ad quae statuenda anno 1539 tres menses impenderant; videbis profecto, etiamsi difficiliora quaedam essent illis initii constituta, non tamen sine justa causa eos, amota multitudine disputantium, duobus ex ipsis hanc provinciam commisisse, statuendi jus majori parti suffragiorum, secundum pontificis consulta, reservasse.

5. Et quoniam de pontificis mandatis sermo incidit, quaeret fortasse quispiam, cur Patres nostri non prius aliquem illorum in praepositum elegerunt quam Constitutiones conderent. Etenim facultatem condendi Constitutiones non sociis in unum sine generali praeposito congregatis, sed generali praeposito cum sociis attribuit. Ait enim formula a Paulo III approbata: «qui quidem praepositus de consilio consociorum Constitutiones... in consilio condendi auctoritatem habeat»⁹.

Id quidem certum est. Neque tamen hanc facultatem Paulus III solam concessit, quae in ipsa instituti formula a Patribus nostris illi oblata, continetur, sed aliam quoque,

⁷ Chron. I, 92.

⁸ Ib., 91-92; Po. Compl. I, 1.

⁹ V. monumentum 7, p. 27.

post absolutam et approbatam formulam, de suo adjunxit: «eis sociis nihilominus concedentes, quod particulares inter eos Constitutiones... condere libere et liceite valeant»¹⁰, quo loco mentio generalis praepositi fit nulla.

Potuerunt ergo Patres nostri licite ac valide alterutram viam ingredi, nempe sive prius praepositum generale creare, deinde Constitutiones condere, sive contra, Constitutiones primum concinnare, deinde generalem praepositum eligere.

6. Ut reliqua hujus temporis monumenta, sic etiam hoc Polancus in compendium redegit, in eoque signa quaedam in margine apposuit, quae quidem locos nonnullos indicant, in quibus Polancus aliquid plus minusve obscure dictum inveniebat¹¹. Quoniam vero singulis locis singulae annotationes de illis apponuntur, hic illud in universum annotabimus, neminem mirari debere quod quaedam nobis obscura sint, cum ipsi Polanco fuerint, cui modus loquendi sentiendique illorum Patrum et temporum multo quam nobis familiarior certe erat; atque illi quidem dubia deponere licuit, audita eorum declaratione, quam datam ei esse, merito judicamus; nos, meris conjecturis saepe contentos esse oportebit.

§ 2. De duobus monumenti exemplis

1. Hujus monumenti capita, quibus tituli «De vestido» et «De mostrar muchachos» praeponuntur, repetita ordine inverso in ipso codice A, ff. 12-13, invenimus; iis adjungitur folium 14, purum in facie recta, in versa titulum p[re]se ferens manu S. Ignatii: «Jhus-Contituções cerca muchachos, vestir y calçar. Para Laýnez solo». In hoc ipso exemplari alia quaedam sunt tum manu librarii tum manu S. Ignatii exarata; item variata pauca, quae omnia suis locis subnotamus. Verbis autem illis S. Ignatii «Para Laýnez solo» compertum est, capita haec ad Lainium fuisse destinata; fuisse vero etiam missa, novimus ex epistola quadam S. Ignatii ad illum Venetas data die 18 Martii 1543¹². In hac enim epistola non solum harum Constitu-

¹⁰ Ib., p. 31.

¹¹ Hocce compendium est inter indices polancianos (monumentum 29), pp. 222-225. Dubia seu quaesita in monumento 31, p. 239.

¹² Chron. I, 102 et 111; Monum. Ignat. ser. 1^a, I, 246-247.

tutionum hoc ipso ordine quo hic ponuntur mentio fit, sed additur ipsi quoque epistolae declaratio, quam primo loco in his capitibus legimus; imo tam in epistola quam in monumento nominantur anni 1543 et 1544 ad declarandum qua ratione dies quadraginta, quibus doctrinam christianam pueros doceri oporteat, computandi sint. Hinc locus conjecturae est, has saltem declarationes et epistolam illam temporis ejusdem esse. Ex hac quoque epistola discimus necedum a nostris Patribus has Constitutiones pro absolutis haberi. Scribit enim Sanctus Pater: « Aquí van las Constituciones... hasta en tanto que más se declaren y se pongan en alguna honesta forma ».

2. Corrigendus autem ex supra dictis videtur editor matritensis, qui autumat, capita haec ad Lainium missa adversaria esse monumenti quod in hoc volumine est monumentum 9¹³. Etenim etsi locus ubi anni 1543 et 1544 memorantur, additus in margine est, potuitque proinde adjungi absoluto iam textu; tamen, quantum e scriptis ipsis conjici licet, haec marginis aditamenta, una manu, calamo, atramento ac proinde uno eodemque tempore atque ipse textus, conscripta videntur. Sed ea re maxime movemur, quod capita haec illo monumento posteriora certe sunt; nam capita 37 et 38, quae primo monumento partim in margine, partim in ima, partim in suprema pagina apposita sunt, alterum exemplum in corpore ipso perpetuoque contextu exhibet.

§ 3. De utriusque exempli scriptoribus

Quod ad scriptores ipsos utriusque exemplaris, pertinet, primum quidem scripsit librarius aliquis nobis ignotus, non admodum peritus (ut recte notavit Matr.¹⁴), nullo modo Coduri (ut quidam errore lapsus dixit¹⁵). Alterum censem Matritensis fuisse Ferronium¹⁶, a qua quidem sententia recedere cogimur, tum quia Ferronii forma scribendi ab hac dissimilis est; tum quia suspicamur Ferronium Parisiis fuisse anno 1543, quo tempore hoc monumentum scriptum Romae opinamur; certe

¹³ Pag. 309, annot. (a).

¹⁴ Ib., pag. 303, annot. (a).

¹⁵ RUIZ AMADO, *Don Miguel Mir*, p. 51.

¹⁶ Pag. 309, annot. (a).

Parisiis erat anno 1542¹⁷; a secretis autem Ignatio esse coepit anno 1545. Nonnullas ferroniani calami notas alibi damus¹⁸. Nominatim abest ab hoc monumento tractus infimae partis litterae r, a Ferronio semper vel fere semper additus; primum elementum litterae h, quod Ferronius ad basim usque, scriptor noster ad medium litterae corpus tantum deducit; in universum ut litterae Ferronii expansae, sic nostri compressae sunt, quod ut clarius intelligas, Ferronius uno decimetro litterae fere triginta, alter litteras unam et quadraginta fere scribit. Igitur neque hujus exempli scriptorem adhuc novimus.

ARTICULUS VI

DE PROFESSIONE AD S. PAULI, 1541 (Monumentum 12)

Quamquam hoc monumentum ad textus Constitutionum praevios suo jure fortasse non spectat; quoqiam tamen factum illud nobis ob oculos ponit, quo Societas re vera in Ecclesia esse coepit, et formula professionis, quam Patres nostri usurparunt, fundamentum et exemplar est illius formulae, quae in Constitutionibus invenitur atque a primis temporibus in Societate adhibetur: ideo visum est illud hic apponere, praesertim cum quasi monumentum a caeteris distinctum adhuc editum non sit, sed veluti pars inserta narrationi de canonica institutione Societatis¹. Exemplum autem nostrum non apographum est², sed ipsum exemplum, quantum conjicere possumus, quo Patres nostri ad S. Pauli usi sunt.

ARTICULUS VII

DE FUNDANDIS COLLEGIIS SEU «PARA FUNDAR COLEGIOS», 1541-1544 (Monumenta 10-10bis)

1. Hujus monumenti sunt tria exempla praecipua. Duo sunt in codice A, ff. 15r-26r. Tertium in codice *Instit.* 7, ff. 153r -158v, antiquitus 1-6. Eorum primo, ff. 15-18, subscripsit Joannes

¹⁷ *Epist. Mixtae I*, 87 et 242.

¹⁸ Infra. in c. 2, a. 11, n. 2.

¹ *Monum. Ignat.* ser. 4^a, II, 4-8.

² Esse apographum indicatur ibidem, p. 7. annot. 5.

Coduri; duo verba *mayor* et *cotidiano* addidit Ignatius Pater manu sua (cc. 18 et 28, pp. 62, 63). Alterum, ff. 19-26, multis locis a P. Ignatio emendatum est. Tertium est mera fere transcriptio secundi, habetque multa addita manu Polanci.

2. De primo exemplo dicit *Matr.* videri scriptum manu Coduri¹. Nempe scriptum est illius librarii manu, quem monumentum 1 scripsisse diximus. Idem editor affirmat², exemplum alterum scriptum esse integrum manu S. P. Ignatii, cui sententiae adhaerere non possumus. Emendata certe sunt Ignatii manu; accipe vero aliquot discrimina inter formam scribendi in hoc textu et P. Ignatii. In textu litterae p et q habent in ima parte additum tractum sive planum sive obliquum, littera q semper vel fere semper, littera p saepe; S. Ignatius nunquam, nisi fallimur, tractum illum adjungit; litterae g et j in hoc textu infimam partem sinistrorum flectunt, sursum ferunt, claudunt ac fere semper cum sequenti littera conjungunt; in S. Ignatii scriptis littera g infimam quidem partem in sinistram flectit, et sursum plus minusve etiam profert, at rarissime claudit, multo rarius, si forte unquam, cum sequenti conjungit; littera vero j infimam partem aut nullo modo aut sicut g ignatianum flectit. Praeterea pars suprema litterae g refert in hoc textu imaginem litterae a, cuius tractus dexter deorsum tendit; in scriptis vero Ignatii Patris pars illa similis frequentissime est litterae o, a cuius manu sinistra calamus deorsum ita fertur, quasi litteram s tractu bis curvo describeret. Syllaba *to* ita scribitur in textu ut littera o conjuncta quidem sit cum tractu medio litterae t, sed hinc evadat in litteram omnino evolutam, bene formatam, basim litterae t adaequantem; in scriptis S. Ignatii efficitur littera o saepe ope ipsius tractus medii litterae t, aut nihil aut parum deorsum, tum sursum inflexi, ita ut potius appendix litterae t, quam littera o videatur. Haec autem discrimina etiam invenies, quamvis junioris Ignatii scripta contuleris, v. g. epistolam Venetiis anno 1536 scriptam³. In universum scriptura textus est verticalis et compressa, ignatiana aliquantulum inclinata ad dextram, et expansa.

¹ Pag. 306, annot. (a).

² Pag. 311, annot. (a).

³ In codice *Rom.* I, I.

Indicium quoque est non esse scriptum textum a S. Ignatio locus ubi erat *i señales*, id quod nullum sensum habet pro quo scripsit S. Ignatius *esenciales*, circa finem capituli 9 (p. 59).

Igitur quamvis aliqua similitudo intersit, sintque nonnullae litterae unius ejusdemque formae; nobis certe manus librarii, non manus Ignatii in textu alterius exempli esse videtur. Vide appositas hic imagines.

3. Tria hujus monumenti exempla praecipua esse diximus Quartum est non quidem integrum, sed ejus partis, quae est « *Memoria de fundadores* » in Hispania repertum a P. Josepho M. March S. J. in archivio domus quam « *Paláu* » sive Palatium vocant, Barcinone, editum et eruditis commentariis ab ipso ornatum in *Razón y Fe*⁴. Praeterea, partis ejusdem est exemplum latinum in archivio publico monacensi. Roma nempe in civitates quasdam mittebatur pars illa quae est de fundandis collegiis et domibus, ubi spes erat sive collegium sive domum aliquam condendi. Nostra autem tria exemplaria propter antiquitatem scribentium vel emendantium manus et integritatem commendantur.

4. Ac tertium quidem non solum duobus prioribus posterius est, sed, quatenus Polanci secretarii manum ostendit, aliquot annos posterius saltem quam primum, anno siquidem 1547 officio illo fungi Polancus coepit, cum primum exemplum, cui Coduri subscrispsit, diem 29 Augusti 1541, quo is e vita migravit, certo praecesserit.

5. Nam alterum exemplum suspicamur esse factum aliquo tempore post primum, ac proinde ab illo pendere.

Imprimis enim meminit Constitutionum factarum « para el recibir de los que desean ser en esta Compañía » (n. 5, p. 54). His autem verbis satis aperte indicatur Examen, quod nondum esse factum anno 1541, ex dicendis in volumine secundo probabilissimum censemus.

Deinde, non est verisimile, eodem anno 1541 convenisse inter Ignatium et Coduri defaciendis votis paupertatis ab iis qui studia essent aggressuri (n. 11, p. 56), Ignatium vero, separatim deliberantem, haec vota omissurum fuisse. Dixerit

⁴ 63 (1922) 285.

que no se manejen en las configuraciones de fig. 16

parabellum beras q defens seroiffie compre
Consejo se sigue q dentro de poco q se convierte

quispiam, ideo fortasse unumquemque Patrem separatim scripsisse, quod in rebus quibusdam non omnino consentirent. Fieri quidem id potuit; at exstant etiamnunc multae votorum formulae in quibus constat, scholasticos vota illa, in monumento 10 proposita, saepe nuncupasse, nisi tamen illa emitterent ex devotione mera.

Quidquid vero de hac re sit, manet indicium Examinis; huic accedit silentium de redditibus sacristiae, quos rejiciendos Ignatius, quantum in se erat, constituit anno 1544⁵. Itaque hunc annum tanquam tempus probabile secundi exempli admittimus. Conjungimus tamen cum primo, quo facilius utrumque comparari possit.

Pendere autem secundum a primo, legenti facile patet. Postremo addendum quoque est, in ipso monumento 9, vel potius in ejus parte secunda, quae primae post accessit quam socii prima vice nomina sua jam apposuerant, videtur mentio inveniri monumenti 10. In numeris enim 42 et 49, ubi de collegiis agitur, invenimus locutionem « léase en la fundación » (p. 47, n. 42, et p. 48, n. 49), quae monumentum 10 significare videtur. Si hoc ita est possumus conjicere, partem illam secundam monumenti 9 ac monumentum 10 temporis ejusdem fere esse.

6. Caeterum, alterum magis quam primum sapit Ignatium. Compara quae subjungimus.

Primum

Primeramente, si Dios nuestro Señor para su propio honor, seruitio y alabança, nos diese algunos benefactores para fundar algún collegio o algunos, el fundador del tal collegio dando orden...

Alterum

Primeramente, Dios nuestro Señor por la su infinita y summa bondad ordenando y elegiendo para su propio seruitio, alabança y gloria algunas buenas personas, que fuesen fieles y dignos instrumentos de la su diuina magestad para fundar algún [1 v. sup.] collegio [seq. para escolares pobres *obl.*], collegios

⁵ V. infra, Ephemeridem, p. 105, not. 38.

o casas «para escolares pobres» /3 vv. *marg.J*, el fundador del tal collegio o collegios deue seer en dar orden ... (p. 51).

Paulo post scholarium recipiendorum conditionem ita exponunt:

Primum

Que el fundador ponga que todos los estudiantes que han de seer en el tal collegio, sean nombrados y señalados para la Compañía según que juzgarán seer más idóneos para después llevar su modo de proceder y orden de vivir.

Alterum

Que el fundador ponga que todos los escolares que han de ser en el tal collegio, sean pobres, probados y determinados para ser vnidos y encorporados en la «tal» Compañía, acabados sus estudios; los quales sean nombrados y elegidos por la Compañía según que juzgare ser «ellos» [1 v. *add.J*] más idóneos para después lleuar su modo de proceder y orden de biuir en vno, seguiendo los mismos estatutos y reglas que ella tiene (p. 53).

Ignatianam originem secundi exempli prodere etiam videatur quod in eo semper *escolares*, in primo autem semper *estudiantes* vocantur illi qui ad studia mittendi sunt. Uno loco invenimus verbum *escolar* in primo; ast eo loco qui additus est manusimili ei, qua alterum exemplum exscriptum est (p. 55, n. 9). In altero autem exemplo bis erat scriptum *estudiantes*, sed hac voce deleta, scripsit manu sua Ignatius Pater *escolares* (pp. 57,58). Etiam in codice *E*, f. 158v, manu S. Ignatii scriptum legimus titulum «Estatutos para Boloña, a escolares» (p. 258). Cur hanc vocem praetulerit, nondum invenimus, factum notamus, id quod etiam in Examine et in quarta Constitutionum parte videre est⁶.

⁶ *Const. VI*, 4, 1 et 2: «Para que los scholares en estas facultades mucho apruechen... tengan deliberación firme de ser muy de veras estudiantes». La-

Addo quod, quando Polancus monumentum de fundandis collegiis perficiendum quartaeque parti Constitutionum accommodandum suscepit (utique, opinamur, suggeste Ignatio), hoc alterum, non primum assumpsit. Inde tertium exemplum ortum est, quod, ut diximus, quartae parti Constitutionum aptatur. Itaque non solum in additis polancianis illa reperiuntur, quae una cum reliquis ad verbum fere in declarationem prooemii quartae partis transscripta sunt, sed etiam illa omissa, quae a S. Ignatio in secundo exemplo circa templorum fundatores addita sunt; nisi forte tertium exemplar ex secundo prius exscriptum sit, quam Ignatius Pater illa addidisset.

Denique in codice *Po. de Constit.* ille index est, cui titulus (scriptus ut caetera omnia manu Polanci) sic habet: « Indice de lo que se trata en los papeles scritos del Padre »⁷. Ad hunc indicem faciendum in ea parte quae de collegiis agit, non primo, sed hoc altero exemplo, vel eo unde hoc ortum duxit, Polancus usus est. Quaedam enim sunt in indice, quae non in primo, sed in altero reperiuntur, nempe: ut rector redditum dominium habeat, ut scholares « sean pobres, prouados, determinados de entrar en ella» caet.; studia facienda: «gramática, poesía, rhetórica, lógica, philosophía, y graduados en artes 4 años de theología»; primum omittit poesim et rhetoricam.

Quamvis autem Polancus indicem alterius exempli fecerit, usus tamen etiam videtur primo; duo enim sunt addita indici supra textum, quae cum non sint in secundo ita saltem expressa, clarius exprimuntur in primo. Primum est illud « por 3 meses », alterum « y sean conocidos y tratados » (pp. 53-55 et 220).

7. Postremo aliquis videtur ex duobus monumentis unum confidere voluisse. Habemus enim indicem alium cui titulus: « Indice de la fundación de los collegios»⁸. Cujusnam manuscriptus ille sit, ignoramus; at cum in f. 9r titulum « Indice de otras determinationes» (p. 232) interjectum manu Polanci reperiamus, haec autem folia, 9-11, sicut reliqui indices fere omnes, unius.

inius se ipsum, Ignatium caeterosque socios, ante quam sacerdotes essent, vocat etiam *scholares*. *Monum. Ignat.* ser. 4^a, I, 143.

⁷ Hic in monumento 29, p. 220 sqq.

⁸ V. monumentum 30, p. 235.

manus et temporis sint, non est dubium quin ad illa Societatis tempora hic quoque index pertineat. Ut autem indicem hunc intelligamus, in primo exemplo, seu monumento 10, sunt paragraphi seu capitula unum et viginti; et prima quidem duodeviginti signantur numeris 1-18; tria vero postrema, numeris 27, 28, 29. Scriptor itaque indicis percurrit singula monumenti hujus priora capita duodeviginti, atque accurate notat folia ubi haec inventa sunt, omniaque ad amussim cohaerent cum hoc primo exemplo. Deinde vero adjungit index: « Memoria de fundadores. fº 12, 13, Capº 19, 20, 21, 22, 23, 24, 25, 26 ». Atqui haec folia et capita, convenient non primo, sed alteri exemplo, seu monumento 10^{bis}, quocum tamen index in praecedentibus non concordat. Ut autem convenient cum secundo, necesse fuit (atque ita factum est) emendare numeros 10-17, eosque mutare in 19-21. Desinit vero index hoc modo: « Las casas de la Compañía para qué cosas tengan renta, y para qué cosas no, y la razón dello fº 10, Capº 27, 28, 29 ». Quo titulo, folio et capitulis rejicimur iterum ad exemplum primum. Hinc illa suspicio quam diximus, intendisse aliquem ex duobus illis exemplis unum facere, capita 29 complectens, quod tamen exemplum, si factum est, nos certe latet. Nam ilud quod in codice *Instit.* 7 inveniri notavimus, non ex duobus conflatum, sed ex altero, ut diximus, mere transcriptum est.

8. Utrum monumentum primum vota ad S. Pauli die 22 Aprilis nuncupata praecesserit an secutum sit, difficile est definire. Laynez loco uno loquitur de statutis illis quae ad collegia et de illis quae ad alias res pertinebant⁹. Ignatius enarrans electum generalem et nuncupata vota ad S. Pauli, ait «ya hechas sus Constituciones y firmadas», id quod his collegiorum constitutionibus non convenit, quippe quibus solum nomen Joannis Coduri subscriptum est. Hunc vero existimasse caeteros etiam subscripturos, vehementer suspicamur. Cum enim absoluto monumento amplius ad scribenda nomina locus purus in ea pagina remaneret, Joannes Coduri, relicto eo loco vacuo, suum nomen in extremo infimoque angulo dextro supposuit. Cur vero reliqui socii non subscripserint, nullibi invenimus. Caeterum tum hae tum caeterae Constitutiones deinde reficienda fuerunt.

⁹ *Monum. Ignat.* ser. 4^a, I, 147.

9. Collegia denique de quibus hoc monumentum agit, non esse externorum, a Societate Jesu alienorum, sed adolescentium qui Societati nomen dare statuerint, legenti patet. Atque ex hoc loco et ex caeteris rebus quas in hoc monumento vide-mus, facile constat, utrumque monumentum esse re vera quasi nucleum, ex quo deinde quarta Constitutionum pars excrevit; et ita quidem ut in ipso nucleo elementa omnia reperiantur quae uberiorem postea vitam acceperunt; gratus erga benefac-tores animus, spiritualis vitae cura, progressus in litteris¹⁰.

Praeter hispanos textus hujus monumenti et unum lati-num de quibus adhuc locuti sumus, est italica translatio quaedam antiqua, desumpta ex textu secundo, quocum de

¹⁰ Monumenta duo, quae sub numeris 9 et 10 separatim nos exhibemus, *Matr.* conjunxit tanquam primam et secundam partem unius monumenti (pp. 303-309). Huic errori codex ipse *A* (unde sumpta haec sunt) ansam dedit. Folia enim haec ita ordinata et signata numeris erant, ut a signo 1 ad 7 ea continerentur, quae *Matr.* sub numero 1, a signo autem 8 ad 11, quae sub numero 2 protulit; signa vero illa unius manus, ejusque antiquae, sunt; respondent autem recentioribus 4-14, ac recentissimis 4-10 et 15-18. Quando autem nuperime totus codex, ne complura perirent, ex integro reficiendus visus est; illud aperte apparuit de quo res ipsae suspicionem injiciebant, folia 1-7 (recentioribus iisdemque recentissimis signis 4-10) cum eo folio, quod antiquitus nullum signum habuit, recentius 15, recentissime 11, quodque titulum in facie versa prae se fert: «Determinationes variae cum subscriptionibus sex primorum Patrum», efficere unum codicillum constan-tem octo foliis, diversum ab eo codicillo, qui sub titulo «Para fundar col-legio» est. Hic alter codicillus constat foliis quatuor notatis recentius signis 11-14, recentissime 15-18, quorum in ultimo, etiam in facie versa, titulus alias est, scriptus manu S. Ignatii, «Fundación de collegio».

Res quoque ipsae non obscure indicant, duo esse diversa monumenta, non partes unius. Nam titulus «Determinationes variae cum subscriptionibus sex primorum Patrum» primo, non alteri convenit, cui non sex, sed unus Coduri subscriptit. De his Determinationibus tantum, non de sequenti monumen-to, loquitur Ignatius, quando, enarrans solemnia vota ad S. Pauli a se et a sociis primis nuncupata esse die 22 Aprilis 1541, dicit: «ya hechas sus Constituciones y firmadas», *Monum. Ignat.* ser. 4^a, II, 4.

Deinde alterius monumenti titulus «Fundación de collegio» bis in primo indicari videtur, capitibus 41 et 49.

Tertio in primo monumento Constitutiones primas et solemniter pro-fessis accommodatas habemus, in altero modum constituendi cum collegia-tum domus professorum.

Quamvis autem haec proprie duo monumenta sint, jam tamen a tem-poribus Polanci in unum codicem conjuncta fuisse indicant indices Consti-

verbo ad verbum fere convenit, praeter additamenta pauca, in hoc secundo manu Ignatii facta, quae translatio itala omittit, nominatim verba «y templos» et ea quae ad templa referuntur, in ultima parte monumenti, quae est de memoria fundatorum et benefactorum. In margine retinet quoque signa 10-17, quae textus secundus, ut modo diximus, mutavit in 19-26. Indicia haec sunt et translationem hanc esse antiquam, et additamenta in textu secundo esse alia aliis posteriora¹¹.

ARTICULUS VIII

DE TRANSLATIONE QUADAM ITALICA (Monumentum 11 incerto tempore)

Monumenti sub n. 11 positi titulus «Alcune spiegazioni fatte dal dì 10 Marzo 1541» caet., facile in errorem inducere hominem potest, qui solo titulo contentus ipsum monumentum legere negligat. Sperabit enim ille declarationem se inventurum earum Constitutionum quae mense Martio anni 1541 a Patribus nostris factae sunt, quae videlicet n. 9, et forte etiam quae n. 10 hujus voluminis continentur.

At vero monumentum accurate legens non explanationem sed translationem inveniet paucorum capitum, quae partim in n. 9 partim in 10 hispane efferuntur. Et noster quidem sive translator sive annotator mentionem nullam facit diei 4 Martii, quo Patres ad deliberandum convenerunt, aitque factas esse has Constitutiones die decimo, quo, secundum acta authentica Ignatius et Coduri inter se agere cooperunt; unde certe colligitur eo ipso die non omnia esse absoluta.

Cujus auctoritatis temporisque sit translatio haec nobis non constat. Apographum unicum quod in manibus habere potuimus, antiquum certe non est. Cum tamen sit apographum,

tutionum harum et fundationis collegiorum, qui sunt in codice *Instit. 18, Miscell. de Constit.*, ff. 10 et 11 (hic monumentum 30); percurrunt enim singula utriusque monumenti capita, et folia notant 1-10. Indices tamen ipsi, ut reliqua monumenta, sic duo haec discernunt. adhibitis titulis: «Indice de las Constituciones firmadas» et «Indice de la fundación de los colegios» (pp. 234-235).

¹¹ Est in cod. *Rom. 126*, ff. 11-14.

videamusque aliqua inter antiquissima illa monumenta italico sermone scripta esse, opinari licet, primam hanc translationem fuisse atque ad tempora etiam antiqua pertinere.

Quod vero capita scholasticos nostros attingentia cum prioribus Constitutionibus conjunguntur, cum tamen solius Coduri nomen subscriptum sit; indicium est, translatorem quoque intellexisse, monumentum de collegiis instituendis, etiamsi nullum tempus exprimatur, ad annum etiam 1541 pertinere.

Ex notatione autem illa, quae ipsi monumento apponitur (« Le spiegationi si trovano in un libretto messo nella camera del P. compagno del prouinciale romano »); suspicamur, integrum olim translationem exstisset vel etiamnum alicubi latitare, quam tamen nos expiscare nondum potuimus¹. Nam translatio illa de qua in extremo articulo praecedenti loquimur, continet tantum caput de fundandis collegiis, nihil ex Constitutionibus anni 1541, seu monumento 9.

ARTICULUS IX

OBSERVATA PATRUM, 1551 VEL 1552 (Monumentum 46)

§ 1. De sociis Romam convocatis

1. Ignatius eo animo Constitutiones fecisse, ut eas reliquorum sociorum sententiae subjiceret, complura nobis testimonia confirmant. Cum Petro Fabro, qui, ex Hispania reversus, Romam die 17 Julii anni 1546 pervenit, ibique die primo Augusti proxime insequentis mortem obiit¹, egerat jam Ignatius de sociis ad annum jubilaei, 1550, in urbem convocandis². Deinde anno 1548, die 18 vel 19 mensis Augusti ab urbe scribebant: « A Mtro. Laynez y los de Italia, qué les parezerá de juntarse el año del jubileo»³; die autem 8 Decembris ad P. Araoz: « Que para el año del jubileo piensa N. P. sea expediente... que venga él [ipse Araoz] y Mtro. Francisco y

¹ Translatio antiqua aliis monumenti est in *Epist. Mixtae* I, 587-593, de quo vide infra, c. 2, a. 5.

² *Fabri Monum.* 840.

² *Monum. Ignat.* ser. 1^a, II, 529.

³ Ib., p. 200.

Simón y el Dr. Torres»⁴. Idem fere repetitur de Simone Rodriguez et de Francisco Xaverio in epistolis ad Lusitaniae regem, Joannem III, et ad ipsum Simonem scriptis, etsi forte non missis, exeunte anno 1548 vel ineunte 1549⁵. Obtinuit tandem Ignatius, ut Simon Romam se conferret; quo pervenit mense Februario, die 8, anni 1551⁶.

2. Inter eos qui in Italia versabantur, Alfonsus Salmeron magno cum animorum foenore veronenses cives excolebat. Quare illorum episcopus, Ludovicus Lippomanus, omnem movit lapidem ut Salmeronem retineret, perfecitque ut apud cives suos usque ad illius anni 1550 finem permaneret. Polancus ait, neque Claudio Jajum, neque Salmeronem neque Bobadillam, neque Broet, vocatos esse Romam anno 1550⁷. Liceat locum interpretari, eorum tres vocatos quidem esse, Romam tamen non venisse. Quod enim ad Salmeronem attinet, etsi episcopo Lippomano scribit Ignatius die 11 Octobris anni 1550, optare se ut Salmeron in urbem veniat; episcopi tamen arbitrio rem tandem remittit⁸. Cum vero paulo post, die 11 Novembris, summa iterum comitate suam de adventu Salmeronis voluntatem exponit, sperans fore ut huic voluntati episcopus non resistat; placere tamen sibi ait, si Romam Salmeron perveniat post natale tempus⁹; et ad ipsum Salmeronem die 20 Decembris, ut «passate le 4 feste fra doi o 3 dì si parta, domandando licentia per tornare più presto»¹⁰. Contentus erat Ignatius, modo Salmeron ineunte anno 1551 Romam veniret. Caeterum ipse Polancus narrat Salmeronem Romam venisse mense Januario 1551¹¹.

Jajum vero vocavit Ignatius Romam die 6 Decembris an-

⁴ Ib., 265. Hunc «Mtro. Francisco» censet Aicardo esse Borgiam, vol. V, p. 1031, not. 2; nos putamus esse Xaverium, vide inferius dicta; editores *Monum.* opinantur esse Stradam.

⁵ Ib., 290-291. Dicimus duas epistolas forte non missas esse, quia eae sumaria in regestis cancellata sunt.

⁶ Ib., III, 324; cf. ib. 98-99, 101-104, 116, 251; *Epist. Mixtae* II, 515.

⁷ *Chron.* II, 15.

⁸ *Monum. Ignat.* ser. 1^a, III, 202.

⁹ Ib., 225.

¹⁰ Ib., 241 et 267.

¹¹ *Chron.* II, 162.

ni 1550¹². « De su venida a Roma, que venga, si no le ynpide el tiempo y daño de las cosas de la Compañía ». Jajus tamen in Germania remansit, ut ejus epistolae testantur scriptae Augusta et Vindobona annis 1550 et 1551¹³. De Bobadilla dicemus paulo post, quando hujus monumenti aetatem inquiremus; hic notandum solummodo, etiam illum esse vocatum ; sic enim in *Regesto I*, f. 203v, legimus : « A Bobadilla cose comuni de nuoue ; et che lo aspettamo per il Xbre ». Haec scripta sunt die 8 Novembris 1550¹⁴. De Paschasio Broet, qui hoc tempore Bononiae versabatur¹⁵, praeter illud quod initio diximus, scriptum esse ad socios in Italia commorantes, quid sibi videretur de omnium conventu Romae cogendo, illud tantum invenimus, die 8 Novembris anni 1550 factam illi esse facultatem Romam veniendi : « che può mutarsi di Bologna uerso Roma, o doue uorrà»¹⁶; ejus tamen adventum Ignatius non urgebat, siquidem die 29 mensis ejusdem ei scribebatur : « che non accaderà mutarsi non hauendo desiderio»¹⁷. Quare S. Ignatius nullatenus urgeret Paschasiūm Bononiae commorantem, cum tanto studio Salmeronem v. g. ex oppido Verona et Rodriguez ex Ulisipone evocaret, nobis non liquet. Magnum tamen huic toto negotio lumen praeferit epistola illa ad Simonem Rodericum Ignatii nomine a Polanco data die 13 Septembris 1549, in qua haec inter alia sunt : « Cerca del venir, que el Padre lo ha deseado que se hallasen este año del jubileo en Roma, y así lo conferió con Fabro. Después, visto que se murieron dos [Codurius et Faber], y Mtro. Francisco no se podía sacar, y que se dezía que él [Rodriguez] iría al Brasil o Etiopía, resfríose, y así dexó en las conscientias y voluntad de todos el venir, o no ; y así lo haze aora. Pero que si voluntad ay de ver alguno, que es él, más que otro ; y que en todas maneras venga, pues el rey le ha dado licentia»¹⁸.

Magistrum illum Franciscum, cuius haec monumenta me-

¹² *Monum. Ignat.* ser. 1^a, III, 247.

¹³ *Epist. PP. Broet...* 365-381.

¹⁴ *Monum. Ignat.* ser. 1^a, III, 223.

¹⁵ *Chron.* II, 15.

¹⁶ *Monum. Ignat.* ser. 1^a, III, 223.

¹⁷ Ib. 239.

¹⁸ Ib., II, 529.

minerunt, esse Franciscum Xaverium, certum videtur, et quia hoc nomine vix alius in his epistolis designatur, et quia in epistola ad regem Lusitaniae de Magistro Francisco tria dicuntur, quae uni Xaverio convenient, primum : « *pues está en Goa* »; alterum « *para que (pues está en Goa...)* » diese a S. A. cuenta de su villication y también informase a la Compañía de lo de allá » caet.; tertium, duas has personas, Simonem et Franciscum, esse singulari modo ad obsequium lusitani regis destinatas¹⁹.

E sociis ergo primis vocavit S. Ignatius omnes (Xaverium probabiliter saltem) qui commode, imo nonnullos etiam qui tantum incommodè venire poterant. Paschasiū Broet certe invitavit. E reliquis sociis vidimus paulo ante (p. LXXVII) jam vocatos esse Araoz et Turrianum ex Hispania. Vocavit quoque Natalem ex Sicilia, 15 novembris 1550, iterum die 22²⁰. Ex Hispania vero una cum Francisco Borgia (qui professus quidem Societatis erat, tamen « *adhuc Gandiae dux habebatur* ») Romam venerunt « *Patres Antonius de Araoz, Franciscus Strada, Jacobus Miron, Andreas de Oviedo, quibus etiam adjunctus est P. Franciscus de Rojas et magister Emmanuel de Sa, nondum sacerdos* »²¹.

3. Et quamquam his locis non dicitur propterea Patres convocari, quod Constitutiones examinare deberent; at dicitur v. g. agendum de rebus ad universam Societatem spectantibus²²; ex earum autem rerum numero certe Constitutiones erant. Non dicitur quia non de his solum, sed de omnibus quae « *a la Compañía mucho tocan* »²³ agendum erat, et in aliis hujus temporis epistolis satis indicatur, cum speratur fore ut Constitutiones anno jubilaei in lucem prodeant²⁴. Deinde propositas esse Constitutiones ab Ignatio antiquioribus Patribus « *ut si quid ipsis in mentem veniret addendum, vel detrahendum, vel immutandum, Patri Ignatio suggererent* », dissertis his verbis ex Chronico transcriptis, a Polanco affirmatur²⁵. Et Nadal in sua

¹⁹ Ib., 290.

²⁰ Ib., III, 223 et 237.

²¹ *Chron.* II, 10.

²² *Monum. Ignat.* ser. 1^a, III, 225.

²³ Ib., I, 298.

²⁴ Ib., II, 585.

²⁵ *Chron.* II, 14.

Ephemeride: «Conuocantur *[anno 1550]* a P. Ignatio professi qui commode poterant venire, aliqui praeterea Patres, quasi in generalem congregationem, vt ostenderet Constitutiones, ac notarent si quid videretur»²⁶. Adde testimonium Antonii Brandon, Conimbrica ad Xaverium, 29 Novembris 1551, scribentis: «Con él [Ignatio] se aiuntaron este año de sincuenta, muchos Padres Professos... pera detreminarem las Constituciones della»²⁷. Denique observata ipsa Patrum Lanii, Salmeronis, Bobadilla et Araoz, quae ad nos usque pervenerunt, et monumento 46 hujus voluminis continentur, testimonio luculento sunt. De quo monumento nunc nobis agendum est.

§. 2. De scriptore et aetate hujus monumenti

1. Quisnam monumentum scripserit, non plane liquet. Suspicamur fuisse Joannem Philippum Vitum, qui Polanco erat a manu. Illud vero pluris refert, quisnam nomina Patrum addiderit, quae cum in summis paginis prima et quarta tum in margine leguntur. Ait enim *Matr. verba De Salmerón* in summa pagina prima, et hoc ipsum cognomen compendio deinde scriptum, *Salm* et *Salme*, atque etiam reliqua cognomina, simili modo decurtata, *Lay* (*Laýnez*), *Ara* (*Araoz*), *Boba* (*Bobadilla*), videri scripta ab ipso Salmerone²⁸.

A qua sententia recedere cogimur. Nam primo verba *De Salmerón* initio paginae non videntur a Salmerone scripta. Constatimus alios locos septenos, quibus cognomen *Salmerón* est certe autographum, neque ullus horum locorum huic nostro similis dici potest²⁹. Hic enim suppletur littera n imposito apice supra litteram o; septem illis locis nulla littera suppletur. Ubi autem Salmeron hanc litteram in aliis vocabulis supplet, pro apice utitur linea plana, non tractu verticali bis inflexo, quod noster facit. Littera l hic (non solum initio paginae, sed reli-

²⁶ *Epist. P. Nadal II*, 4.

²⁷ *Monum. Xaver.* II, 162.

²⁸ *Matr.*, p. 337, annot.* et (a).

²⁹ In codice *A*, ff. 2, 9, 10v, 27; in cod. *E*, f. 6; in cod. *Rom. I*, monumenta VIII et XVI.

quis etiam locis) aut flectitur dextrorum in parte summa, aut, more nostris aequalibus frequentissimo, dupli tractu movetur, primo sursum ad dextram, tum deorsum ad sinistram; locis autem indicatis uno tractu recto stat, semel tantum inflectitur in parte quidem summa, at flexu prorsus alio. Deinde tria illa nomina scripta sunt bis hoc modo: «*Lay. Salme. Ara*», «*Lay. Salm. Ara*» (pp. 391, 395, nos *integra transcripsimus*) quibus duobus locis nobis certe videntur scripta manu una; nam praeter formam, calatum, atramentum, quae omnia eadem sunt, mirum sane esset aut scripsisse prius aliquem nomina *Lay* et *Ara* in extremo versu, relicto loco medio ut alius ibidem scriberet *Salme*, aut aliud scripsisse prius in medio versu nomen *Salm* sive *Salme*, locum ante et post relinquens, ad scribenda nomina *Lay* et *Ara*. Atqui manus eadem reliquis locis ea nomina scripsisse videtur.

Cujusnam vero haec manus est? Locus quidam additus, caeteris versibus insertus, est in folio 145 medio, quem scriptum esse a Polanco pro certo damus; est versus ille «*Véase el voto de los scholares*» (p. 394). Cum sit versus hic additus manu Polanci, ejusdem manus sunt praecedentia hoc loco nomina duo *Lay Ara*, quae cum illis verbis unum versum efficiunt, etiamsi in margine posita sint, ac non modo nihil habent, quod manui Polanci non congruat, sed etiam valde illi convenient. Jam reliqua nomina ab his duobus ita parum discrepant, ut a polanciano calamo aliena existimanda non sint; Polanco igitur attribui etiam posse videntur. Si cuiquam vero aliud videbitur, duo saltem certa sunt, neque nomen Salmeronis neque caetera a Salmerone esse scripta, et Polancum saltem illum, quem diximus, versum scripsisse.

Nomen *Bobadilla*, initio quartae paginæ, non videtur scriptum a Polanco; ubi autem in margine ter ponitur decurtatum *Boba* non aliter ac reliqua marginalia eidem Polanco tribui posse opinamur. Ac de scriptore satis dictum est.

2. Quod ad tempus pertinet, cum observata haec tribus praesertim hominibus, Lainio, Salmeroni et Araozio, debeantur, et ita quidem ut quaedam tribus communia sint; haec aut singuli separatim aut communi consilio annotarunt. Quod si ex condicto id praestiterunt, jam de tempore aliquid certi affirmare posse videmur. Etenim Salmeron, ut paulo ante diximus, in

urbem pervenit mense Januario anni 1551³⁰; Laynez vero et Araoz profecti sunt una cum duce Gandiae, Francisco Borgia, die 4 Februarii anni ejusdem³¹. Mense itaque Januario tres illi Patres notationes suas inter se conferre potuerunt. Quamvis autem separatim scripserint, aliusque deinde, v. g. Polancus, omnia observata conjunxerit, eodem etiam fere tempore probabiliter scripserunt, quo Constitutiones examinarunt.

Observata vero Bobadillae vix temporis ejusdem esse possunt. Rosani enim in Calabria a die 24 Martii 1550 ad diem 16 Martii 1551 remansit³². Ac re vera cardinalis Verallus litteras Roma Rosanum ad illum misit die 13 Februarii anni 1551. Potuit autem, quoniam illius tria prima observata, quae praecipua sunt, solam quartam Constitutionum partem afficiunt, quae prius quam caeterae absoluta fuisse videtur (id quod suo loco in Prolegomenis voluminis secundi dicetur), potuit, dicimus, saltem tria illa notare anno 1549 antequam Neapolim proficeretur, vel etiam ipso anno 1551 cum reversus Romam, aliquo, etsi brevi, tempore in urbe immoratus est³³. Ad reliqua duo observata potuit occasionem etiam ex parte quarta sumere collatis capitibus quinto et sexto cum duodecimo et decimoquarto.

Itaque notationes hae, etsi una manu ac tempore transscriptae, non uno tempore factae sunt.

§ 3. Cuinam Constitutionum textui haec observata respondeant

1. Videndum jam est (quandoquidem ad hispanum textum, cuius complura exempla nobis sunt, observata haec referuntur) quemnam textum hispanum respiciant. Hispanici textus historiam in secundo volumine, auspice Deo, enucleatius explicabimus. Ad rem praesentem satis erit indicare duos esse praecipuos textus, quos *A* et *B* appellamus, ducto nomine ex duabus codicibus, in quibus colligati sunt. Cum autem haec observata partim circa textum Constitutionum, partim circa textum Examinis, quod Constitutiones praecedunt, versentur;

³⁰ *Chron.* II, 162 et *Monum. Ignat.* ser. 1^a, III, 287 et 298.

³¹ *Chron.* II, 162 et 164.

³² *Bobadillae Monum.* 166.

³³ *Ib.*, 624.

observata in Examen ad hujus textum, qui est in codice *B*, observata vero in Constitutiones ad textum *A* referuntur.

Nec difficile fuit hanc rem, quod ad Examen pertinet, invenire; collatis enim foliis quae in observatis notantur cum Examine in codice *B*, apparuit, folia omnia inter se examussim convenire. Cum autem in hoc Examinis exemplo sit triplex numerorum series: 1-25, 1-26, 1-27; notationes illae sequuntur medium, quae notata est in summo angulo dextro. Semel tamen tertiam sequitur, ubi nempe notat «f. 10, H» (p. 392); cum vero tertia haec series nostris temporibus addita sit, pendeatque a folio addito initio codicis, quod certe a codice aberat quando haec observata sunt; suspicamur, Salmeronem scripsisse f. 10, pro f. 9v, ubi invenitur et res de qua agitur et littera **H**. Haec de observatis in Examen.

2. At vero in iis quae de Constitutionibus notantur, folia nulla afferuntur, unde alia via ingrediendum fuit. Ubi pars tantum affertur, id quod accidit in observatis ad partes quartam, quintam, nonam et decimam, utrique exemplari *A* et *B*, convenire observata possunt. Idem dicendum de observatis ad caput alterum primae partis. Non raro tamen accidit, ut ea quae observantur, addita sint in exemplo *A*, in *B* autem contextam orationem efficiant. Hujusmodi sunt v. c. declaratio circa aetatem admittendorum³⁴; alia circa domum, in qua procuratores habitare possint³⁵. Ex his locis merito conficimus, exemplum *A*, non *B*, censores habuisse. Nam si habuissent *B*, haec non desiderassent. At clarius indicium est in octava parte. Hujus enim partis notatur caput secundum (p. 394). Jam verba illa «que la autoridad toda de los prepósitos locales nazca de la de los prouinciales» inveniuntur quidem in exemplo *B*, at in capite primo; in exemplo autem *A* sunt in eo quod fuit olim caput secundum, ubi in ima pagina est addita manu Polanci conditio in his observatis a Salmerone proposita, quod tamen additum oblitteratum est. Locus ergo a Salmerone notatus in octava parte soli exemplo *A* convenit³⁶.

Observata tria Bobadillae circa partem quartam exemplum

³⁴ *Const.* I, 3, K; cod. *A*, f. 119v, cod. *B*, f. 103v.

³⁵ *Const.* IX, 6, G; cod. *A*, f. 142v; cod. *B*, f. 149.

³⁶ *Const.* VIII, 1, 6; cod. *B*, f. 81v; cod. *A*, f. 99r.

B penitus excludunt. Etenim cum tria indicet, quae Constitutionibus addenda videantur, haec ab exemplo per Bobadillam notato abfuisse liquet. Censuit enim Bobadilla, oportere ut latina graecave oratio singulis diebus dominicis ab scholasticis haberetur, id quod in codice *B* invenitur. Sic etiam quae de constitutionibus collegiorum edendis separatim legendisque et de communi bibliotheca opinatur, sunt quoque in *B*³⁷. Contra, omnia absunt ab exemplo *A*, ubi neque in textu neque in additis inveniuntur. In exemplo autem *B* non textui addita, sed in ipsius textus corpore ab ipso librario scripta sunt. De textu quartae partis, in quo primum haec sunt, locus erit disserendi in *Prolegomenis* voluminis secundi, quando partis ejusdem evolutionem persequemur. Interim ‘illud habemus, observata Patrum non posse referri ad exemplum *B*, posse autem optime ad exemplum *A*; cum vero aliud nobis huic simile exemplum nullum suppetat, de facto ad illud referri admittimus. Itaque suis locis notationes suppositas vide, unde intelliges, quatenus illae in ipsum Constitutionum textum admissa sint.

§ 4. De observatis quibusdam singillatim

1. Hoc loco pauca quaedam capita, quae longiorem sermonem requirunt, evolvenda sunt. Et primo illud quod ad bonorum seu fortunae abdicationem in folio septimo Examinis notatur. Cum charta hoc loco atramento corrosa sit, multa verba in duobus primis versibus legi non possunt. Bene leguntur illa: «Mírese ...porque» et «puede ayudar» cum reliquis quae sequuntur (p. 391).

Duplex est locus in Examinis foliis 6v et 7r (nunc 7v et 8r), ubi hac de re agitur. Primus incipit a folio 7v: «antes que en alguna casa o collegio della de la Compañía comiençen a viuir en obedientia, deuen distribuir todos los bienes temporales que tubieren y renuntiar y disponer de los que esperaren» caet. Alter paulo inferius, in folio 8r: «antes de la profesión los professos y de los 3 votos públicos los coadiutores con efecto los han de dexar *[bona sua]* y destribuir a pobres»-etc.

³⁷ *Const.* IV, 6, 7 et 13; c. 10, *L*; cod. *B*, ff. 55v, 118v, 54v; v. infra p. 396, annot. 23.

Jam vero si verba tantum quae legimus expendenda sunt, ea ad alterum locum sine ulla fere haesitatione referemus, facile enim ex illis locutionem supplemus «el dexar la hacienda antes de la profesión», quae locutio re vera suppleta seu addita est in hujus monumenti editione matritensi³⁸. Attamen si difficultatem Laynez, Salmeron et Araoz hoc altero loco aliquam habuerunt, ubi dicitur renuntianda esse bona fortunae «ante professionem», atque ex contextu intelligitur «immediate ante professionem», quanto majorem habere debuerunt in primo, ubi dicitur bona distribuenda esse pauperibus ante quam quis domum Societatis ad vivendum sub obedientia ingrediatur. Nam de scholasticis ac multo magis de novitiis (qui certe domum Societatis ingrediuntur ut in ea sub obedientia vivant) illa valent, quae in hac notatione legimus: «en algunos no muy probados que podría después desechar la Compagnía sería gran tentación perder la hacienda y la Compagnía», quae quidem professis difficulter applicari possunt.

Itaque existimamus difficultatem respicere potius locum primum; verba autem in charta corrosa supplemus haec: «dexar la hacienda tanto antes de» adjicientes verbis editionis matritensis voculam illam «tanto», cui, nisi fallimur, locus est sufficiens inter amissa verba; qua quidem vocula significatur agi de renuntiatione bonorum non professioni immediate praemittenda, sed multo ante tempore facienda. Nam ut etiam hoc adjungamus, nisi ipsa professione renuntiatio illa facienda relinquitur, certe saltem proxime ante ipsam professionem necessario faciendam esse, theologi illi Laynez et Salmeron non ignorabant.

Eodem loco verba «o duro» probabilius leguntur quam «antes bien injusto» quae habet *Matr.*, tum propter ipsam sententiam, quia scienti et volenti non fit injuria, tum propter verborum reliquias quae non patiuntur illa tria editionis matritensis. Illa vero «asi como dexalla» etsi bonum sensum continent, omittimus, quia certum est non concordare cum particula litterae remanentis initio phraseos, quae fuisse videtur y, p, q caet., littera videlicet tractus infimi producti.

Textus hic Examinis in folio 7v mutatus non est; nec

³⁸ Pag. 337.

mirum, cum in sequentibus satis mitigata res illa sit, non solum ex additis quibusdam probabiliter saltem propter hanc Patrum notationem, sed etiam ante haec addita. Nam in hoc ipso capite quarto Examinis, paulo inferius, n. 2, permittitur, ob honestas causas, renuntiationis dilatio, idque jam in Examine antiquissimo, ff. 6v-7r. In n. 5 constat posse ad tempus post ingressum remitti abdicationem beneficii ecclesiastici, qui locus etsi non est in Examine antiquissimo, est in textu quem Patres examinarunt.

Deinde in Const. III, 1, 7, iteratur, non esse necessarium sese propriis bonis abdicare probationis tempore (nedum ante ingressum), nisi superior tempore probationis illud injunxerit, qui locus est etiam in antiquissimo textu Constitutionum, f. 31v.

Postremo declaratio E in Const. IV, 4, in textu secundo seu A, f. 132r, ponit posse retineri propria bona post ingressum³⁹.

Quae vero his locis addita sunt, facultatem superioris ad renuntiationem injungendam coercent neque consentiunt eam exigere ante elapsum unum saltem annum probationis. Vide in eisdem locis adscripta, sive manu Ignatii, sive manu Polanci, verba «pasado un año de probación» vel similia.

Praeterea locus de amanda paupertate ut matre in Const. III, 1, 25, integre additus exemplo B, f. 45r, meminit solum renuntiationis facienda post primum probationis annum «de la manera que les fué propuesta en el Examen», nullo modo renuntiationis facienda ante ingressum.

Quod vero ad usum pertinet, scribebat Polancus Patri Francisco Borgiae, 30 Decembris 1554, non solere Societatem illa potestate uti, quae superiori conceditur, ullum ad renuntiationem cogendi, donec tempus professionis vel ultimorum votorum jam instet⁴⁰, id quod omnino est secundum hanc Patrum nostrorum sententiam.

Caeterum res ipsa, quod homines ordinem ingredi pauperes deberent, originem trahere potuit aut ex regula S. Francisci, capite 2⁴¹, aut potius ex eo quod Patres nostri fecerunt, qui prius quam Societatem constituerent, non modo

³⁹ Textus antiquos Examinis et Constitutionum vide in vol. II.

⁴⁰ Monum. Ignat. ser. 1^a, VIII, 212.

⁴¹ Opera S. Bonaventurae, VIII, 397.

omnia abjecerant, sed voto etiam paupertatis sese Parisiis adstrinxerant.

2. Alia notatio est declaranda, quae partes septimam et nonam, et facultatem praeposito generali datam mittendi socios ad fideles vel infideles attingit. Facultas eos mittendi inter fideles, multis ante annis concessa jam erat praeposito generali; inter infideles autem anno 1549⁴². Constitutiones vero partibus septima, 2, G et IX, 3, F, quod ad ipsam rem pertinet, immutatae manent; res enim a Constitutionibus in Declarationes transiit, quae eamdem vim atque Constitutiones habent. Declaratio tamen quaedam est addita manu Polanci in codice A⁴³, quae praesertim in parte oblitterata, huic notationi originem debere videtur. Aiebat enim: « Donde fuesen más puramente infieles, la missión absoluta solamente [1 v. add.] es del sumo pontífice; pero el superior, concurriendo la deuoción de los que se han de ynbiar, podrá tanbién vsarla ». Sed deletis verbis « la missión... vsarla » pergit: « el superior deberá mucho mirar delante de Dios nuestro Señor si debe [2 vv. add. pro a quienes y obl.] ynbiar o no [2 vv. supra] y adónde y quiénes etc. y será siempre del súbdito alegremente accettar como de Dios nuestro Señor [seq. toda obl.] la missión suya ». Similis declaratio addita est manu S. Ignatii in codice A, f. 107r, quae in Constitutionibus, IX, 3, F, permanet.

Mirum forte cuiquam videbitur, quod, concessa praeposito generali a Paulo III, anno 1549, facultate mittendi subditos etiam inter infideles, Lainius, Salmeron et Araoz, hanc in dubium vocare videantur. Re vera de facultate non dubitant; sed indicant esse operae pretium, iterum de re illa cogitare, atque ita relinquere, ut eam ante hoc tempus fuisse existimabant.

Matr. supplet hoc loco⁴⁴ verbum *octaua*, ubi nos ponimus *settima*. In ms. neutra vox est, sed locus vacuus. Supplendum tamen est *settima*, quia in monumento citatur folium 41, pertinens ad partem septimam (vide variationes); in folio autem 41 (quod nunc est 89) codicis A, re vera illud idem legebatur quod legitur in parte nona, capite tertio, posse superiore mittere subditos ad

⁴² V. bullam Pauli III «Licit debitum» datam 18 Octobris 1549, n. 2, p. 358; item infra, c. 2, a. 3, § 2.

⁴³ Fol. 139v.

⁴⁴ Pag. 338, col. 2^a, l. 18.

missiones «entre fieles y infieles⁴⁵», quae phrasis utroque loco codicis *A* oblitterata est. In parte autem octava, capite primo, n. 6, qui locus citatur in *Matr.*, illud unum dicitur, pendere missiones a generali praeposito, nulla facta mentione fidelium vel infidelium, neque aliter se res habet, in exemplo *A*, f. 99r, antiquitus 46, quo Lainius, Salmeron et Araoz utebantur. Exemplum *A*, ut saepe jam diximus, luce denuo donabitur in volumine secundo.

De illo emendato quod ad vulgatam scripturae sacrae versionem defendendam spectat, in *Prolegomenis* textuum latinorum, in volumine tertio, auspice Deo, agemus.

3. Quaeret fortasse quispiam, an praeter haec observata, alia facta sint. Si alia fuissent, locus certe erat in horum duorum altero folio, cuius pagina versa tota fere integra remansit. Scimus tamen alia fuisse, saltem illa quorum Nadal et Polancus auctores fuerunt, de quibus Polancus ad Nadal scribit: «Esta tarde he comenzado a proponer a nuestro Padre lo anotado sobre las Constitutiones por V. R. y mí»⁴⁶. Haec tamen scribebat Polancus die 5 Decembris 1555, itaque quadriennio post observata Patrum in nostro monumento contenta.

Utrum anni 1551 observata plura fuerint necne, statuere adhuc non possumus. Certe in partibus Constitutionum secunda, tertia, sexta et septima exempli *A*, de quibus nihil in his observatis notatur, multa emendata sunt, quae vide, sis, in volumine secundo suis locis; in reliquis autem partibus, praeter primam, multo plura corriguntur quam quae hic legimus.

4. Inter illa vero quae in illis observatis non singillatim, sed in universum emendanda notantur, illa sunt quae secundum Salmeronis sententiam e Constitutionibus in Declarationes transferenda essent. Atqui multa in exemplo *A* aut expresse transferenda dicuntur, aut, calamo circumducto, translata re vera sunt. De his vero commodior erit dicendi locus, cum de evolutione seu historia textus hispani in volumine altero agemus, praesertim quod definire non possimus, utrum alicui aliorum sociorum singulae translationes ejusmodi tribuendae sint, an Ignatio Patri maxima ex parte debeantur.

⁴⁵ In codice *A*, f. 107r.

⁴⁶ *Monum. Ignat.* ser. 1^a, X, 261. Haec observata Polanci et Nadal nondum reperire potuimus.

ARTICULUS X

DE QUINTO VOTO SIMPLICI PROFESSORUM, 1554 (Monumentum 48)

1. Ultimum monumentum, quod, inter prodromos Constitutionum numerandum videtur, est monumentum 48. Ex eo enim nata est constitutio et declaratio, quae, addita in codice *B*¹, perseverat etiam nunc in parte decima, n. 6, et declaratione A. Quamquam vero unus tantum e primis Ignatii sociis Jacobus Laynez, inter eos numeratur, qui hujus deliberationis participes fuerunt; monumentum tamen huic capiti de labore sociorum adnectimus, propterea quod ii omnes re vera inter socios numerabantur, atque in hac re officio illo functi sunt, quo socii primi, cum simul aderant, fungebantur.

2. Ad historiam autem seu genesis monumenti quod spectat, in prima dubiorum polancianorum serie, quam vide in monumento 38, illud etiam legimus: « 12. Si será bien proueer que no pueda ninguno de la Compañía jamás procurar obispado ni otra dignidad ». Responsio huic primae questioni est: « En general será bien ». Dubitans vero ita porro pergit: « Y aunque fuesen llamados o buscados, si será bien que juren de no admittir sin approbación y consentimiento de la Compañía o prepósito della tal dignidad, si no fuesen forzados, y que quedasen con la obedientia dellos ». Huic vero parti nihil hoc loco responsum est (p. 271).

Ad rem praesentem ultimum solummodo membrum facit: « y que quedasen con la obedientia dellos », quod additum videtur, postquam praecedens periodus finita et puncto etiam clausa erat. Sententia clara est: ut illi qui talem dignitatem accipere cogerentur, remanerent sub obedientia illorum seu Societatis et praepositi ejus. Suam mentem Ignatius multo ante expresserat et uberioris declaraverat, ut est in monumento 21, n. 6, p. 166.

3. Ob causas loco suo, in capite sequenti proferendas censemus, dubiorum illorum series ante diem 18 Octobris anni 1549 esse prescriptas. De homine autem Societatis in Aethiopiae patriarcham eligendo (quae res hujus constitutionis pro-

¹ FF. 97r et 149v.

xima occasio fuit) agi coeptum est anno 1546, « sed haec Patriarchae institutio ac missio alias ob causas in multos annos fuit dilata»². Resumpta res est anno 1553³; itaque septem ante annis quaestio illa Ignatii animum occuparat. Utrum hoc medio tempore aliquid constitutum sit necne, exploratum nobis non est. At postquam voluntas summi pontificis plane constitit, cui P. Ignatius minime resistendum censuit, teste Palanco, «cum hujusmodi dignitates, potius ad vitam inter labores et pericula gravissima Deo consecrandam et communni bono impendendam, quam ad ullam propriam commoditatem esse animadverteret»⁴; consultationem fieri jussit, quam hoc monumentum exhibet, ex quo quidem diem, mensem et annum novimus: 17 Septembris 1554.

4. Designatus quidem patriarcha Joannes Nuñez maximo studio Ignatum rogavit ut dignitatem illam a se averteret, litteris datis die 6 Aprilis 1554⁵; nihil dum sive de voto sive de obedientia a patriarcha alicui de Societate exhibenda insinuans. De hac re primum scribit 29 Octobris anni ejusdem⁶, enixe rogans ut e Societate aliquis, ab Ignatio designatus a summo pontifice creetur commissarius, cui patriarcha obedire teneatur. Sed hoc tempore, quid fieri oporteret, constitutum jam erat. Scripsit tamen, ut videtur, inscius etiam quid tunc statutum esset, eaque epistola magnam Ignatio Patri laetitiam peperit, id quod narrat Camara in suo Memoriali⁷.

Emendanda igitur est *Matr.*, annotans occasionem dedisse ipsum Nuñez huic consultationi, quod admonitorem sibi ab Ignatio tradi postulasset⁸.

Monumenti autem nostri deliberatio ipsa scripta est manu Petri Ribadeneira, qui inter subscriptores quoque adest; notatio temporis «Conclusa sunt... 1554» exarata videtur ab Andrea de Oviedo, qui etiam suum nomen monumento supponit. Singula vero nomina subscriptentium existimamus esse autographa.

² *Chron.* I, 171.

³ Ib., IV, 572.

⁴ Ib., p. 578; cf. et I, 171.

⁵ *Epist. Mixtae* IV, 136.

⁶ *Monum. Ignat.* ser. 1^a, VIII, 711.

⁷ Ib. ser. 4^a, I, 238; quo loco emenda notationem 30, legens IV ubi est V, et addens *Monum. Ignat.* ser. 1^a, VIII, 710.

⁸ Pag. 340, annot. (a).

CAPUT SECUNDUM
DE LABORE S. P. IGNATII

Ex dictis in capite primo illud facile colligitur, quod in rerum natura positum erat, praecipuum et maximum parandarum Constitutionum laborem Ignatio Patri inde ab initio incumbere debuisse. Ita rem caeteri socii primi intellexerunt, non modo quando Ignatium et Coduri ad prima illa Constitutionum rudimenta concinnanda elegerunt, sed tum maxime, quando soli Ignatio totam rem curandam tradiderunt.

Sunt autem in his duo monumentorum genera: altera tota sunt ita Ignatii manu conscripta, ut adjutorem hominem aut certo aut probabiliter excludant; altera contra, adjutorem aperte indicant.

Primi generis certe sunt duo: Ephemeris et deliberatio circa paupertatem, quae duo non solum integre scripta sunt manu S. P. Ignatii, sed intimos animi sensus aut privata consilia continent, ad quae sentienda vel expendenda alieno auxilio non utebatur. Ad alterum genus caetera omnia pertinent; in quibus, quaedam manu etiam Patris ipsius, quaedam manu librarii, multa manu Polanci perscripta sunt. Haec autem omnia merito sub una inscriptione «De labore S. P. Ignatii» contineri posse ac debere arbitramur, quia sive ipse per se Ignatius illa cogitaret et scriberet, sive adjutorio Polanci vel etiam aliorum tum ad scribendum tum etiam ad investigandum uteretur; maximum ipse onus sustinebat, sua auctoritate res omnes fulciebat.

Complectimur hoc capite monumenta posita sub numeris 17, 19, 20, 21, 24, 25, 26, 27, 28, 29, 30, 31, 32, 34, 35, 36, 37, 38, 41, 42, 43, 44, 45.

ARTICULUS I

DELIBERATIO DE PAUPERTATE, 1544 (?) (Monumentum 17)

1. Hanc Deliberationem Ignatius manu sua integrum perscrivit, neque aliena manus quidquam his duobus foliis addidit, praeter ea verba: «Beati Patris nostri circa paupertatem Societatis», quae sunt in f. 39r, in ea parte, quae pura erat.

Titulum S. Ignatius praeposuit triplicem; primum de incommodis paupertatis strictioris, quae sunt commoda paupertatis remissioris; secundum de incommodis habendi, quae sunt commoda non habendi; tertium (quam rem latius evolvit) de commodis et rationibus ad omnes reditus excludendos. De dispositione ipsius monumenti, confer notationem 1, p. 78.

Quod ad tempus attinet, aut primis mensis Februarii diebus aut ante illum mensem anni 1544 scriptum monumentum esse arbitramur; nam die 8 Februarii seu capite 7 Ephemeridis videtur jam mentio fieri hujus deliberationis, ut mox dicimus.

2. Censemus autem agitari paupertatis modum quemdam, de quo in Ephemeride Sanctus Pater diebus primis quadraginta agit. In his enim, die 8 Februarii, scribit, facta electione obtulisse se Deo id quod ex rationum momentis optimum videbatur, id est, nullos reditus habere (p. 88); saepe deinde electionum meminit, ac nominatim die undecimo loquitur de rationibus «que tenía escritas» (p. 90), quae quidem et re et verbis huic nostro monumento aptissime congruunt. Jam vero in Ephemeride illam quaestionem agitabat utrum expediret necne, ut templa Societatis reditibus fruerentur, quibus etiam Societas juvari posset. Hanc rem non modo ex nostris historiis, quae tradunt, Ignatium per dies quadraginta in ea re Deo commendanda versatum esse, sed ex testimonio, ipsius Ignatii, quod nobis Consalvius de Camara transmisit, cognovimus. «In particolar mi disse in le determinationi, delle quali stette 40 di dicendo ogni di messa et ogni di con molte lagrime, et la cosa era se la chiesa haurebbe alcuna entrata, et se la Compagnia si potrebbe aiutare di quella»¹. Quae quidem omnia melius intelliguntur, perspectis iis quae in monumentis 9 et 10 de paupertate continentur.

In ipsa Ephemeride expressa fit mentio paupertatis templorum, v. g. in c. 15°, f. 4v: «ofreiendo al Padre el no tener ni para la iglesia» (p. 95).

3. Itaque de templorum paupertate deliberat, et quasi per transennam paupertatem Societatis vel potius sociorum attingit. Constituerant enim socii anno 1541, templo seu sacristiam reditus aliquos habere, et Societatem ad res quasdam necessarias,

¹ *Monum. Ignat.* ser. 4^a, I, 98.

quae ad victimum et vestitum sociorum non pertinerent, his redditibus, annuente superiore, juvari posse². Sed tum ex hac deliberatione tum ex Ephemeride liquet, hanc rem S. Ignatio non satisfecisse, unde mirum non est tam multa commoda et rationes ad excludendos omnino reditus, paucas ad hos admittendos invenisse, cum censeret, statuta illa ab ea perfectione recedere, quam socii prius animo preeceperant.

Hanc fuisse causam, conjicimus ex iis quae numeris 13 et 14 monumenti hujus afferuntur: «13. Esta [pobreza no teniendo cosa alguna de renta] elegiendo todos diez nemine discrepante, tomamos por cabeza al mismo Jesú, nuestro Criador y Señor para yr debaxo de su bandera, para predicar y exortar, que es nuestra profesión. — 14. Desta manera nosotros pidiendo, nos fué concedida la bula, y después esperando la expedición por vn año y perseverando en el mismo asensu, nos fué confirmada por su santidad» (p. 80).

4. Haec animum sociorum exhibent, quem in contemplatione de duobus vexillis conceperant, cujus etiam verba et sententiae in mentem revocantur, ducem, scilicet, Christum, elegerunt, ut sub eius vexillo militarent, idque in summa paupertate ad praedicandum et exhortandum; non aliter atque illi servi et amici, quos Christus, summus bonorum dux, ad suam inter homines doctrinam spargendam eligit mittitque³.

Certum itaque ex hoc loco est, eo tempore nullos voluisse Patres nostros reditus habere; deinde vero in eo consensisse, ut sacristia, tanquam subjectum a Societate distinctum, reditus aliquos habere posset⁴.

At vero dices: unde haec varietas? Primo paupertatem sine ullis redditibus, deinde cum redditibus pro sacristia? Imo (paulo inferius dicemus) tertio exclusis redditibus etiam pro sacristia.

Haec res duobus hominum generibus negotium facessere potest: primo iis qui opinantur, institutum Societatis Jesu ita Sancto Patri nostro a Deo esse revelatum, ut omnia quae in Constitutionibus anno 1556, Ignatio vita functo, reperiebantur,

² V. monumentum 9 et ejusdem annot. 3, p. 33.

³ *Exercitia*, nn. 144-147.

⁴ V. monumentum 9, ib., et monumentum 15, p. 69.

inde ab initio fixa et firma essent; secundo iis qui aut hominum facultates aut Dei lumina ignorant.

Quod ad primos illos attinet, errorem suum deponant necesse est, nosque illis juvandis nostram operam pollicemur. Hi vero qui admirantur S. Ignatium modo unum, modo alterum cogitasse, recogitent oportet, non solum facultates hominum ejus naturae esse ut unum post aliud ediscant, unum ex alio concludant; sed etiam Deum alia aliis temporibus suggerere posse ac reapse sugerere.

Et mens quidem nostra saepissime, in re praesertim morali, probabilibus contenta esse necessario debet, ac proinde novis accendentibus causis aliam rem probabilem, vel probabiliorem vel etiam minus probabilem amplectetur. Deum autem aliud alio tempore praecipere, multo magis sugerere posse, sacra ipsa biblia fidem faciunt. Deus urbem Ninivem subvertere constituerat, ninivitis tamen poenitentibus incolumem servavit⁵.

Quid ergo mirum si Ignatius ejusque socii primo quidem unum paupertatis modum, deinde alium amplectendum opinati sunt? Fortasse etiam hoc in causa fuit, cur in ea re statuenda tamdiu postea Ignatius immoratus sit, cur tanto animi aestu Deum iterum atque iterum rogaret, ut electionem factam confirmaret.

Etiam Sta. Teresia a Jesu, magna illa ordinis Carmeli restauratrix, voluit primo cum redditibus monasteria constituere, postea partim sine redditibus partim cum redditibus constituit⁶.

ARTICULUS II

DE SANCTI IGNATII EPHEMERIDE, 1544-1545 (Monumentum 19)

Unum monumentum est quod prae caeteris Ignatii Patris in condendis Constitutionibus laborem ac diligentiam magnopere declarat; est autem Ephemeris illius. Ideo nobis visum est non modo illam in hoc volumine integrum (quae quidem

⁵ Jonae 3.

⁶ Cf. *Vida de Sta. Teresa de Jesús* por el P. FRANCISCO DE RIBERA, I. 2, cc. 3, 11, 13.

ad nos pervenit) proferre, sed singularem tractationem de illa hic instituere¹.

§ 1. De externis monumenti notis

1. Ac primum quidem, codicis descriptione accurata suum in locum rejecta, nonnulla de notis insignibusque externis hic adjungenda sunt. Integrum monumentum ita est manu S. P. Ignatii scriptum, ut aliena manus nusquam, in foliis ab eo scriptis, appareat. Ipsa etiam foliorum notatio prisca, quae in prima parte ad folium 13, in altera ad 8 protenditur, ab Ignatio Patre facta est.

Hae duae partes, quod ad modum scriptarum rerum attinet, magnopere inter se discrepant. Nam in prima parte, etsi multa sunt quae nobis obscura et nimium brevia videri possunt, multo tamen uberius quam in parte secunda omnia fere semper enarrantur. Nam in hac altera parte et res ipsae paucissimae, saepissime una tantum, sunt, et uno fere verbo indicantur, potius quam exponuntur.

2. Quid causae fuerit, cur eam rationem Sanctus Pater sit amplexus, conjectura tantum assequi possumus, si tamen possumus. Fortasse simplicissima causa fuit, multitudo negotiorum seu defectus temporis, vel quia (quod eodem recidit) recolere scripta identidem exoptans, breviora facilius recolebat. Cujus rei solidum fundamentum accipe. Sunt in nostro ms. loci nonnulli quos Ignatius ipse calamo circumduxit. Undenam novimus, id manu Ignatii esse factum? Siquidem tractus hujusmodi qua manu exarati sint, difficillime divinabis. A providente Deo tamen factum est, ut, praeter monumentum hoc integrum, unum aliud folium asservaretur, in quo manu Ignatii transcripta sunt illa quae in fusoribus notationibus calamo circumdata notamus². Signatur hoc folium numero 2, absolvitur autem abrupto sensu post verba «y a la Sanctissima Trinidad vn respecto de»; unde jure concludimus et aliud folium primum et tertium saltem existisse. Continet autem quae calamo circumdata sunt in capi-

¹ Cf. RIBADENEIRA, *Vida*, l. 4, c. 2, et l. 5, c. 1. Id se valde optare complures, etiam non rogati, nobis significarunt.

² Hujus folii notitiam et descriptionem habes codicis Ephemeridis descriptioni adjunctam.

tibus 18, 20, 22, 23, 24, et partem eorum quae sunt clausa in capite 26 (pp. 100-101, 102-103, 104-105, 106, 107, 108). In adjuncta imagine paginae secundae folii matritensis maximam eorum partem legere potes.

Attamen, etsi in 15 capite nulla res circumdata calamo est, sunt tamen in illo folio quaedam ex eo capite excerpta (ex p. 95, ll. 5-10 «sentiendo en mi... destierro pesado»); reliqua autem capita, e quibus nihil transcribitur, notantur numero ordinis, nomine diei et titulo missae. Quod si in folio primo illa excerpta erant, quae capitibus quatuordecim primis continentur (folio hoc secundo excerpta sunt capita duodecim) septem fere folia ad duo contracta erant. Tredecim autem quibus pars prima tota producitur, ad folia tria quatuorve redacta essent. Merito dixeris longioris Ephemeridis breviarium.

Jam si annotationes suas habere voluit Ignatius breviores, quidni jam primam scripturam breviorem faceret? Ergo brevitatem secundae partis minus mirabimur. Quod si pars illa compendii quam novimus, longitudine tamen rebusque ipsis a secunda non parum, maxima ex parte, discrepat, iisdem vel similibus causis hoc tribui posse videtur, praesertim cum in secunda usum etiam signorum quorumdam videamus (de quibus infra, § 3, dicemus), quae a prima parte omnino absunt, quaeque brevissimum textum multo tamen breviorem in margine ante oculos ponunt.

3. Externis monumenti notis et insignibus tempus etiam et locum quibus monumentum scriptum est, annumeramus. Optime P. Feder ostendit, incepisse Ignatium has notationes die secundo Februarii anni 1544. Cum enim festus dies S. Matthiae, secundum notationem S. Ignatii, inciderit in feriam secundam seu diem lunae (lunes), feria autem quarta proxima fuerit quoque feria cinerum seu primus temporis quadragesimalis dies «del primero de coaresma»; necesse est utraque adjuncta eo anno accidisse, quo Ignatius Pater notationes has conscribebat. Atqui utraque anno bissextili 1544, nulli praeterea anno inter 1540 et 1550 (quo decennio scribi debuisse Ephemeridem aliunde notum est) conveniunt³. Haec autem ita se ha-

³ Aus dem geistlichen Tagebuch des hl. Ignatius von Loyola, p. 3. Annum designatum recte esse a Böhmer (*Studien*, I, 308) notat Feder, si-

bere invenies apud Grotfend, quem citat Feder, vel apud A. Capelli⁴.

Poteris, si lubet, alios dies festos a S. Ignatio notatos vestigare; invenies diem S. Marci (25 Aprilis) fuisse feriam sextam; diem S. Joannis Baptiste (24 Junii), feriam tertiam; visitationem B. Mariae Virginis (2 Julii) feriam quartam; diem nativitatis, feriam quintam. Item licebit festa quae mobilia dicuntur, conferre; habes indicatam dominicam sexagesimae per epistolam ubi sunt verba S. Pauli ad corinthios «libenter suffertis insipientes»; fuit die decimo septimo Februarii; dominicam passionis per verba evangelii «similis ero vobis mendax»; fuit die trigesimo Martii; dominicum sacrum paschatis suo proprio nomine; incidit in diem decimum tertium Aprilis.

Addе, mensibus Octobris, Novembris, Decembris, Januarii et Februarii, notavisse S. Ignatium non solum dies hebdomadis, sed etiam mensis; atque haec omnia ad amussim convenire mensibus tribus ultimis anni 1544 et duobus primis anni 1545, cuius mensis Februarii dies 27, feria sexta, ~~ultimus~~ est qui notatur. Certa ergo conclusio est, hos tredecim menses, a die secundo Februarii anni 1544 ad 27 mensis ejusdem anni sequentis, hac Ephemeride contineri, dies trecentos nonaginta duos⁵.

Ad hoc tempus, seu ad ineuntem annum 1544, pertinet epistola ad universam Societatem per Hieronymum Domenech data, in qua is ait Ignatium Constitutionibus concinnandis operam dare⁶. Neque in paucissimis epistolis illius temporis aliud de Constitutionibus invenitur.

4. Quod si hae notationes hoc tempore scriptae sunt, jam inde patet, easdem Romae scriptas esse, nam ibidem hoc tempore Ignatius morabatur. Locum vero magis definitum ex opere P. Tacchi

mulque fugisse diligentem vestigatorem, annum 1544 fuisse bissextilem, unde factum sit ut festum diem S. Matthiae ~~in~~ 24 Februarii posuerit, et initium Ephemeridis die 1º mensis ejusdem.

⁴ GROTFEND *Taschenbuch der Zeitrechnung des Mittelalters und der Neuzeit*, 1915, 182 f; A. CAPELLI, *Cronologia o Calendario perpetuo*, Milano, inter *Manuali Hoepli*, p. 158 pro anno 1544, et p. 142 pro anno 1545.

⁵ Hinc emendandus Bartoli in vita S. Ignatii, l. 4, c. 29, contrahens ad quatuor menses tempus Ephemeridis.

⁶ *Monum. Ignat.* ser. 1^a, I, 290.

Venturi *Le Case abitate in Roma da S. Ignazio di Loyola* deducimus. Facta enim diligentissima vestigatione circa varias domos, quas S. Ignatius, dum Romae versatus est, incoluit; haec ad rem nostram, affirmat: «4. Circa il primo febbraio 1541... Ignazio con i suoi si trasferisce in una casa degli Astalli di rimpetto alla chiesa... 5. Nel settembre 1544 ha luogo l'ultimo cambiamento dalla casa Astalli alla propria che il nuovo ordine si veniva edificando presso S. Maria... È la casa della quale rimangono solo le stanzucce abitate dal S. Fondatore, tramutate ora in devoti oratori»⁷. Unde concludes, cubiculum cuius Ignatius Pater in prima parte suarum annotationum saepissime meminit, non esse illud quod a mense Septembri 1544 usque ad extremum vitae spiritum incoluit, siquidem prima illa pars absoluta est die duodecima Martii anni ejusdem; in hoc autem cubiculo quod unum nostris temporibus est ex illis «devoti oratori» scripsisse revera illa quae a mense Septembri (sive ex integro sive ex parte) anni 1544 ad extremum Februarium anni 1545 conscripsit, nisi forte his mensibus cubiculum illud supra januam habitaverit, de quo mentio fit in memoria quadam edita apud *Monumenta Ignatiana*⁸.

5. Quoniam vero de annis ac mensibus quibus scripta est Ephemeris constat, possumusne dies quoque ipsos diligentius rimari? Mira forte alicui haec inquisitio videbitur, animo recolenti et nominari in ipsa Ephemeride hebdomadis dies, et dixisse S. Parentem Ludovico Gonzalez de Camara se, Constitutiones Societatis facientem, quotidie solitum esse illa scribere quae animo suo contingenter: «Quando diceua messa auea anche molte visioni; et che quando faceua le Constitutioni le haueua anche molto spesse; et che adesso lo pò questo affirmare più facilmente, perchè ogni di scriueua quello che passaua per l'anima sua, et lo trouaua adesso scritto»⁹. Ex his verbis nonne jure arguimus, singulis diebus eas notationes esse scriptas, quae ad dies singulos referuntur? Etsi fatemur ita quidem saepe accidere potuisse; stricte tamen ea verba hoc modo intelligi, ne-

⁷ Pag. 35.

⁸ Cf. TACCHI VENTURI, *La Romanità dei Santi, S. Ignazio di Loyola*, p. 28 et annot. 13; *Monum. Ignat.* ser. 4^a, I, 560.

⁹ *Monum. Ignat.* ib., p. 97.

cessarium non ducimus; imo quominus ita semper intelligamus, nonnulla certe obstant.

Etenim capitibus undecimo et duodecimo primae partis scripserat Ignatius: «11º miércoles», «12º Jueves» (pp. 91, 92), quibus deletis, scripsit *martes* et *miércoles*. Deinde capite decimo tertio «13º vie» atque hoc verbo (*viernes*) imperfecto, sequitur uno tractu eodemque versu *jueves* caet. (p. 93). In secunda parte, f. 20v, scripserat prius *viernes*, *sábado*, *domingo*, *lunes*, quae deinde mutavit in *sábado*, *domingo*, *lunes* et *martes*; verbum autem *viernes*, et pauca alia quae illud comitantur, addita videntur (p. 139). Denique in f. 23r scripta erant nomina *domingo*, *lunes*, *martes*, *miércoles*, *jueves*, *viernes*, quibus deletis, supra versum scripta manent *lunes*, *martes*, *miércoles*, *jueves*, *viernes*, *sábado*, et ante versum, ubi appetet obliteratum verbum *domingo*, interposita haec tria verba: «domingo, no me acuerdo» (p. 145).

6. Similis et ad rem nostram multo majoris momenti emendatio est initio partis secundae. Scripserat prius Sanctus Pater continentis oratione: «Viernes. Del día. Antes de la misa, por toda ella y después con muchas lágrimas terminándose», quibus obliteratis sequitur «terminándose antes de la misa» etiam obliteratum. Deinde vero, addito supra verbo *jueves* bis scripto, semel deleto, sequuntur haec: «En la misa con vn conformarme con la voluntad diuina en no haber lágrimas» caet. (p. 126). Porro ad diem sequentem, qui prius vocatus erat *sábado*, deinde vero *viernes*, legimus: «Antes de la misa, en toda ella y después della con muchas lágrimas terminándose» caet. Quae verba eadem sunt atque illa quae prius erant scripta ad diem praecedentem. Cum autem illa quae primo die, ab illis quae secundo die expertus est adeo diversa sint, nam primo die nullas lacrimas, secundo multas habuit; scribere non potuit primo die ea quae sibi in secundo evenerant, ac proinde necessum est admittere, saltem hac vice scriptas non esse annotationes eo ipso die quo id acciderat quod narratur. Id vero etiam alias accidisse et locis emendatis paulo ante collectis probabili conjectura concludimus. In folio enim 23 verba illa «Domingo, no me acuerdo» sic interposita sunt inter praecedentia et sequentia, ut posterius etiam scripta videantur; porro posterius erat: «domingo, en la misa con muchas lágrimas»; delecta vero voce

domingo, supra scriptum est *lunes*; unde prius multas illas lacrimas pertinere ad diem dominicum putarat, deinde vero pertinere ad feriam secundam vidit; quandonam vidit? Nempe quando emendavit nomina caeterorum dierum illius hebdomadis, (sunt enim, ut diximus, sex nomina hic emendata) tuncque vidit se non recordari quid die dominico sibi accidisset, interseruitque magna simplicitate «*Domingo, no me acuerdo*». Quae quidem verba, si cum similibus quibusdam conferantur, scripta non esse ipso die dominico, per se satis ipsa significant. Nam f. 22r, c. 46, ait: «*Juebes. No sé*» (p. 143). In f. 19v capita duo, 40 et 41, ducto calamo in unum colligens scribit: «*me parece con ellas*» (id est, con lágrimas); sequentia tria, 42, 43, 44, simili modo conjungens, tresque dies una sola notatione complectens, ait: «*me parece sin ellas*» (p. 136). Quid inde? Probabiliter in fine hebdomadis scripsit, quantum recordari potuit, ea quae sibi per totam hebdomadem acciderant, id quod ipsa scripturae conformatio, quam typis quoque nostris ante oculos quodammodo ponere conati sumus, persuadet; praesertim cum in capite 46, hoc eodem loco, die dominico, notatis breviter quae ad ipsum diem dominicum pertinent, subito multo plura subjungit de sensibus, quos per totam hebdomadem expertus erat.

Unde verba illa Ludovici de Camara intelligenda ita sunt, quasi, tantisper loco mutata, dicarent: «et che adesso lo pò questo affirmare più facilmente, perchè *allora* scriueua quello che ogni di passaua per l'anima sua» caet. Similiter explicandus quoque Ribadeneirae locus: «Escribía día por día las cosas que pasaban por su alma»¹⁰ caet. Neque tamen inficiamur, posse haec ut sonant intelligi, si illud *quotidie* premendum non sit.

Denique indicia certa sunt, unde colligimus, S. P. Ignatium, sive hos animi sensus eo ipso die scribebat, quo illos habuerat, siue alio die, scribere solitum esse vel declinante jam die vel nocturno tempore. Nam saepe narrat quid sibi post meridiem acciderit; interdum expresse illud affirmat: «Después a la noche algunos ratos de escribir esta» caet. (p. 118); in fine capitulis 25^{bis} «Después... me duró todo el día en peso vna mucho interna y calorosa deuoción» (p. 120). In capite 27^{bis}:

¹⁰ *Vida*, I. 4, c. 2.

«El día todo andando con asaz contentamiento del ánima, a la noche me parecía» caet. (p. 122). In capite primo partis secundae: «Después todo el día con contentamiento y placer de ánima» (p. 126). Atque haec de notis monumenti externis dicta sunt.

§ 2. De monumenti natura

1. De hac re breviter nec sine timore quodam ac reverentia disserendum est. Ac primo quidem hujusmodi rerum, quae inter Deum et animam locum habent, scribendarum finis ille est, quem primus in condenda Societate socius Ignatii, Petrus Faber, initio Memorialis sui, adhibitis psalmi sententiis, expressit: «Benedic, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus»¹¹, recolenda scilicet ac retinenda beneficiorum Dei memoria. Haec, nisi fallimur, causa est cur in his annotationibus multo plures Dei erga Ignatium, quam Ignatii erga Deum amoris notas admiremur; vix enim illa invenimus, quae Ignatius, ut ejus in Exercitiis dicendi modum usurpemus, pro Christo praestare volebat ac re vera praestabat; contra vel immissa divinitus menti lumina, vel accepti animi sensus, vel illustrata caelestium ac divinarum personarum arcana mysteria, vel confirmata haesitans voluntas, vel levatus timore animus, quotidie fere notantur. Ipsam illam rem quam diebus multis agitavit, utrum expediret necne, ut Societatis saltem tempula redditibus fruerentur (quibus ipsa Societas juvari posset) plerumque non quaesitis hinc inde rationum momentis proponit, sed coram Deo statuit, eumque iterum atque iterum rogat, ut confirmet, si placeat; ac modo Patrem, modo Filium, modo Spiritum Sanctum confirmantem, roborantem sentit; verbo, eam rem, non tamquam «oblationem majoris momenti» a se vel a Societate faciendam, quamvis id re vera esset, sed tanquam divinum beneficium vel potius multorum divinorum beneficiorum occasionem plerumque contemplatur.

2. Imo cum jam primis diebus ad rem nullam habendam magnis consolationibus Ignatius moveretur¹², jamque a die octavo et deinceps id pro comperto ac definito daret, die autem

¹¹ Ps. 102, 2; *Fabri Monum.* 489.

¹² Cf. cc. 1-7, *infra*, pp. 86-89.

decimo statueret, non amplius ea de re cogitare, nisi ad gratias Sanctissimae Trinitati agendas, cur per dies quadraginta ea deliberatio, si tamen posthac deliberatio dici potuit, perducta est? Hujus rei causam non unam quidem fuisse opinamur; sed illam, de qua nunc agimus, divinarum consolationum copiam, qua in ea re cum Deo pertractanda fruebatur, nullo modo excludendam ducimus. Jam enim in capite trigesimo scribit: «Pareciéndome que yo no devía definir el tiempo para acabar, hallando la visitação en el cabo, mas entonces o quando a la su diuina magestad le pareciese seer mejor, comunicándome la tal visitaión» (p. 111). Porro cum die trigesimo quinto (seu capite 25^{bis}) denuo dubitaret essetne tandem finis imponendus, velletque missam de Trinitate die sequenti celebrare (futura haec erat tertia decima missa de illo mysterio) ac finem facere; subito «me vienen, inquit, muchas moções y lágrimas, y de rato en rato con mucho espacio de tiempo grandes moções, sollocos y grandes efusiones de lágrimas, tirándome todo al amor de la Santísima Trinidad, con muchos coloquios haciendo y viendo disposición para más y más gozar de sus visitações muy intensas, si quisiera esperar, y humillándome, y pareciéndome que no debo poner término para en aquel finir [*ut in eo finiam*], mas donde se me descubriere y fuere visitado, y así poniéndome todo para terminar y gozar donde le hallase» (p. 120). Quae quidem si bene capimus, significant intellexisse Ignatium non debere se divinis visitationibus terminos constituere, sed eas accipere, iisque tamdiu perfrui, quamdiu Deo O. M. visum esset. Utebatur nempe prudentissimus animorum magister, etiam in re altissima, eo consilio, quod exercitia aggredientibus in additione quarta suggerit: «en el punto en el qual hallare lo que quiero [*devotionem* recte interpretatur versio prima] áy me reposaré, sin tener ansia de pasar adelante hasta que me satisfaga» ¹³.

3. Est ergo Ephemeris haec quasi catalogus beneficiorum a Deo acceptorum, quae Ignatius Pater, gratissimo erga Deum hominesque animo praeditus, litteris commisit, non solum quo altius memoriae inhaererent, sed ut iis identidem legendis animum erga tantum benefactorem vehementiori in dies caritate accenderet.

¹³ *Exercitia*, n. 76.

Hujus lectionis atque horum affectuum indicia in monumento ipso habemus. In capite septimo partis primae dicit: «Esto después leyendo, y juzgando estar bien escrito, venirme vna nueva deuoción, non sin ágoa a los ojos; después acordándome destas gracias recibidas, vna nueva devoción» (p. 89). In capite decimoquinto: «A la noche sacando las cartas para veer y hacer las razones de las electiones... Despues... me parecía no seer para qué veer más electiones; y con esto cubriéndome tanto de lágrimas, y con tanta intensa deuoción, solloços y regalos spirituales» caet. (pp. 95-96) In capite trigésimo quarto, ad finem: «Despues a la noche, algunos ratos de escribir esta, se representaba lo mismo» caet. (p. 118). Denique in ipsa Ephemeride invenimus, mentionem etiam fieri rerum earum, quae superioribus diebus acciderant. In capite v. g. quadragesimo sexto secundae partis: «Así mismo en todas las misas de la semana, avnque no tan visitado de lágrimas, con maior quietud y contentamiento» caet. (p. 137).

Ipsius vero Ephemeridis mentionem in Actis S. Ignatii a P. Consalvio nobis transmissis invenimus¹⁴, unde, firma illorum beneficiorum memoria undecim annis postquam illae scriptae erant, anno 1555, apud Ignatium permanebat.

4. Est ergo Ephemeris in primis grati erga Deum animi praeclarum monumentum. Est et simplicis ingenii sincerique testimonium. Quod enim scribere volenti non venit in mentem quidnam sibi certo quodam die contigisset, notat: «Juebes, no sé» (p. 143), vel «Domingo, no me acuerdo» (p. 145). Quid quod communissimas ac vulgares inprimis distractionis perturbationisque causas indicat? «Disturbo de siluar, tamen, no así inquieto» (p. 138, n. 50); «el leuantarme de la oración por hacer callar». (p. 92, in variatis post ver. 32).

Quanto autem haec notata magis ad humanam naturam conditionemque appropinquant, tanto caeteris illis divinum quiddam sonantibus majorem fidem adjungunt. Illa vero humana hoc quoque nos docent, quanti vel minimas animi labes Ignatius faceret, quanto studio perfectissima quaeque consecaretur.

Die duodecimo Februarii a loco in quo orabat surrexerat,

¹⁴ *Monum. Ignat. ser. 4^a, I, 97.*

ut aliquos loquentes ad silentium, domui religiosae conveniens, revocaret (p. 92 in deletis post l. 32); postridie fatetur «haber mucho faltado en dexar a las personas divinas», atque in hujus delicti poenam animo volvit a missa de Trinitate celebranda per hebdomadem abstinere «haciendo penitencia con la tal ausencia»; ad Jesum Redemptorem ejusque Matrem, qui veniam sibi obtineant, confugit (pp. 92-93). Ac paucis post diebus: «Después, para salir a misa, comenzando la oración, un sentir o representárseme Nuestra Señora y quanto avía faltado el día pasado, y no sin moción interior y de lágrimas, pareciendo que echaua en vergüenza a Nuestra Señora en rogar por mí tantas veces, con mi tanto faltar, a tanto que se me escondía Nuestra Señora» caet. (p. 94).

Alio die, decimosexto Martii, cum antea sensisset summa cum reverentia et amore ad Deum esse accedendum, ad hanc reverentiam potius exhibendam, quam ad lacrimas vel visitationem ipsam animum esse convertendum putat, «el contrario, id est, aduertir primero las visitaciones que al acatamiento juzgando seer malo», quae quidem verba, patet non ita esse intelligenda quasi judicaret Ignatius genus aliquod peccati esse prius ad consolationem quam ad reverentiam animum advertere, sed genus quoddam imperfectionis esse arbitratur, ac propterea, ut eodem loco dicit, «refutando [i. e. rejiciebam] lágrimas o visitaciones quando me venía el aduertir a ellas o deseárlas; y así aduertiéndome primero al acatamiento, las visitaciones venían consequentes» (p. 128). Oculatus valde animus Ignatii erat, qui haec bonorum operum discrimina perspiciebat¹⁵.

Summum ergo sanctitatis studium Sanctus Pater nihil cogitans hac Ephemeride ostendit; scribebat enim ad usum mere privatum, quippe qui ne ipsi quidem Consalvio de Camara, omnium animae ejus recessuum conscio, tradere voluerit¹⁶, nedum fore suspicaretur, ut annis labentibus in omnium oculos aspectumque proferrentur, quod nos tamen, bona ejus nunc venia, maximo cum amore et quanta possumus reverentia, facimus.

¹⁵ De hujus loci lectione consule § 4, n. 3.

¹⁶ Monum. Ignat. ser. 4^a, I, 97.

§ 3. Signorum quorumdam declaratio

1. Ex eo autem quod notationes hae sibi uni Ignatius destinasset, factum est, ut nobis quaedam plus minusve obscura sint; ideoque quo facilius ac sine offensione hocce monumentum percurras, hic nonnulla visum est enodare, quae negotium facessere possunt.

Atque ut a facilitoribus exordiamur, ex iis quae de chronologia supra diximus, facile constat, numeris, qui singulis diebus ab initio notationum usque ad finem mensis Septembris praeponuntur, non dies mensium significari, id quod etiam exinde clarissime elucet, quod numeri ita inter se succedunt: 1-34; 25-30; 1°-4°; 1-39; 30-59 caet. Nam mensibus Octobri et sequentibus dies mensis numeri certe indicant. Quid vero prius significant? Initio certe sunt capita, non solum quia primis numeris praeponitur c, scribiturque *c. 1°, c. 2°, caet.*, quae ratio Ignatio consueta est ad significandum *capítulo primero, capítulo 2° caet.*; sed quia in capite 19 scribit «como está dicho en el capítulo 17» (p. 102), etsi numero 17 neque littera c praeit, neque littera o adjungitur. Caeterum solebat S. Pater singula rerum capita, etiam multo breviora quam quae in prima Ephemeridis parte continentur, capitula vocare, id quod in antiquissimo Examinis textu licebit videre¹⁷.

2. Quamquam vero hi numeri dies mensis non significant, ita nihilominus singuli singulis diebus respondent, ut Ignatius in serie numerorum prosequenda illorum etiam dierum rationem habeat quibus, malae valetudinis causa, sacris operari non potuit. Ita v. g. die 23 Augusti scribit: «94. Sábado». Sequitur notatio: «En este medio tiempo fui enfermo sin decir misa». Deinde vero sequitur: «100. Viernes». Omissis ergo diebus quinque, a die dominico ad feriam quintam, omisit etiam numeros 95-99 (p. 146). Simile quid invenies ad dies 26 Novembris, 22-24 Decembris, 2-10, 13-19 et 26-31 Januarii.

3. Quod si quaesieris cur series capitulum vel dierum a mense Februario ad Septembrem, nullo, ut videtur, ordine

¹⁷ Hunc textum ejusque historiam in volumine altero huius operis invenies.

procedant; nam a 34 ad 25, a 39 ad 30, a 59 ad 40 caet., saltus potius quam gradus fit; etsi nihil nobis in mentem venit, quo inquirenti animo plane satisfiat, fundamentum tamen aliquod succurrit, quo suspicemur, numerasse Sanctum Patrem dies quibus sive in deliberando de aliqua re, sive in gratiis agendis, sive in animo spiritualiter relaxando, sive in aliis hujusmodi versaretur.

Fundamentum praebet tum Ephemeridis textus, tum aliunde nota Ignatii ipsius testimonia. Nam textus Ephemeridis ante diem 13 Martii, habet: «Estos 4º días tomé para no mirar cosa alguna de Constituciones» (p. 126). Quae verba per se declarant et ipsa scripta esse post, et voluntatem hanc habuisse Ignatium ante illos dies; sequitur autem series dierum quatuor, qui notantur signis 1º, 2º, 3º, 4º. His autem diebus transactis notationem legimus: «Aquí començé de prepararme y mirar primero cerca las misiones» (p. 128); nova itaque numerorum series incipit. Neque tamen id semper valet; nam post diem 11 Maji, capite seu numero 46 absoluto, similem superiori dicensi formam usurpat: «Este domingo antes de la misa començé y propuse andar por Constituciones» (p. 137), sequitur tamen numerus 47, una serie cum praecedentibus continua. Ignatii vero testimonia, quae huic declarationi favere videantur, Consalvius de Camara et Ribadeneira tradiderunt. In Actis enim tradit Camara versatum esse Ignatium in re quadam dies quadraginta¹⁸; Ribadeneira ex Polanco accepit, dixisse Ignatium se in re alia posuisse dies tres¹⁹.

Quidquid vero de interpretatione vel significatione horum numerorum sit, illud certum est, contineri in ipso monumento complures eorum ordines, quos proinde fideliter exscribendos duximus. Itaque post primam seriem quae perducitur ad numerum 34, sequuntur in nostra editione numeri 25^{bis}-30^{bis}, qui sunt in autographo S. Ignatii, non 35-40, quos posuit *Matr*²⁰.

4. Sed in re tam dubia et incerta non libet diutius immorari. Clariora sunt illa quae ad personas referuntur in quorum

¹⁸ *Monum. Ignat.* ser. 4^a, I, 98.

¹⁹ Ib., 395.

²⁰ Pagg. 359-360.

honorem, aut ad ritum, secundum quem sacrosanctum quotidie sacrificium offerebat. Etenim etsi haec uno verbo interdum, neque illo admodum claro praenotantur, v. g. *día, Señora* caet.; attamen quoniam semel saltem clare scribit «misa del día» (p. 89), alias vero titulus ille cum textu conjunctus omnem prorsus dubitationem tollit; ex his locis in reliquorum certam cognitionem devenimus. Feria enim secunda, undecima die Februarii, notationes absolvit his verbis: «según que antes tenía pensado de decirla [la misa] el martes por la mañana», ac die sequenti scribit «De la Trinidad» (p. 91). Die dominico, septimo decimo mensis ejusdem: «reiterando la oblação pasada por deuoción de la Sanctíssima Trinidad deziendo su misa» (p. 98); die autem sequenti: «De la Trinidad y fin»; alias modo simili saepe. Hinc reliqua facillime interpretaberis: *Nuestra Señora* vel *Señora*, missam in honorem Beatae Virginis; *de Jesú*, missam in honorem sanctissimi nominis Jesu, caet.

5. Jam ad obscuriora signa progredimur, quibus Sanctus Pater in parte secunda usus est: In qua a capite secundo seu die decimo quarto Martii et deinceps (p. 126), fere quotidie litterae singulares a. l. d in margine scriptae sunt, modo tres, modo duae, modo una; quarum litterarum usum si cum textu ipso Ephemeridis conferes, invenies profecto, in folio 16r, die secundo, a. l. d, in textu, «antes de la misa, en toda ella y después de ella con muchas lágrimas» (p. 126); die tertio, nullam litteram in margine, nullas lacrimas in textu (p. 127); die quarto, a. l. in margine, in textu autem «antes de la misa y en toda ella con muchas lágrimas» (ib.). In folio 17r, ad numerum 8 est l in margine; in textu «en la misa con lágrimas» (p. 130). In folio 19r, ad numeros 29 et 30 nulla est littera in margine, in textu vero «sin lágrimas» (p. 134); paulo post ad numerum 39 erat prius in margine quidem utraque littera a. l., in textu autem «con ellas en la misa y antes della», at litterae marginales cancellatae sunt, textus vero ita emendatus ut maneat «sin ellas» (p. 135). Nihil necesse est caetera percurrere; firma conclusio est litteram l significare lacrimas in missa; litteram a lacrimas ante missam; litteram d lacrimas post missam, hispane *después de la misa*.

At die quarto Octobris en nova sive signorum sive symbolorum bina series; nam litterae a marginali puncta imponuntur

hoc modo: ä', sive duo, sive tria, vix semel aut iterum unum. Ac de his punctis monitum sibi apposuit Sanctus Pater: «Aquí comienzan los puntos y no se poniendo los de antes» (p. 149); quo autem die hujusmodi puncta incipiunt, novae in textu litterae singulares ponuntur o. c. y. Hae autem litterae sunt quidem minusculae, quas vocant, caeteris vero grandiores in ms. Jam littera a tribus punctis notatur quando in textu tres litterae o. c. y. reperiuntur; duobus punctis, si duae litterae. Quod si in textu una tantum trium harum litterarum exprimitur, nullum plerumque punctum marginali litterae a imponitur.

Etiam hoc loco asserendum certo est puncta illa sic aptari tribus hisce litteris, ut duo puncta duabus litteris, tria puncta tribus litteris respondeant. Semel litteram a invenimus quatuor punctis hoc modo distinctam ä, atque eodem loco in margine ll. d, in textu autem bis c. y (p. 155). Est nempe dies nativitatis dominicae, quo cum ter missam Ignatius Pater celebrasset, in prima et secunda illa expertus est, quae punctis super a in margine, litteris c et y in textu significare sibi voluit²¹.

Quod vero ad puncta illa pertinet quae juxta litteras vel ponuntur vel omittuntur, etsi suspicamur posita definito consilio interdum esse, quando v. g. utrique lateri litterae .a. punctum adhaeret; certum tamen et constantem normam non videmus. Illud .a. cum utroque punto respondet saepe lacrimis multis ante missam, nullis post missam. Confer in paginis 141-142 capita 65, 73, 74, 79; in paginis 144-145 capita 59, 61, 62, 76. Nec tamen constans hic modus est, v. g. in pagina 144 est a. (addito punto) ad c. 69; in pagina 145 ad c. 76 est .a. (punto utrinque posito); utrobique tamen textus idem: «Antes de la misa con ellas, y en ella sin ellas».

6. Quid autem tres litterae o. c. y significant? Cui quaestioni ut respondeamus, in mentem revocare oportet, saepissime in praecedentibus annotationibus mentionem fieri orationis, *oración* vel *oración sólita*; non ita frequenter cubiculi seu *cámara*,

²¹ De binis missis anno 1550, die nativitatis dominicae celebratis, scribit Ribadeneira: «Y el año de mil quinientos y cincuenta llegó a punto de muerte por auer celebrado dos Missas, vna tras otra sin intermisión, el día del Nacimiento de nuestro Redentor» propter ingentem devotionem. *Vida*, l. 5, c. 1.

et sacelli *capilla*²²; memorat solum cubiculum *cámara* in folio 16r, die quarto; folio 16v, c. I (ubi paulo post etiam *capilla*), folio 23r, c. 92 (pp. 127, 128, 146). Ab eo autem loco ubi adhibere incipit in margine puncta supra litteram ä, et in textu litteras o. c. y (p. 149) nulla orationis, cubiculi, sacelli mentio est, vel potius verba *oración, cámara, capilla* ne semel quidem, nisi fallimur, usurpantur. Prona est conclusio, littera o significari orationem, littera c cubiculum seu *cámara*, littera y sacellum seu *capilla*. Atque in duobus primis nulla videtur esse difficultas, cum videamus Sanctum Patrem, primas verborum litteras veluti notas compendiarias usurpare a = *antes*, d = *después*, l = *lágrimas*; paulo post videbimus litteram m significare missam, litteram t *tarde*. Pro *capilla* vero incommoda erat littera c, cum eadem sit prima in verbo *cámara*, assumpsit ergo y, quae littera prima est vocis *yglesia*, quam quidem vocem per y graecum scribere S. Ignatius solet. Adde quod jam forte hoc tempore homines e populo audierat, eum locum appellantes *chiesa* (*yglesia*), quem hispani *capilla* = *oratorium* vocare consuevimus.

Quomodo autem inter se habent ternaria duo o. c. y. et a. l. d? Ternas litteras primas alteris ternis non respondere jam inde sequitur quod puncta, litteris o. c. y respondentia, litterae a semper, nunquam litteris l et d imponuntur. Deinde sunt interdum in margine tres a. l. d, in textu autem sola littera o; contra in margine sola littera a, in textu autem tres o. c. y. Unde tres ultimae ad unum tempus referri videntur, quod erat ante missam et per litteram a indicatur.

Sunt autem haec tria tempora, nisi fallimur: tempus orationis consuetae, *oración sólita*, vel *oración acostumbrada, oración primera*; tempus praeparationis ad sacrum faciendum *oración preparatoria*; tempus in sacello actum sive ad orandum, sive ad altare praeparandum, sive ad sacras vestes induendas. Aperte haec tria distinguit in capite 27^{bis}, die dominico: «La oración sólita símile a la pasada. Después de vestido, en la oración preparatoria nueva devoción y mociones a lacrimar... Entrado en capilla mayores mociones» (p. 121). Haec autem

²² Fol. 16r, c. 2; f. 17v, c. 14; f. 18r, c. 17; f. 20v, c. 40; f. 21r, cc. 54, 63, 65; f. 21v, cc. 69, 70, 79; f. 22r, c. 40; infra, pp. 127; 131; 132; 139; 140-141; 141-142; 142.

omnia ad tempus missam praecedens referri, certum est; nam his sensibus annotatis adjungit: «Después en la misa con vn calor esterior motivo a deuoción y a hilaridad de mente» caet. Die decimo quinto Februarii scripserat: «A la primera oración, al nombrar del Padre... Después para sallir a misa, comenzando la oración, vn sentir» caet.; ac deinde: «Al preparar del altar y después de vestido, y en la misa» caet. (p. 94). Caeterum legenti primam Ephemeridis partem haec tria tempora facile occurant.

At fortasse dixeris, intelligi vel posse vel debere nomine illo «oración preparatoria» preces illas pulcherrimas, quibus S. Ignatius in Exercitiis nos docet, incipi meditationem seu contemplationem oportere; nihil enim impedit quominus Sanctus Pater in precibus illis sensus hujusmodi altissimos experiretur. Nihil certe hoc impedit. Cum tamen ille distinguat *la oración acostumbrada*, quam alias appellat *la primera oración*, a secunda, quam expresse appellat *oración preparatoria para la misa*, aliam interpretationem ejus verbis affingere non licet (p. 113).

7. Alias binas litteras singulares, non tamen ita frequenter, offendimus, t et m. Littera t una cum tribus consuetis a l d ponitur in margine, die 12 Octobris (p. 150); ejus interpretationem textus praebet, cum notet «y después tarde». At die 30 Novembris scribit in textu «y después tarde», item die 6 Decembris «y después tarde muchas», nec tamen in margine litteram t adscribit (p. 154).

Hi autem loci utiles esse possunt ad interpretandum verbum compendio scriptum tar (p. 148), et litteram d, quae a mense Decembri non solum in marginis ternario illo a. l. d, sed etiam in extremo textu sola non raro ponitur; ponitur autem postquam formula *después tarde* bis terve usurpata est; tum semel, die 11 Decembris, d tarde (p. 154). Itaque opinamur, *después tarde* per solum illud d extreum indicari. Vox autem hispana *tarde*, si adverbium est, significat *sero*; si substantivum, pomeridianum tempus, *la tarde*; uter vero ex duabus sensibus praferendus videatur, in medio relinquimus.

Litterae m interpretatio nullius negotii est. Cum enim in authographo, diebus 1, 11, 20-25 Januarii scribatur plene *en misa* (pp. 156-157); in mense autem Febrero fere semper *en mi* (p. 157); quando harum formularum loco invenimus *en*

m, quid legendum sit dubitare non possumus. Ideo hanc litteram non veluti symbolum quoddam sumimus, sed veluti vocem in medio contextu, compendio scriptam, more nostro evolvimus et plene transcribimus; quam normam litterae quoque d, quae in extremo versu est, adhibendam censuimus. Nam etiam in extremo versu usurpat interdum Ignatius integrum verbum *después*, sive absolute v. g. *después* (diebus 28 et 29 decembris, pp. 155-156), sive conjunctum cum aliis verbis, *después tarde*, *después della caet*.

§ 4. Loci tres obscuriores declarantur

1. Diximus de signorum et litterarum singularium interpretatione; sunt vero loci aliqui, qui, alii aliis de causis, difficultatem pariunt. Illorum quidem plurimos supposita suis locis brevis annotatio declarat; tres vero, qui longiusculam expositionem requirunt, hic visum est explicare.

Prius tamen quam singulos locos exponimus, illud diligenter notandum est, plurimos esse locos obliteratos, qui neque per se ipsi perfectam sententiam referunt, neque cum remanentibus conjunguntur; quia nempe Ignatius ante sententiam absolutam, novam inchoabat. Quare in hujusmodi locis oleum et operam plerumque perdideris, si sensum extundere coneris.

Ad illos itaque locos veniamus, qui declarationem desiderant et patiuntur. Primus est in capite 34, f. 12, paulo ante finem (p. 118), ubi legimus: «Después entrando en la misa de *J. t.*», ita per compendium scriptis duobus ultimis verbis. Quaerimus quid alterum signum significet, quod per litteram T exscriptum est in *Matr.*

Simplicissimum esset dicere, positam esse litteram T vel t pro signo +, id quod saepe olim accidisse notissimum est. Adsunt vero transcriptiones tres antiquae, quarum prima habet S^{ma}. T., alterae duea *Santissima Trinidad*²³, quas latina translatio secuta est vertens «de Sanctissima Trinitate»²⁴.

Censemus tamen, hunc locum ita legi non posse, seu illud

²³ In codd. *Instit.* 221, f. 143r; *De B. P. Ntro.*, f. 13r.

²⁴ In cod. *Process. Beatif.* VIII, f. 196v.

T positum esse, non pro littera, sed pro signo crucis, ac proinde locum esse legendum «entrando en la misa de Santa Cruz». In qua locutione duo sunt declaranda, «entrando en la misa» et «de Santa Cruz». Primum membrum «entrando en la misa», et quidem sine addito, saepe in hac Ephemeride usurpatur v. g. paulo ante, hoc ipso loco (p. 117), die 27 Februarii (p. 108), alibi; et significat incipiendo celebrare missam. Cum vero Ignatius eo die missam prius jam celebret (p. 117), locutio eadem aliud hic significare debet. Quidnam hoc esse videatur, mox dicemus, declarato altero membro «de Santa Cruz». Signum illud duplex hic usurpatum, adhibebat Ignatius ad significandum titulum cardinalis Marcelli Cervini (qui fuit postea Marcellus II), v. g. in epistola ad Bobadillam data incertis die et mense anni 1543²⁵. Eodem modo scribebat cognomen P. Santacruz v. g. in epistola ad regem Lusitaniae 19 Januarii 1549²⁶. Cum autem ex una parte Sanctacrucius noster Romae nondum versaretur hoc tempore, venit enim in urbem anno 1548²⁷; ex altera vero id quod in Ephemeride praecedit et sequitur, in basilica S. Petri accidisse dicatur; opinamus hic esse titulum cardinalis de Sancta Cruce, ac proinde totam locutionem significare: cum accederem ad audiendam missam cardinalis de Sancta Cruce; nisi forte illud «de Santa Cruz» non sit titulus neque cognomen, sed missa in honorem Sanctae Crucis. At alium locum eo modo scriptum et hoc significantem non novimus. Acute suspicatus est Feder agi fortasse de audienda missa²⁸.

Praeterea, quominus interpretetur litteram T pro Trinitate, impedit quod nunquam in hoc monumento loquitur S. Ignatius eo modo de Sanctissima Trinitate; at semper *De la Trinidad* vel *De la Santísima Trinidad*; nunquam, nisi forte hoc loco, *De Santa Trinidad*. Quamquam vero Sanctus Pater a recto hispani articuli usu saepe recedit, non tamen in hac lo-

²⁵ Edita est haec epistola in *Monum. Ignat.* ser. 1^a, I, 277-282; nos autem, id quod necesse erat, epistolam ipsam manu scriptam contulimus, quae est in codice *Rom.* I, n. LIX.

²⁶ *Monum. Ignat.* ib., II, 315. Similiter scribit Polancus, ib., 71, 76, caet.

²⁷ Ib., p. 53.

²⁸ Pag. 122, annot. 53. Nostra declaratione admissa, necesse non est ad illam «eine Betrachtung... anstellte» confugere.

cutione, quam semper, ut diximus, cum articulo usurpat, idque recte.

Adde quod scripsisset hoc loco per solas litteras initiales nomen Sanctissimae Trinitatis, quod nunquam alias in hoc codice. Liceret fortasse latine legere *de Sancta Trinitate*; sed cur in medio textu hispano phrasim latinam posuisse, id quod in hac parte, cum Trinitatem nominat, non facit? In altera parte, ubi notationes multo breviores sunt, scribit subinde *Trinitas*, ad missam diei indicandam, sed nullo litterarum compendio adhibito, nullo epitheto usurpato.

Existimamus ergo litteram T positam esse pro signo crucis, quo S. Ignatius saepe utitur ad nomen cardinalis Sanctae Crucis, Marcelli Cervini, exprimendum.

2. Alter locus est in capite 25^{bis}, die 7 Martii «y a tiempos contrariando el fuego grande con el agua» (p. 120). Estne vocabulum *fuego* sensu proprio an metaphorico intelligendum? Extra hunc locum, nisi nos fallit opinio, semper sensu proprio usurpatur; ita f. 7r et v, cc. 21 et 23; f. 8v, cc. 25 et 26; f. 11v, c. 33 et paulo post, hoc ipso capite 25^{bis}, f. 12v (pp. 103, 106, 108, 109, 116, 120). Ad exprimendum ignem quem dicunt internum, utitur Sanctus Pater verbis *calor, gracia calorosa caet., compluribus locis*. Etiam in capite vigesimo primo est sententia aliquo modo huic nostrae similis (p. 103, l. 51). Nostro autem loco non dicit *batallando neque pugnando*, sed *contrariando a tiempos*. Est autem *contrariar* molestiam exhibere. Quod si prius erat scriptum *contrastando* (vide variationes), erat probabiliter italicismus pro *porfiando*. Illam autem molestiam Ignatius Pater sensit, postquam magna illa consolatio cessavit, qua ab initio ad medium missam affectus erat. Inde nova ratio accedit cur non putemus «fuego grande» significare hic internam devotionem, quod nempe adasset magnus ille ignis absente magna devotione. Significat ergo ignem, qui pellendi frigoris causa in cubiculo aut prope erat accensus²⁹. Feder transfert: «zeit-

²⁹ In cubiculo subinde hoc tempore celebrasse Ignatium Patrem, colligitur ex prima lectione ejus loci qui est in c. 20, f. 6v, infra, p. 102: «Después al preparar en cámara el altar», quam retinent, forte non sine probabili causa, apographa *Rom. III, De Ntro. B. P., Na.* etc. Alii quidam loci sunt, qui eodem modo intelligi possunt, ubi altare praeparari dicitur, nec mentio fit sacelli, v. g. cc. 21, 22, 23, (pp. 103, 104, 105). Alias altare in

weise kämpfte das grosse innere Feuer mit dem Wasser» caet.; in notatione tamen addit: «Das Bild des Kampfes von Feuer und Wasser scheint abermals eine Anspielung auf einen von aussen kommenden Lärm zu sein»³⁰ caet. Minus recte, ut videtur, verbum *contrariar* per verbum *kämpfen*, quod est pugnare, transtulit.

Juvat hic locum illum in mentem revocare, in quo calor externus devotionem animi fovebat. Est in capite 27^{bis}, itaque biduo post molestiam magni ignis: «Después en la misa con un calor esterior motivo a deuoción y a hilaridad de mente» caet. (p. 122). Est illius doctrinae usus, quam exercitia facientibus quarta hebdomade tradit Ignatius in libello Exercitiorum: «vsar de claridad o de temporales cómmodos, así como el berano de frescura, y en el hiberno de sol o calor, en quanto el ánima piensa o coniecta que la puede ayudar, para se gozar en su Criador y Señor»³¹.

3. Tertius locus est in parte secunda, die 16 Martii, quem hoc modo legendum putamus: «refutando las lágrimas o visitaciones, quando me venía el aduertir a ellas o deseárlas»³².

Nobis certum est legendum esse non *venían*, ut est in *Matr.*, numero plurali, sed *venía* numero singulari, tum quia nullum in ms. est signum numeri pluralis, tum quia tam grammatica quam sententia melius procedunt cum verbo singulari *venía*, quam cum plurali *venían*. Virgula quaedam vel potius quasi virgula est supra litteram i, quae virgula parum attendentibus videri

sacello disponitur, v. g. c. 31, f. 10, infra, p. 112. Quo loco esset sacellum non plane constat; procul a scalis non erat; nam cum Ignatius in sacello esset, poterat descendentes videre (c. 30^{bis}, initio, f. 13v, infra, p. 123). Suspicamur fuisse in ipsa contignatione, ubi erat Patris cubiculum (ita fuit deinde in ea domo, cuius ignatiana cubicula etiam nunc Romae coluntur); nam cum saepe loquatur Sanctus Pater de transitu a cubiculo ad sacellum, nunquam, nisi fallimur, utitur verbis *bajar* vel *subir*, sed *entrar*, *andar*, *volver*. In capite quidem 30^{bis} scribit sanctus vir venisse sibi in mentem, ad strepitus fugiendos «hazer el altar arriua» (f. 13v, ad finem, infra, p. 124); atque hoc fundamentum praecipuum esse videtur, cur P. Feder opinetur, sacellum fuisse inferius quam esset cubiculum Patris, imo, in infima parte domus (p. 17); at ut altare fieri posset in loco altiore, satis erat cubiculum Patris et sacellum non esse in altissimo domus loco.

³⁰ Pag. 86 et annot. 58 in p. 123.

³¹ *Exercitia*, n. 229.

³² Fol. 16v, infra, p. 128, et *Matr.* p. 362.

possit signum numeri pluralis; at si perspexeris, signum illud sexcenties inveniri super eadem littera, etiam ubi juxta est littera n, v. g. in verbis *interese*, *pertinentes* (hoc ipso loco, quem expendimus) atque in aliis, in quibus nec plurali numero nec litterae n locus ullus est, v. g. in verbo *aduertir*: statim intelleges virgulam illam tenere locum puncti, quod litterae i nos imponere solemus. Est autem supra litteram i verbi *venia* non una, sed duplex virgula, quae editorem inducere potuit in errorem. Ex his enim virgulis prima, ut diximus, est pro puncto litterae i, altera simul cum prima signum efficit praepositum articulo *el*, qui supra versum additus est; signum autem respondet alii simili infra versum posito ad locum indicandum, ubi articulus *el* collocandus in textu est. Signum idem saepe in aliis additis usurpatur. Nota pluralis non hoc modo, sed forti planoque tractu indicatur, id quod in versu sequenti atque verbo ipso *venia* apparet.

Jam constructio grammatica melior est cum verbo *venia* numero singulari; nam hoc modo verba *lágrimas o visitações* accusativus est seu complementum directum quod vocant, gerundii *refutando*; *el aduertir* est nominativus seu subjectum verbi *venia*. Quod si legis *venían*, nescis quid agat in oratione illud *el aduertir a ellas o desearlas*, cum subjectum objectumve ullius verbi vix esse possit.

Denique sententia ipsa vel potius doctrina tradita rectius cum verbo *venia* progreditur. Dicit nempe S. Ignatius, non «se rejecisse lacrimas, quando veniebant», quod certe non faciebat, ut patet in toto monumento Ephemeridis, sed «rejecisse se lacrimas, quando illi veniebat in mentem attendere ad illas vel eas optare». Quem vero haec verba sensum contineant, clarissime in sequentibus exprimit: «y así aduertiéndome primero al acatamiento, las visitações venían consequentes; el contrario, id est, aduertir primero a las visitações que al acatamiento juzgando seer malo». Comparat ergo duo; consolaciones a Deo acceptas ac reverentiam Deo debitam; aitque melius esse, sollicitum esse primo de reverentia Deo exhibenda, quam de consolatione accipienda³³.

³³ Ribadeneira in *Vida*, l. 5, c. 1, ad finem, ait: «Y añade [Ignatius] que por estar atento a este acatamiento desecharaua las lágrimas que le ve-

§ 5. De nexu inter Ephemeridem et Constitutiones Societatis

1. Jam tempus est de nexu inter Ephemeridem et Societatis Jesu Constitutiones disserendi. Trita in historiis nostris narratio illa est, quae tradit dies quadraginta insumpsisse Ignatium ad statuendum utrum tempula Societatis reditus habere fixos eisque Societas juvari posset necne; nec mirum cum id jam in Actis S. Ignatii a Consalvio tradatur³⁴.

Si hae notationes primae sunt quas Ignatius scripsit postquam, vita functo Joanne Coduri, solus Constitutiones praepare aggressus est; vide, quaequo, quanta sententiarum conformitas inter primos illos Patres exstiterit, in judicando, quaenam prima res foret de qua esset agendum. Nam quando Ignatius et Coduri nomine omnium de Constitutionibus deliberare coeperunt; primum de paupertate egerunt. Nunc Ignatius viam eamdem ingreditur et ita ingreditur ut modum paupertatis, qualem socii primi anno 1541 amplexi erant, restringendum³⁵ putet. Nam eo tempore Ignatius ejusque socii existimarent, Societatem quidem jus nullum ad ullas possessiones vel ad ullos reditus habere posse, idque esse in bulla Paulii III constitutum; hanc tamen paupertatem non obstare quominus tempula Societatis reditus haberent³⁶. Ex Ephemeride certo constat hanc viam satis Ignatio non fecisse. Videmus enim illum a primis diebus valde propensum, brevi post omnino firmum, quantum in se erat, ad reditus omnes excludendos. Agi autem de hac re etsi aperte in ipsa Ephemeride non dicitur, tamen tum ex loco deliberationis de paupertate qui inscribitur: «Cómodos y razones para no tener cosa alguna de renta»³⁶, tum ex testimonio perspicuo Consalvii de Camara paulo ante indicato, certum est.

2. Cur autem sibi modus ille non satisfaceret, ex ipsa illa deliberatione quam modo indicavimus, intelliges; multo enim plures causas invenit multoque potiores ad paupertatem stri-

nian». At Ribadeneira citat locum ex f. 16r, die 2º, infra, pp. 126-127, primo quidem ad verbum; a verbis autem «Y añade» potius ad sensum, additique verba illa «que le venían» quae non sunt in Ephemeride.

³⁴ *Monum. Ignat.* ser. 4^a, I, 98.

³⁵ V. monumentum 9 et annot. 3, p. 33.

³⁶ V. monumentum 17, p. 78.

ctiorem, quam ad mitiorem amplectendam. Nec tamen rationum momentis contentus fuit, sed electionem a se factam a Deo ipso confirmari vehementer expetebat, hujusque confirmationis indubia signa Deum O. M. flagitabat. Quae quidem ita ex infinita Dei bonitate obtinuit, ut omni prorsus dubitatione sublata, tentatorem, aliquod dubium animo ejus non immitentem, sed immittere conantem, uno verbo, magna cum firmitate ac certitudine circa rem definitam, a se rejecerit (p. 125).

Atque id quidem, ut modo diximus, quantum in se erat. Sibi enim conscientius erat Ignatius, non se solum, at se una cum sociis Constitutionum condendarum facultate pollere. Itaque cum die quadam tantam animi firmitatem in re proposita sentiret, ut nulla re creata ex ea voluntate dimoveri se posse arbitraretur; addebat tamen «de mi parte haziendo quanto era en mí, y esto último se terminava para los compañeros que avían firmado» (p. 105). Quorum verborum sententia ea, quam dicimus, nisi fallimur, est: socii constituerunt idque suis nominibus subscrisserunt, ut tempora Societatis aliquos reditus habere possent eisque Societas ipsa adjuvaretur; conabor, inquit, quantum in me est, eos adducere ad reditus omnes rejiciendos.

Hanc constitutionem sine controversia, quantum scimus, omnes admiserunt; itaque manet in *Const. VI*, 2, 2. Atque haec est una constitutio, in qua per dies quadraginta S. Ignatius versatus est, quorum dierum sensus notationesque primam Ephemeridis maximamque partem efficiunt.

3. Post dies illos quadraginta quatriuum assumpsit «para no mirar cosa alguna de Constituciones» (p. 126). Quibus elapsis «Aquí començé, inquit, de prepararme y mirar primero cerca las misiones» (p. 128). Dies fuit decimus septimus mensis Martii. Post duos menses, die undecimo Maii, aliis annotationibus adjungit: «Este domingo, antes de la misa, començé y propuse andar por Constituciones». Neque alias locus est, quo vel de Constitutionibus in universum vel de aliqua singulari constitutione mentio fiat. Quid ergo lucis haec ferre nostris Constitutionibus possunt?

Ex prima notatione novimus, post paupertatem missiones in primis, de quibus in antiquis Constitutionibus anni 1541, nihil invenitur, Ignatii animum occupasse. Existimarunt certe Patres illi votum obediendi summo pontifici circa missiones

sibi abunde sufficere. Nec tamen difficile erat animo praecipere, quam multa in congregatione hominum accidere possent, quae necessario legum auxilium flagitarent³⁷. Ita sensit Ignatius, ac propterea de missionibus cogitare coepit; de quibus etsi quid cogitaverit, in Ephemeride non constat, opinamur tamen harum commentationum fructum illas esse Constitutiones circa missiones earumque Declarationes, quas hoc ipso volumine in primam lucem damus³⁸, idque ob eam causam, quod scriptas opinemur, ante quam Polancus officio secretarii fungi coepisset, quod in sequenti articulo, cum de illis proloquemur, ostendere conabimur. Hoc loco indicasse sufficiat intimum harum Constitutionum de missionibus nexus cum verbis illis S. Ignatii in Ephemeride: «Aquí comencé a prepararme y mirar primero cerca las misiones», e quibus conjicere nos posse probabiliter existimamus has Constitutiones circa missiones, illis diebus vel mensibus natas esse, quorum animi sensus in altera Ephemeridis parte brevissime annotantur.

4. Quod autem de missionum Constitutionibus ac Declarationibus conjecimus, id etiam de aliis quibusdam conjicere possumus. Nam verisimillimum est, quamvis in Ephemeride nulla praeter missiones constitutio singularis nominetur, verba illa superius allata «Este domingo, antes de la misa, comencé y propuse andar por constituciones» neque inanem Ignatii voluntatem exprimere, neque solas missionum Constitutiones indicare. Quod si ad alias Constitutiones extenduntur, ex earum numero esse suspicamur, Constitutiones illas de ambitu a Societate arcendo, quae duobus foliis, 127-128, antiquitus 1-2, insertis codici *Instit.* 7, continentur, de quibus inferius quoque disserendum erit³⁹. Sive autem hae sive aliae (de quibus suo loco agemus) Constitutiones fuerint, quas Ignatius Pater his mensibus annorum 1544-1545 concinnavit, illud certum est, tunc non omnes Constitutiones, sed aliquas tantum vel commentatum esse vel praeparasse. Ac proinde, non satis accurate judicio nostro loquuntur illi qui dicunt maximam quidem partem no-

³⁷ Jam ab anno 1542 habuit Societatis praepositus facultatem mittendi subditos ad missiones inter christifideles; cf. *Monum. Ignat.* ser. 4^a, I, 550, et infra, a. 3, § 2, p. CXXII, n. 2; item COEMANS in *AHSI* 1 (1932) 304-306.

³⁸ V. monumentum 20, p. 159.

³⁹ Est monumentum 21, p. 164.

tationum, quibus Ignatius animi sui sensus toto fere vitae tempore conscripserit, periisse, pervenisse tamen ad nos eam partem, «quae ad tempus pertinet, quo Constitutiones fecerat»⁴⁰, quasi haec Ephemeris aut totum illud tempus complectatur, quo in Constitutiones Ignatius incubuit, aut sensus omnes quos tempore Constitutionum faciendarum expertus est, ad nos pertulerit. Atqui neutrum dici potest. Nam ex ipso Ignatio scimus, eum, quo tempore Constitutiones faciebat, annotasse quae sibi quotidie contingebant, et ex Polanco aliisque fontibus novimus, multo diutius quam per hos tredecim menses Constitutionibus faciendis operam dedisse. De qua re testimonia indubitata existunt saltem annorum 1544, 1547, 1548, 1549, 1550, quae in *Prolegomenis* voluminis secundi, Deo juvante, proferemus.

Haec igitur Ephemeris pars aliqua solummodo appellari potest ac debet, non solum eorum quae todo vitae tempore, sed eorum etiam quae dum Constitutiones faceret, annotavit. Ac re quidem vera, haec folia viginti quatuor (et forte pauca alia ex compendio) vix appellare licet «un fasce assai grande di scritture»⁴¹. Imo in capite 17 primae partis, quod diei decimo septimo respondebat, memorat eorum quae senserat «en XX días pasados»⁴², unde certum est de pluribus diebus tunc cogitasse, quam scripti sunt in hoc monumento; probabile autem est sensus illorum dierum alibi fuisse scriptos.

ARTICULUS III

PRIMUS CONSTITUTIONUM ET DECLARATIONUM CIRCA MISSIONES TEXTUS, 1544-1545? (Monumentum 20)

Hae sunt Constitutiones circa missiones earumque Declarationes, quas articulo secundo diximus existimare nos ortas ex illis commentationibus esse, quas Ignatius in Ephemeride indicavit, scribens velle se circa missiones cogitare.

⁴⁰ Feder, p. 10, ait: «Doch hat ein gütiges Geschick uns wenigstens einen Teil dieser Aufzeichnungen aufbewahrt, nämlich jene, die der Abfassungszeit der Konstitutionem angehören».

⁴¹ *Monum. Ignat.* ser. 4^a, I, 96.

⁴² In pag. 98, inter deleta ad vv. 3-4.

§ 1. De monumenti auctore

1. Ac primo quidem Ignatium monumenti auctorem esse, ipsa ratione scribendi, si quid ex hoc capite certum hauriri potest, pro certo habendum videtur. Compara v. c. verba initio posita «Mediante la summa y diuina gracia la promesa y uoto expreso que toda la Compagnía con entera voluntad y satisfacción de sus ánimas hizo a Dios nuestro Criador y Señor» caet. (p. 159), cum narratione eventuum ad S. Pauli extra urbis muros, quo die Patres nostri primi solemnem professionem emiserunt: «La forma que la Compañía tuvo en hazer su oblación y promesa a su Criador y Señor» caet., et in fine: «Acabada la misa, y haciendo oración en los altares priuilegiados, se juntaron en el altar mayor, donde cada vno de los cinco vinieron a Iñigo e Iñigo a cada vno dellos, abraçando y dando osculum pacis, no sin mucha deuopción, sentidos y lágrimas, dieron fin a su profesión y vocación comenzada»¹.

Adde, scribentem has missionum Constitutiones earumque Declarationes, loqui saepissime in prima persona: «como fuésemos de diuersos reinos», «adonde a Dios nuestro Señor más podríamos seruir y alabar» caet. Unde, has qui scripsit, rebus enarratis interfuerat. Jam vero ad scribendas Constitutiones designati omnium nomine erant, Ignatius et Coduri; hic vita cesserat, quando haec scripta sunt, ut mox dicemus; igitur eas Ignatius conscripsit.

Sunt quidem scriptae manu librarii alicujus, visae tamen et locis compluribus annotatiunculis ab Ignatio auctae, id quod in ipso monumento videri potest.

§ 2. Monumenti aetas

1. Nunc illud nobis praestandum est, ut ostendamus has missionum Constitutiones et Declarationes fuisse conscriptas prius quam Polancus, mense Martio anni 1547, a secretis Ignatio esse coepit².

¹ *Monum. Ignat.* ser. 4^a, II, 4-8.

² Ib. ser. 1^a, I, 519, not. 2.

In codice *Instit. 18* sunt initio complures indices, facti quidem sub Polanco, at rerum seu scriptorum, quorum nonnulla Polancum certe praecesserunt. Hos indices suo loco in hoc volumine invenies³. Ex his itaque indicibus atque ex eo cui Polancus manu sua titulum praeposuit «Indices de lo que se trata en los papeles scritos del Padre»⁴ concludimus, Polanco tradita esse scripta quae de rebus ad Constitutiones pertinentibus agebant, eumque sive per se sive per alios illorum scriptorum indicem fecisse. Atqui inter hos indices sunt illi duo: «Indice de lo que toca a las missiones» (p. 238), et «Indice de las Declaraciones, cerca missiones» (p. 239), uterque autem et numeris et titulis paragraphorum et numeris foliorum huic nostro monumento omnino respondet. Quod si apographum, quanto magis Constitutiones ipsae Polancum praecesserunt.

2. Quo vero exactius monumenti hujus aetatem metiamur, ipsum monumentum attentius considerandum est. In Declarationibus dicitur socios vovisse obedientiam summo pontifici circa missiones; post aliquot vero annos, facultatem impetratam esse, qua generalis ipse mittere socios posset ad christifideles; ubi nota, primam hanc facultatem nihil dicere de missionibus ad infideles populos. Jam vero illa facultas a Paulo III concessa Societatis praeposito est, petente cardinali Guidiccione, vivae vocis oraculo.

Rescriptum de hac re editum est in nostris Monumentis⁵, sumptum ex originali, quod est in codice *Rom. II*, numero XLVII. Monumentum ipsum, quantum accurata ejusdem collatio nobis ostendit, fidelissime editum est. Adjuncta vero ipsius etsi rebus praecipuis, bene etiam notata, juvat hoc loco diligentius exhibere. A tergo manus a praecedentibus diversa nobisque ignota: «Facultas praeposito generali data a Paulo III inferiores mittendi ad missiones etc. Item [seq. vtend obl.] impertiendi subditis vsum noui breuiarii. Circa annum 1542». Deinde manu Polanci: «Facultas generali data ad missiones subditorum et ad nouum officium». Alia manus: «Cardinalis Guidiccionus»; alia manus «1543 circiter». Quo loco notandum est ultimum signum ad-

³ Monumentum 30, p. 231.

⁴ Monumentum 29, p. 220.

⁵ *Monum. Ignat.* ser. 4^a, I, 550.

annum designandum legi posse 3 vel 5, ita ut nescias ex ms. utrum annum intelligi oporteat 1543 an 1545. Denique manus eadem, ut videtur, quae prima a tergo scripsit, addidit quoque signum archivi D-XX/2. Legendum autem esse 1543 intelligimus ex eo quod facultas illa concessa est anno 1542, unde recte dixeris «1543 circiter». Nam cum duae facultates hic concedantur praeposito generali, prima mittendi subditos ad missiones inter fidèles, altera impertiendi subditis usum breviarii novi; hanc alteram misit Ignatius ad Simonem Rodericum una cum epistola quae est in *Monum. Ignat.* ser. 1^a, I, 212; quae quidem epistola, etsi nullam temporis notationem habet, sicut nec praecedens in p. 211, esse tamen utramque anni 1542 novimus ex responsione Simonis Roderici data ad Ignatium die 18 Januarii 1543⁶, in qua indicia sunt aperta epistolarum illarum quas diximus Ignatii, nominatim illud «dezísmē, maledictus homo qui confidit in homine». Has autem duas epistolas, scriptas continuo in eodem folio, ejusdem esse temporis intelligimus.

Accepta itaque anno 1542 facultate mittendi subditos ad missiones, biennio post, mense Martio, iterum negotium circa missiones Deo commendavit Ignatius et has Constitutiones forte anno 1545 conscripsit. Hoc modo, inter votum primum factum summo pontifici circa missiones et hanc facultatem patri generali concessam vix illi «aliquot anni» intercessissent, quos efluxisse Ignatius hoc loco affirmat inter illud votum et hujusmodi facultatem, si votum illud referendum sit ad professionem solemnem quam ad S. Pauli Patres nostri nuncuparunt anno 1541, id quod in praesentia investigare opus est.

3. Tria omnino tempora, quantum conjectura capere licet, intelligi hic possunt. Primum, tempus voti parisini, de quo Simon Rodriguez inter alia narrat vovisse Patres paupertatem, castitatem, iter hierosolymitanum, et, post redditum, incumbere ad salutem animarum tam fidelium quam infidelium. «Statutum praeterea est, inquit, vt si Hierosolymam nauigare non liceret, nullo obstricti voto Romam (quod faciendum etiam erat hominibus iam reuersis Hierosolyma) contenderent; summo pontifici ad pedes sese abiicerent, illum suarum cogitationum participem facerent, vitamque suam hominum saluti consecratam

⁶ *Epist. PP. Broet...* pp. 529-533.

declararent... darentque operam vti intelligeret summus pontifex paratos esse se, pro ipsius arbitrio, ad annuntiandum Christi euangelium sine vlla tergiuersatione per totum terrarum orbem»⁷ caet. Non dicit Rodriguez, etiam hoc statutum voto fuisse firmatum, multo minus negat, imo videtur subintelligere, cum narrationem illis verbis absolvit: «cuius [S. Dionysii] in sacra quadam aedicula vota haec primo fuerunt emissae».

Polancus autem tum in Vita Ignatii latina, tum in summario hispano votum appellat. Ait enim hispane: «Votaron de representarse al papa como vicario de Christo, para que su santidad los ynbiasse donde pensase que sería Dios más servido»⁸; et latine: «Se praesentatueros voverunt summo pontifici Christi vicario, ut illos eo mitteret et impenderet pro suo arbitrio, ubi ad Dei gloriam proximis prodesse magis possent»⁹.

Haec habere potuisse in animo et memoria Ignatium sribentem illa: «Como al principio de nuestro aiuntamiento en vno todos hizíesemos voto y promesa a Dios nuestro Señor de obedecer y de ir donde quiera que el sumo vicario de Christo nuestro Señor nos imbiase» caet. (p. 162); non solum negare non audemus, sed, sicut postmodum dicemus, affirmandum potius opinamur.

Alterum tempus intelligi fortasse posset annus 1538. Nam cum eo tempore spes itineris hierosolymitani evanuisset, tunc re vera illud accidit, de quo B. Petrus Faber Didacum de Gouvea, socios in Indiam mittendos Lusitani regis nomine postulantem, certiorem faciebat: «Nos, quotquot sumus ad inuicem in hac Societate colligati, deuouimus nosmetipsos summo pontifici, quatenus ipse est dominus uniuersae messis Christi; in qua quidem oblacione ei significauimus, nos esse paratos ad cuncta»¹⁰ caet. Haec Faber suo et sociorum nomine scribebat die 23 Novembbris anni 1538.

Tertium denique tempus esset annus 1541, quo solenni professione ab omnibus, qui Romae erant, emissae, Societas Jesu pleno jure vivere incepit. Cur vero censeamus, Ignatium Patrem

⁷ Ib. 457-458.

⁸ LETURIA, *Nuevos datos*, pp. 54-55.

⁹ Chron. I, 50.

¹⁰ Monum. Ignat. ser. 1^a, I, 132.

in hac declaratione loqui de voto ac tempore parisino, paucis accipe. Loquitur Sanctus Pater de tempore quo socii primi in unum primo convenerunt. Ait enim: «Como al principio de nuestro ayuntamiento en uno», id quod recte interpretaberis hoc modo: «Quoniam initio nostri conventus in unum», seu «quoniam quando prima vice in unum convenimus», nam certum est, illud *al principio* hic tempus indicare (p. 162). Imo in prima deliberatione anni 1539 aiunt Patres illi: «Postquam clementissimus ac pientissimus Dominus dignatus fuerat nos ita infirmos et tam ex diuersis regionibus et moribus natos inuicem vnire et congregare» caet. (p. 3); qui locus declarat, Patres esse in unum unitos et congregatos ante annum 1539; aliunde autem scimus, eos in unum primo convenisse Parisiis, et, ad vota quidem facienda in Montem martyrum die 15 Augusti 1534.

Unde probabilius evadit, loqui S. Ignatium de voto facto Parisiis; ac proinde illud «después, passando algunos años» totum tempus complecti ab anno 1534 ad 1542.

Quod si ad secundum vel etiam tertium tempus referri sententiam illam magis placuerit; pauciores anni elapsi erunt. Monumentum vero ipsum, propter illum cum Ephemeride nexum quem diximus, ad annum 1545 referendum videtur. Hac etiam de causa primum post Ephemeridem illi locum tribuimus.

Postremo monumentum hoc, aliis additis, aliis sublatis, evasit pars septima Constitutionum in textu *a*, quem vide in vol. II.

ARTICULUS IV

DE CONSTITUTIONIBUS CONTRA AMBITUM, 1544-1545 (?) (Monumentum 21)

1. Quamquam hoc monumentum nullam prae se fert temporis notationem, neque sententiam ullam unde ejus aetatem conjicere liceat, continet; cum tamen in indice illo de quo supra locuti sumus (p. cxxii), notatum reperiatur una cum aliis quibusdam, quae Polancum secretarium praecesserunt; aut ad ineuntem annum 1547 aut etiam ad praecedentem aetatem referendum videtur. Et ille quidem qui ejusmodi indicem exaravit, hoc nostro exemplo usus est, quippe qui et folia duo, 1 et 2, et

quinque capita cum declaratione una, sic prorsus ut in nostro exemplo legimus, enumerat,

Jam vero in Ephemeride, praeter Constitutiones de missinibus, proprio nomine memoratas, de aliis Constitutionibus in universum ac sine titulo mentionem fieri videmus. Quidni inter has Constitutiones etiam hae de ambitu arcendo fuerint?

2. Praesertim cum scriptor earum Bartholomaeus ille Ferrius fuerit, et eo quidem tempore quo manu etiam tunc firma, non tremula, sicut in scriptis quibusdam postea proferendis, utebatur.

3. Titulus quidem manu Polanci scriptus est; Ignatium vero auctorem produnt non solum addita et emendata ipsius manu, sed etiam modus dicendi cum vigore plenus, ut illa: «peste que para siempre mata y deuora las ánimas», «la tal codicia y peste mortal»; tum Ignatio familiaris, ut illa: «para más libremente seruir y alabar a nuestro Criador y Señor» (p. 165), et alia plurima, e quibus duo indicare volumus: perpetuam apud Ignatium humanae diligentiae cum spe auxiliī divini conjunctionem, et verbum «capítulo» ad parvas et singulas paragraphos designandas adhibitum.

4. Quod ad rem ipsam attinet; quamquam clarissime apparet, quanto studio Sanctus Pater a Societate crimen ambitus arcere vellet; votum tamen dignitates non ambiendi nondum exprimitur. In textu Constitutionum *a*¹ juramentum praecipitur de dignitate nec quaerenda nec nisi ex obedientia, admittenda; in exemplo autem *A*, f. 114v, quod ab Ignatio congregatis anno 1551 Patribus exhibitum est, deleto verbo *juren*, scribit S. Ignatius manu sua: «ofrezcan a Dios nuestro Señor» id quod manet in codice *B*, f. 97, seu Const. X, 6. Feceritne Ignatius Pater mutationem hanc sua sponte, an alio suggestente, ante exhibitas Patribus Constitutiones an postea, non constat. Ab interprete latino redditum prius erat illud «ofrezcan» per verbum «obtulerint», quo deleto scripsit manu sua Polancus «voquerint»².

Hoc igitur caput in Constitutionibus non modo remansit,

¹ *Instit.* 7, f. 89v. Hunc textum dabimus in vol. II, ibique etiam invenies textum *A*, cuius paulo post mentio est.

² In codice *Po. Const. lat.*, f. 59r. Textus latinus Constitutionum efficiet volumen III hujus operis.

sed etiam strictius injunctum est. Alia contra hic sunt quae nullum sui vestigium in Constitutionibus reliquerunt. Neque mirum est. In capite enim secundo ineptus ad dignitates et beneficia quaecumque obtainenda extra Societatem (nam de Societatis dignitatibus agitur in sequenti capite) quicumque illa ambierit, declaratur (p. 165). In capite autem quinto ii qui, jubente pontifice romano, dignitatem aliquam extra Societatem acceperint, nulos admittere fructus jubentur praeter eos quos Societas permiserit, caeteris inter pauperes, exclusa Societate, distributis (ib.).

Mirum forte cuiquam accidat, haec Ignatio in mentem venisse, quippe quae potestatem religiosi moderatoris excedere videantur. Cogitandum tamen est, et quanti bonorum ecclesiasticorum abusus eo tempore in oculis omnium essent, et Ignatium Patrem haec nondum statuere, sed statuenda vel potius ad deliberandum proponere. Ac re vera, in serie dubiorum prima, numero 13, quaestio huic similis agitanda proponitur: «Ya que fuesen constriñidos por quien tiene auctoridad, id est, por el papa, a tomar dignidades etc.; si sería bien procurar que no tomasen ellos las rentas, sino 3^{as} personas, para gastar en solo beneficio del obispado» (p. 272). Ac de obedientia quaeritur etiam ibidem, numero 12, «Si será bien... que quedasen con la obedientia dellos» (p. 271).

Cujus rei difficultatem sentiens Ignatius declarationem illam adjunxit: «Y donde por derecho o por summa obedientia no tuuiese lugar la tal subiección y obedientia a su superior, a lo menos le deue tener en el Señor nuestro entero conocimiento y obedientia uoluntaria, a su maior seruicio, alabança y gloria». (p. 166).

Ultimam vero negotii hujus solutionem praebet monumentum 48.

ARTICULUS V

DE SCHOLASTICORUM CONSTITUTIONIBUS

§ 1. Constitutiones patavinae, 1546 (Monumentum 24)

1. Has Constitutiones ad usum nostrorum scholasticorum collegii patavini conscriptas esse ex eo colligimus, quod et inter incolas loci est magister Petrus Faber, et prior Trini-

tatis (qui Andreas Lippomanus erat) collegii fundator esse dicitur.

Petrus ille Faber (alius a B. Petro Fabro, Ignatii Patris in condenda Societate socio primo) saepe de Hallis appellatur, quod eo loco, in Annonia Belgarum natus sit. Examinatus et admissus est in Societatem Lovanii a Hieronymo Domenech die 27 Novembris, anno aetatis vigesimo sexto. Haec ex responsionibus ipsius Fabri et ex additis Hieronymi Domenech novimus, quae propria eorum manu scripta habentur in codice *E*¹. Cum autem Domenech una cum caeteris sociis hispanis e Gallia expulsis Lovanium venerit ineunte Augusto anni 1542, atque hinc Romam profectus sit ineunte Februario anni 1543²; Faber noster Societatem ingressus est anno 1542; natus ergo erat anno 1516.

Collegii patavini superior factus est Faber ante finem anni 1547. Nam etsi mense Octobri ejus anni ad Elpidium Ugoletum, qui nostris Patavii praerat, scriptum est, ne Romam veniret³; eo tamen ipso anno inter eos qui Patavio «egressi sunt, unus fuit P. Elpidius, inquit Polancus, qui aliis praefuerat, et suo loco P. Petrum Fabrum, flandrum, ex P. Ignatii praescripto, superiorem reliquit»⁴.

Quandonam vero Patavium Faber venerat? Nam ex his Polanci verbis jam novimus ibidem fuisse quando superior relictus est. Petrus hic Faber cum anno 1544 in Lusitaniam ad collegium conimbricense venisset⁵, et paulo post (ob causas ab Oliverio Manareo narratas) in Flandriam reverti debuisset⁶; jam Romae ineunte Januario anni 1545 apud S. Ignatium versabatur⁷. Immoratus autem in urbe est saltem usque ad medium fere Junium anni 1546, exstant enim epistolae ejus Roma datae hoc tempore, nominatim die 11 Junii⁸. Itaque non venit Patavium cum Ugoletto, qui una cum Ribadeneira et Didaco

¹ Fol. 121; vide descriptionem codicis *E*.

² Ribadeneira, I, 23-24 et 26; Chron. I, 102.

³ Monum. Ignat. ser. 1^a, I, 598.

⁴ Chron. I, 231.

⁵ Fabri Monum. 233 et 235.

⁶ De rebus Societatis Jesu commentarius, p. 4.

⁷ Kesselius ad B. Petrum Fabrum scribens Colonia, Fabri Monum. 303.

⁸ HANSEN, Rheinische Akten, 50, 56, 58.

Salmerone Patavium pervenit die 23 Octobris anni 1545⁹. Reliquum ergo est ut illuc pergeret aut sex ultimis mensibus anni 1546 aut sex primis anni 1547. Conjecimus illud accidisse anno 1546.

Conjecturae fundamentum est in eo quod Constitutiones hae collegii patavini inveniuntur italice in Ordinatione studiorum collegii ejusdem¹⁰; cumque haec Ordinatio ad annum 1546 pertinere videatur, multo magis ad hunc saltem annum pertinebunt hae Constitutiones, quae probabiliter Ordinationem praecesserunt.

Hujus ergo Ordinationis tempus investigandum est. In volumine primo *Epist. Mixtae* diligentissimus hujus loci annotator P. van Meurs factam esse ait «studiis litterarum incumbente Petro Ribadeneira»¹¹; cum autem is, pergit P. van Meurs, «17 Februarii 1546 laudetur a S. P. N. ob progressum in litteris, in epistola ad nobilem virum Ortiz¹²; et 1546-1548 philosophiae, 1548-1549 decem menses theologiae studuerit¹³; haec Ordinatio reponenda videtur in fine anni 1545 aut initio anni 1546».

Haec ille. Si hoc ita se haberet, res plana esset; non videtur tamen sustineri posse. Facta quidem est Ordinatio incumbente litteris humanioribus Petro Ribadeneira; hunc autem his litteris operam dedisse anno tantum 1545-46, philosophiae vero 1546-48, censemus admitti non posse. Etenim Polancus Lainio celeberrimam de studiis humanioribus epistolam scribebat die 21 Maii anni 1547¹⁴, qua Lainio (ut ex hac epistola Polanci elucet) querenti quod adolescentes nostri nimium diu in stu-

⁹ *Ribadeneira I*, 48-50.

¹⁰ V. not. 1 ad monumentum 24, p. 174.

¹¹ *Epist. Mixtae I*, 587, annot. 1.

¹² *Monum. Ignat.* ser. 1^a, I, 359.

¹³ Cum P. Van Meurs, unde haec quae ad philosophiae theologiaeque studia spectant, desumat, non indicet; suspicamur pendere eum a P. Prat, *Histoire du Père Ribadeneira*, I. 1, p. 71: «Il poursuivit toujours avec la même ardeur et le même succès celui [le cours] des belles lettres, auquel succéda, au bout d'un an, celui de philosophie. La quatrième année de son séjour à Padoue fut consacrée à la théologie. Ribadeneyra l'étudiait depuis dix mois, lorsqu'il reçut de saint Ignace l'ordre de se rendre à Rome». At neque Prat fontes indicat.

¹⁴ *Monum. Ignat.* ser. 1^a, I, 519-526.

diis humanioribus detinerentur, qui postquam allicti fuissent, voluntatem graviorum studiorum philosophiae et theologiae amitterent, satisfacere conatur, ac de Ribadeneira haec ait: «Pero hablando de Pedro de Ribadeneira, aunçay algunas razones sobre estas para que se haya de tener un poco más»¹⁵, atque hae rationes sunt quo melius latinam linguam discat, rhetoricae et rebus historicis vacet, in linguam graecam hoc et sequenti anno incumbat, quae omnia ad studia litterarum humaniorum spectant; addit, ingenio hujusmodi praeditum esse Ribadeneira, quod sperandum sit nullis graviorum studiorum difficultatibus deterritum iri, id quod Lainius in adolescentibus litterarum studio inescatis verebatur. Imo anno sequenti 1548, die 28 Aprilis, scripsit Polancus Ribadeneirae «que mire adónde querrá ir a studiar las artes, dexando en su elección el ir a Valentia, o Gandía o Sicilia, o Bologna, o quedar aý en Padua»¹⁶. Unde certum est hoc tempore nondum artium seu philosophiae studium Ribadeneiram incepisse. Praeterea die 10 Augusti anni 1549 unis eisdemque litteris scribit Polancus: «a Pedro, sobre sus estudios de lógica» et «cómo vendrá por acá para yr a Palermo»¹⁷; Patavio autem profectus est exeunte hoc ipso mense Augusto¹⁸. Concludimus, Ribadeneira artibus seu philosophiae operam dedisse uno anno, 1548-49. Quatuor annos versatum esse Ribadeneira in studiis patavinis, ipse in suis Confessionibus affirmat; quae tamen fuerint non dicit¹⁹.

Unde cum Ribadeneira litterarum humaniorum studiis operam navaverit triennio (1545-48), non potest ex hujusmodi studiis tempus Ordinationis hujus ad exeuntem annum 1545 vel ineuntem 1546 contrahi. Sed potest fortasse aliunde. Nam Ribadeneira in Ordinatione inter scholasticos grammaticos numeratur qui adire debent «alle scole delli puti»²⁰, quibus verbis indicari videtur infima vel fere infima schola grammatices; unde haec videntur prima illius in patavino collegio studia fuisse, ab anno 1545. Stephanus Aretinus (Stephano d'Arezzo seu

¹⁵ Ib., p. 525.

¹⁶ Ib., II, 93.

¹⁷ Ib., 509.

¹⁸ *Ribadeneira I*, 51.

¹⁹ Ib., p. 49.

²⁰ *Epist. Mixtae I*, 588.

Capumsaccus) dicitur in hac ipsa Ordinatione aggredi logicam in qua versari debeat per annum et amplius si necesse sit; hoc erat initium cursus seu artium seu philosophiae; postea debebat operam dare Porphyrio, physicis, mathematicis et moralibus²¹; mense autem Majo anni 1548 ad metaphysicam aggrediendam invitatur²²; mense Augusto anni ejusdem monetur, ut videat velitne Lutetiam Parisiorum theologiae causa adire²³. Si annos tres Capumsaccus in philosophia posuit, logicam aggressus erat anno 1545 vel 1546. Ex utroque probabiliter concludimus Ordinationem esse anni 1546.

His adde hanc Ordinationem ita esse confectam, ut multis locis non obscure indicet, initia studiorum his nostris adolescentibus haec fuisse. Debebat enim Petrus Faber v. g. vestigare ubinam studia exercitationesque artium haberentur²⁴.

Cum autem in illa mentio nulla sit Didaci Salmeron, qui una cum Ribadeneira et Ugoletto iter patavinum fecerat, jure ponimus scriptam esse postquam mortis illius nuntium Romanam jam perlatum erat; obiit autem Didacus die primo Novembris anni 1545²⁵.

4. Jam vero hae nostrae scholasticorum Constitutiones insertae inveniuntur huic Ordinationi; itaque ejusdem saltem aetatis atque Ordinatio sunt.

At utrae priores habenda? P. van Meurs, in annotatione superius indicata ait: «Documentum italicum tempore preecedere videtur: hispanicum, relictis personarum notis, inde de sumptum»²⁶. Haec ille. At si recte attendis, multo plura quam personarum notas omissa invenies, nempe, paragraphos notatas numeris, 1°, 2°, 4°, 5° et magnam partem sextae; haec sub duobus titulis primis²⁷; sub titulo autem tertio paragraphos 3, 4, 6²⁸; sub titulo quarto paragraphum 10 seu ultimam²⁹.

²¹ Ib., p. 590.

²² *Monum. Ignat.* ser. 1^a, II, 117.

²³ Ib., 199.

²⁴ *Epist. Mixtae I*, 590.

²⁵ *Ribadeneira I*, 48.

²⁶ *Epist. Mixtae I*, 588.

²⁷ Ib. pp. 587-588, 589.

²⁸ Ib. p. 592.

²⁹ Ib. 593.

In quibus omnibus nihil de personarum notis invenitur; omissa tamen sunt. Contra, in monumento hispanico expressa est Petri Fabri mentio, cuius officium accurate describitur. Ex hac igitur parte nihil sequitur; neque tamen si res aliter se haberet, quidquam de certo tempore sive posteriore sive priore conficeretur, modus tantum quo unum monumentum ab altero procederet, indicaretur, qui modus utrinque intelligi posset, aut a longiore breve per subtractionem, aut a breviore longius per additionem natum esse.

5. Quae cum ita sint, aliis de causis nobis antiquius vel potius prius videtur fuisse monumentum hispanicum.

Nam si ad usum collegii patavini factae prius essent Constitutiones italicae, quo proposito deinde ad usum collegii ejusdem scriptae essent hispanice? Deinde opinamur, ab Ignatio Patre has Constitutiones sive scriptas sive dictatas esse, maxime quidem quia quae generalia et praecipua sunt, magna ex parte inveniuntur inter illa quae ad usum scholasticorum Polancus in B. Patris scriptis invenit³⁰, tum etiam quia nonnulla modum scribendi S. P. Ignatii magnopere sapiunt: «la vía vera»; «con continua subordinación y commemoración de monseñor nuestro» etc.; «vltra la obligación». Usus gerundiorum: «ninguno visitando o queriendo hablar»; «la invernada leuantándose antes del día»; «tomando entre seis o siete horas por el quotidiano dormir»³¹.

Quod si S. Ignatius Constitutiones illas vel scripsit ipse vel dictavit; multo veri similius est, scriptas esse prius hispanice quam italicice; etenim fere semper S. Ignatius hispane scribebat.

Adde multo pleniorem esse Ordinationem quam has Constitutiones. Atqui in hujusmodi rebus gradus ab imperfectis ad perfectiora multo probabilior est quam contra. Nisi forte textus

³⁰ Infra, monumentum 29, p. 220.

³¹ Infra, pp. 175-177. Quoniam hae Constitutiones scholasticorum patavinae antiquissimae sunt, conferri possunt cum constitutionibus collegii parisiensis Montis Acuti, (anno 1499 a Joanne Standonk conditi) factis anno 1503, quas in lucem dedit Marcel Godet in suo opere *La Congrégation de Montaigu*, pp. 143-170. Paucissimas res communes invenies nemud proponendi modum. Cf. et HERMAN S. J., *La Pédagogie des Jésuites*, parte 1, c. 1. Plura affinia inveniuntur in ordinationibus P. Simonis Rodriguez anni 1545-1546 factis. Cf. *Epist. PP. Broet...* 838-841.

hispanus ideo imperfectus sit, quod aut translatio imperfecta remanserit, aut mutila ad nos pervenerit.

Neque nescimus multa esse in textu hoc hispano quae italicam linguam imprimis redolent, quaeque proinde in translatione optime explicantur. Huc spectat usus articuli *lo* pro *el*, *lo officio*, *lo doliente*, *lo stilo*; apostrophus *vn' hora*, *l' otro domingo*; ratio scribendi, *lettión*, *lettiones*. Sed haec explicari fortasse etiam possunt partim ex librario italo, partim ex ipso dictante, linguas italicam et hispanicam commiscente.

Probabilis ergo conjectura est, Ordinationem et proinde has Constitutiones esse anni 1546, atque eo anno Fabrum venisse Patavium.

Sed de conjecturis satis. Scriptum est hoc monumentum manu librarii, litteras nonnullas, v. g. extremum s, sic efformans ut S. Ignatius saepe efformabat, neque tamen cum S. Ignatii scribendi forma confundi potest.

§ 2. De statutis bononiensibus 1548 (?) (Monumentum 36)

Haec statuta scripta esse ante quam annus 1548 clauderetur, affirmare certo possumus; scripta enim sunt manu Ferronii, qui ultimis ejus anni mensibus vita functus est. Utrum vero eo ipso anno an prius, conjectura quaerimus; vix non certum est aut initio ejusdem anni aut saltem post mensem Aprilem praecedentis id accidisse. Initio enim monumenti scholasticis omnibus injungitur, ut vota quater in anno renovent. De hac autem votorum renovatione consultatio est, quae ad initium anni 1548 pertinere videtur³². Signata enim est a P. Hieronymo Nadal, et ab Aegidio Foscharario magistro sacri Palatii. Jam vero Nadal Roma in Siciliam profectus est mense Martio anni 1548³³; Foschararius magister sacri palatii creatus mense Aprili 1547. Itaque intra hoc tempus signata est consultatio.

Fieri quidem potuit, ut vota renovarentur ante illam consultationem factam, maxime si renovatio illa sponte facta esset.

³² Epist. P. Nadal IV, 97. Notandum est, in ms. bene legi *de Puteo*, non *Pucci*.

³³ Ib., II, 3.

Ex nostro monumento constat, Jacobum quemdam voluisse, sua renovare quotidie vota, neque in ea re difficultas appetit. At non adeo probabile videtur, hanc renovationem quater in anno faciendam omnibus esse impositam priusquam haec consultatio et responsio affirmans haberetur.

Alii conjectuae locum praebet Jacobus ille qui initio et in fine monumenti nominatur. Primum quidem ponimus eumdem esse hunc Jacobum et illum qui Bononiae versabatur anno 1546, de quo Domenech, collegii bononiensis tunc moderator, ad Ignatium mense Julio Bononia scribebat³⁴. Scribit autem Domenech, Jacobum in patriam venisse, ipso Domenech, victo precibus importunis genitoris Jacobi, consentiente, ibique magno cum animorum fructu concionatum esse. Ultima vero paragaphus horum statutorum significat, Jacobum ipsum postulasse veniam in patriam eundi, imo causam itineris valetudinem protulisse. Conjecimus hoc iter, quod negat S. Ignatius esse suscipiendum, multo posterius fuisse itinere jam facto sub Domenech moderatore; ac nisi valetudo facilem occasionem prius dederit, verisimile est plus etiam quam annum inter utrumque tempus elapsum esse. Aperte enim significat Domenech aegre se itineri primo consensisse. Hac via ad finem anni 1547 vel etiam initium 1548 facile deducimur.

ARTICULUS VI

DE REBUS QUIBUSDAM AD EXAMEN PERTINENTIBUS, 1546-1550 (Monumenta 25 et 41)

Post Constitutiones scholasticorum, quae res ad partem quartam Constitutionum pertinet, agimus de monumentis duobus, quorum alterum certe ad Examen spectat, alterum spectare potest. Ad Examen spectare potest monumentum sub numero 25 positum, quod est de impedimentis quibusdam (impedimenta enim ingressus in Societatem inveniuntur cum in Examinis capite altero, tum in Constitutionum parte secunda, capite tertio); ad Examen certe spectat monumentum numero 41 notatum. Sed de illis hoc loco agimus, quia primum videtur per-

³⁴ *Litt. Quadrim.* II, 10 et 15.

tinere ad annum 1546. Id maxime colligimus ex locis et hominibus quibusdam ad quos haec impedimenta missa sunt.

Et primum quidem Tridentum mitti dicuntur ad Claudium Jajum et Alfonsum Salmeronem. Quidni etiam ad Lainium, quem una cum Salmerone Tridentum venisse, notissimum est? Hinc tempus monumenti nostri intelligere possumus.

Nam S. Ignatius die 20 Julii anni 1546 scribebat Lainio, Salmeroni et Jajo: «que por el fin de agosto esté aparejado Mtro. Laýnez para partirse para Florencia»¹. Etsi autem Lainius anno 1546, retentus Tridenti a cardinali Sanctae Crucis, Florentiam petuisse non videtur²; cum tamen monumentum de impedimentis missum sit ad Jajum et Salmeronem tantum, merito opinamur missum esse quo tempore Ignatius Lainium Tridento abesse existimare poterat, itaque post mensem Augustum anni 1546.

Praeterea missa sunt ad reliquos omnes primos socios praeter Fabrum. Jam vero is, ineunte anno 1546 ex Hispania revocatus, Romae obiit die primo Augusti anni ejusdem³.

Dicuntur etiam mittenda Bononiam ad Hieronymum Domenech. Is vero «ad festum Ascensionis Domini [3 Junii 1546]... Bononiam» pervenit, unde primo vere anni posteri revocatus et in Siciliam missus est⁴. Quae autem de reliquis hominibus ad quos monumentum mittitur, novimus, potius roborant quam debilitant propositam sententiam; vide notationes textui suppositas.

Scriptura denique ipsa idem suadet, quia monumentum scriptum est manu Ferronii, qui re vera hoc tempore in urbe versabatur⁵.

Jam si impedimenta hoc monumento contenta cum illis comparabis quae in primo Examinis exemplo exprimuntur⁶, eadem fere esse utrobique invenies; hunc autem textum pertinere probabiliter ad annum 1546 in Prolegomenis voluminis secundi dicemus. Quare illa impedimenta jam eo anno Ignatius Pater sic rata habebat, ut hoc monumento exprimitur.

¹ *Monum. Ignat.* ser. 1^a, I, 401.

² *Lainii Monum.* I, 53-54; *Chron.* I, 214.

³ *Monum. Ignat.*, ib., pp. 359 et 406.

⁴ *Chron.* I, 175, 210, 236.

⁵ *Monum. Ignat.* ser. 1^a, I, 402 sqq.

⁶ Hunc textum dabimus in vol. II.

Alterum monumentum, sub numero 41 contentum, est locus in exemplo Examinis tertio seu Autographo, scriptus manu Polanci in folio quidem 17v, inserendus tamen (monente ipso Polanco) in folium 6v; locus ille est «Se demande si ha tenido... de letras y bondad», *Examen III*, 11-12. Hic locus est in codice *Rom. I* monumentum Cl, scriptum quoque Polanci manu, neque ulla temporis notatione distinctum. Eo tamen ipso folio scriptum est aliud ab ipso Polanco, et quantum conjicere possumus, calamo, atramento ac tempore iisdem. Inscriptitur autem «Capitoli circa il collegio di Messina». Horum vero capitulorum tempus etsi in monumento ipso non constat, cognosci tamen magna cum probabilitate potest. Sunt enim epistolae nonnullae Polanci ad Natalem datae anno 1550, quae de his capitulis agunt. Primi capituli, quod de octo lectoribus est, meminit epistola data die 19 Julii, ubi reliqua etiam capita indicantur. Ducatorum mille et quingentorum, de quibus etiam capitulum primum loquitur, epistola missa die 27 Septembris; denique capitula omnia verbum e verbo Natali missa sunt die 11 Octobris⁷. Ex his ergo epistolis probabiliter colligimus nostrum monumentum, in quo et capitula collegii messanensis et additamentum Examinis conscripta sunt, ad annum etiam 1550 pertinere.

ARTICULUS VII

DE MINISTERIIS QUIBUSDAM ET CURA MULIERUM VITANDIS

Duo monumenta sub hoc titulo amplectimur: primum monita quaedam sunt Ignatii Patris, alterum est supplex libellus, quo summus pontifex privilegium quoddam Societati concedit, qui quidem libellus, eo quod de re omnino singulari agit et cum primo monumento intima cognatione conjunctus est, huc potius afferendus quam inter diplomata pontificia reservandus videbatur.

§ I. Ministeria quaedam vitanda, 1546 (Monumentum 26)

Normae quatuor primo monumento continentur, de quarum prima, anno 1546 (die 9 Octobris) scribit Ignatius Michaëli.

⁷ *Monum. Ignat.* ser. 1^a, III, 123, 189, 198-199.

Turriano: «Sabed que la resolución nuestra a sido y es de no cargarnos con mujeres en obediencia, de las presentes ni de otras por venir»¹ etc.

Reliquarum trium regularum memoriam ita expressam nondum invenimus; sed cum generis ejusdem ac prima sint, et una cum illa in apographo inveniantur, probabilius admitti potest omnes ad tempus idem pertinere, praesertim cum secunda norma in altero monumento non obscure indicetur.

Possumus ergo illi fidem habere, qui huic monumento, sicut aliis quibusdam codicis hujus, praeposuit nomen *Ignatius*, quod quidem nomen antiquius esse videtur quam littera S, huic eidem nomini praefixa.

Una cum hisce quatuor normis tres aliae in ipso apographo reperiuntur, quae, etsi praecedentibus sine intercapidine junguntur, numeris tamen notantur 10°, 11, 12, cum notari debuissent numeris 5, 6, 7, si una serie cum prioribus continebentur. At haec tria capita huc non pertinere ostendunt non solum res prorsus diversae de quibus agunt (quas paulo post indicabimus), sed hi ipsi numeri et modus dicendi. Cum enim quatuor primae normae dicant quid non faciendum sit, sequitur illa quae deberet notari numero 5, notatur autem numero 10, ita expressa quasi praecessissent normae affirman tes; ait enim: «En obras de misericordia también se emplearán» caet. Illud *también-etiam*, praecedentem orationem affirmantem desiderat, negantem respuit. Nempe tria haec capita, cum suis ipsorum numeris, in hunc codicem transcripta sunt ex Constitutionum exemplo A, f. 96, et ita quidem transcripta, ut quae ibi addita sunt in margine manu S. P. Ignatii, hic in ipsius textus corpore legamus. Agunt autem de operibus misericordiae corporeis, de ministeriis collegiorum, de scribendis libris.

Locos typis exscribimus una cum reliquo exemplo A in volumine altero hujus operis; qui loci cum in Constitutionibus fere ad verbum permanerint, possunt interim legi in *Const. VII*, 4, 9-11.

¹ *Monum. Ignat.* ser. 1^a, I, 437-438.

§ 2. De cura mulierum non admittenda, 1547

(Monumentum 27 et 27^{bis})

Notissima ex Ribadeneira illa historia est, mulieres quasdam a summo pontifice Paulo III impetrasse, ut et vota religiosa nuncuparent et Societati Jesu, proinde ejus praepositi generalis Ignatii, obedientiae, subjacerent². Id accidebat anno 1545. «Id quidem, inquit Polancus, praedicto Patri Ignatio non expedire videbatur... Videtur tamen Dei providentia id initio permisisse, ut hujus oneris molestia per experientiam Societati innotesceret, quo majori cum diligentia in posterum hujusmodi occupationi ostium... occluderetur»³.

Obtinuit ergo Ignatius a summo pontifice ut et ipse et Societas hoc onere liberaretur, id quod monumentum exponit. Hujus meminit Polancus in Chronico⁴ idque Ribadeneira «letras apostólicas» appellat⁵.

Haec res anno 1549 in bulla «Licet debitum» confirmata est, quae quidem in ea parte, etsi bullam «Virtute conspicuos» quae a Clemente IV Ordini S. Francisci et a Gregorio XI Ordini S. Dominici concessa est, sicut alibi saepe (id quod suo loco videbimus) transcribit; tamen non tam ex hac bulla quam ex Ignatii experientia nata creditur⁶.

Primum exemplum adversaria videntur, ubi res ipsa postulanda, omissis vel obiter indicatis curiae formulis, sola exponitur; alterum est ipse libellus supplex originalis⁷.

² *Vida*, I, 3, c. 14. Tres fuerunt mulieres: Elisabetha Roser, hujus ancilla Francisca Cruyllas et Lucretia de Biadene (alias Bradene seu Bradine). Hae professionem emiserunt in manibus S. Ignatii die nativitatis anni 1545. Formulae professionis sunt in archivo Societatis. Cf. *Monum. Ignat.* ser. 1^a, I, 437-441, et 488-493; ser. 4^a, I, 645-659, et vol. II pluries, v. nomen *Rosés*.

³ *Chron.* I, 148.

⁴ *Ib.*, p. 211.

⁵ L. c.

⁶ *Infra*, c. 3, a. 8, et monumentum 39, n. 13, p. 363.

⁷ V. annot. 1 ad ipsum monumentum, p. 183.

ARTICULUS VIII

CONSTITUTA ET ANNOTATA, 1544-1549 (Monumenta 28-28^{ter})

Tria huic articulo monumenta subjicimus, quorum singula singulis titulis inscribuntur: «Determinationes in Domino», «Notas para determinar» et «Determinationes antiguas».

Eadem tria editio matritensis supposuit titulo: «Capita quae-dam Instituti Societatis inter primos Patres proposita, exami-nata et deliberata»¹. Quid de hoc titulo sentiendum esse vi-deatur, deinde perspicies. Matritensis autem editio ponit primo «Determinationes antiguas», deinde «Notas para determinar», tertio «Determinationes in Domino»; est autem ordo ipse qui tam in codice *E* unde sumuntur, quam in veteri tabulario erat, remanent enim etiam nunc signa A, VII, 7; A, VII, 8; A, VII, 9. Quoniam vero ipse trium inter se ordo monumentorum ad ipsorum historiam non parum conferre potest, inquirendum quisnam inter tria illa ordo commodior videatur.

§ 1. De ordine horum monumentorum

1. In codice *E*, ubi haec asservantur, folio 75, initio monumen-ti inscripti «Determinationes in Domino» est monitum hoc manu Polanci: «En estos 3 cuadernos están borrados mu-chos puntos por Polanco, y quedan algunos por sus números que parece tienen que consultar»².

Tres codicilli seu quaterniones, quorum meminit Polancus, certe sunt tria haec monumenta, id quod facile ex dicendis elu-cebit. In his ergo tribus puncta quaedam sunt non cancellata, inquit Polancus, de quibus deliberandum est, atque haec puncta singula suis numeris notantur.

Jam capita non cancellata de quibus polanciana notatio lo-quitur, hoc ordine inter se succedunt: 1-10 in «Determinationes in Domino»; 11-35 in «Notas para determinar»; 36-45 in «De-

¹ Pagg. 316-324.

² Infra, p. 186. Aliqua forte deleta sunt manu S. Ignatii, v. g. in n. 67· deletum est c. 3^{um}, addita vero res ipsa est capiti primo idque manu S. Ignatii.

terminationes antiguas». Non est dubium quin Polancus hac serie hos codicillos habuerit, quorum singuli nova foliorum serie a folio 1 incipiebant, id quod in foliorum notatione antiqua etiam nunc manet.

2. Cum autem in codice signa numerorum alia complura videamus, paulo accuratius hunc locum enodemus. «Determinationes in Domino» omnino duae supra triginta numerantur, quibus signa numerorum 1-32 in margine sinistro praeponuntur. Non cancellata remanent capita 7 et 8, 14, 20, 24, 28, pars 29ⁱ, 30, 31, 32, capita itaque decem, quibus affiguntur signa 1-10 in margine dextro, praeter partem illam capitinis 29, cui praeponitur signum 7 in margine sinistro³.

3. In «Notas para determinar», ff. 59-66, erant capita 32, signis numerorum in sinistro etiam margine praemissis, quibus adjunguntur capita decem de novitiis instituendis, in his autem decem capitibus nova numerorum series exorditur. Nam cancellata remanent puncta quae sequuntur: pars 1ⁱ, 2, pars 3ⁱ, 5, pars 7ⁱ, 8, pars 9ⁱ, 11, 19, 20, 21, 22, 23, 26, 27, pars 28ⁱ, pars 30ⁱ; septemdecim ergo capita e punctis seu capitibus 32; e decem autem capitibus ad novitios instituendos, non cancellata manent octo: 1, 2, 4, 5, pars 6ⁱ, 8, 9, et 10; sed ex his octo capitibus duo in unum coaluerunt, ac proinde septem tandem remanent, quae si septemdecim prioribus annumerantur, efficiunt numerum 24, non 25, qui numerus esse deberet, ut capita 11-35 penitus explerent. Ratio discriminis in eo est quod caput 24 (eumdem locum et numerum occupans in tota serie et in serie non cancellata) deletum omnino est. Videtur ergo existimasse prius Polancus deliberari oportere circa illud caput, mutato autem consilio aliter judicasse. Certe bis notatur signis 24, semel ordine capitum omnium, iterum in serie capitum non cancellatorum, quae numerorum signa in media pagina fere semper suis capitibus praefiguntur.

Revera itaque quaternio seu codicillus, cui titulus «Notas para determinar» seriem capitum non cancellatorum, incepitam in codice «Determinationes in Domino» continuat.

³ Haec minutissima persequimur, ne, si quis forte in ipsum codicem manu scriptum incidat, velitque singula vestigare, tantum in ea re desudet, quantum nobis desudandum fuit.

4. Sequuntur «Determinationes antiguas». Haec tribus et viginti capitibus continentur, totidem signis 1-23 in margine sive dextro sive sinistro collocatis. Ex his integra seu non cancellata perseverant capita 3, 4, 6, 12, 16, 19, 20, 22 et loci duo capitibus 23; quae singula suis quoque numeris 36-45, perpetua cum praecedentis codicilli serie, insigniuntur.

5. Cum ergo hi codices a Polanco hoc ordine, qui ex his numeris patet, collocati sint, suntne hoc etiam ordine conscripti? Contra potius, *Determinationes antiquas prius*, *Determinationes in Domino posterius* esse litteris mandatas opinamur. Nam S. P. Ignatius titulum posuit «*Determinationes antiguas y nuevas*» (p. 209), paulo post «*Determinationes antiguas*». Duplex ille titulus mentem Ignatii aperte satis declarat, volentis adjungere determinationibus antiquis, quae hic ponuntur, novas alias, quas cum illo titulo «*Determinationes nuevas*» non habemus; suspicamur autem has «*Determinationes novas*» illas esse quae in folio 77 vocantur «*Determinationes in Domino*» (p. 182), ita ut ex mente S. Patris Ignatii hae «*Determinationes in Domino*», post illas *Determinationes antiguas* ponendae, unum quasi corpus efficere deberent, quod sub titulo «*Determinationes antiguas y nuevas*» contineretur. Caeterum consentaneum est, ut *Determinationes*, quae antiqueae appellantur, et juxta alias ponuntur, quae illo nomine non donantur, antiquiores sint. Ordo itaque quem ex hoc loco sequi deberemus ille est: «*Determinationes in Domino*», «*Notas para determinar*».

Imo in indice qui est in codice *Po. de constit.* ponuntur a Polanco primum hae quae *Determinationes antiquae* vocantur (p. 225), tum aliae *determinationes* «que parezcan más nuevas» (p. 226), sunt autem hae quae *Determinationes in Domino* appellantur; tertio «*Notas para determinar*» (p. 228). Unde etiam probabilius conficimus «*Determinationes illas in Domino*» (p. 187) esse re vera illas quas S. Ignatius manu sua uno illo titulo amplexus est: «*Determinationes antiguas y nuevas*».

Ordinem eumdem Polancus ipse alibi secutus est. Nam cum singula haec monumenta expenderet, ac dubia quaedam circa illa proponeret, quinque circa *Determinationes*, unum circa *Notas* indicavit (p. 240). Jam vero, *Determinationes in antiquas* et *novas* non distinguens, dubia quatuor prima ad *determinationes antiquas*, quintum ad *determinationes in Domino*, sextum

ad Notas adjunxit. Ne autem dubitare possemus, quominus illa dubia ad Determinationes Notasque referantur de quibus hic agimus; appinxit Polancus dubiis illis signa quaedam, quae nunc sunt in codice *Po. de Constit.* eademque in Determinationibus Notisque, quae nunc sunt in codice *E.* repetivit.

Quando ergo Polancus dubia illa notavit, alium ordinem habuit ab eo, quem multa cancellans, quaedam ad deliberandum numerans, retinuit.

Quamvis autem ex dictis ordo ille primus antiquior sit, cum tamen series numerorum unica, ab initio ad finem perpetuo deducta, haec polanciana perseveret, neque gravius inde incommodum oriatur; hunc etiam ordinem conservandum existimavimus.

§ 2. Loci Constitutionum indicati

Juxta «Notas para determinar» (p. 197) sunt interdum aliorum numerorum signa, quae unam aliquam e decem Constitutionum partibus indicare videntur, eam partem, ad quam res eo loco posita spectare existimatur, sive cancellatum sit punctum illud, sive non cancellatum; quae cum singula suis locis annotemus, satis sit in praesens illorum seriem apponere. Itaque est numerus 1 juxta capita 18, 27, 31; numerus 2 juxta capita 17, 19, 28; numerus 3 juxta capita 7, 8, 11, 26, 32; numerus 4 juxta capita 1, 6, 25; numerus 5 juxta caput 2 (hoc caput notatur nunc solo numero 12, qui conflatus est ex signo 1, quod praepositum est antiquo signo 2); numerus 6 juxta capita 8, 10, 12, 16, 30; numerus 7 juxta capita 13, 21; numerus 8 juxta caput 29; numerus 9 juxta capita 14, 15.

Haec numerorum signa scripta videntur manu Polanci, ut signa paragraphorum non deletarum.

§ 3. De particulae hispanae si significatione deque inscriptione tribus monumentis communi

1. Aliae quaestiones nobis hoc loco solvendae restant, quas et tituli quidam, partim recentiores, partim antiqui, et ipsa hujus monumenti forma suggerere possunt, quibusdam certe suggesterunt.

Scripsit P. Boero in f. 18 codicis *E* hunc titulum: «Declarationes quaedam circa Constitutiones S. J. inter primos Patres propositae, examinatae et approbatae cum adnotationibus S. P. N. Ignatii».

Tituli antiquiores sunt in ff. 73v et 75r. Titulus in f. 73v, qui referendus videtur ad «Notas para determinar» est hujusmodi: «Capita quaedam instituti, inter primos Patres proposita examinat[ā] et r[e]jecta aut approbata» (charta est absumpta); alter titulus conjunctus est cum titulo prisco «Determinaciones» atque ita se habet; «sive observationes quaedam ad certa instituti nostri capita pertinentes, deliberatae inter primos Patres et expensae». Facile patet, aliquid esse discriminis inter hos antiquiores titulos et recentiorem illum a P. Boero additum. Cum enim illi primorum Patrum operam a P. Ignatii opera non distinguant, distinxit Boero, quae distinctio in causa forte fuit opinionis cuiusdam quam paulo post exponemus. Hanc vero ut intelligamus, duo praemittenda sunt, alterum de significatione hispanicae particulae *si*, alterum de ipsa externa horum monumentorum dispositione.

2. Itaque particula hispana *si* (quae in his monumentis saepissime usurpatur) esse potest primo adverbium affirmandi et significat *certe*, secundo conjunctio conditionalis non aliter ac particula *si* latina, tertio particula indirecte interrogandi sicut latinae particulae *an*, *ne*, *utrum*.

In his autem tribus monumentis particula haec *si* fere semper quatuor lineis clausis continetur hoc modo , idque initio singulorum capitum.

Jam vero editio matritensis ita particulam illam semper exscripsit, ut latinae particulae *utrum*, *an*, *ne* respondeat v. g. «Si todos los que fueren de la Compañía, sean sacerdotes» «Affirmatiue», «An omnes qui fuerint in Societate, sint [esse debeat] sacerdotes» (p. 212) caet. Dubitarunt quidam, rectene *an* perperam. Nam cum particula illa *si* eo modo, quo diximus, a textu separetur, subjungatur autem adverbium *affirmatiue*, manu interdum S. Ignatii; cumque omnia inter primos Patres acta, et a P. Ignatio sive approbata sive rejecta dicantur (huic sensui titulus a Boero adjunctus magnopere favet, antiquiores tituli nihil obstant): nonne suspicari saltem licet, in quibusdam capitibus, illud *si*, esse adverbium affirmandi ac significare sen-

tentiam caeterorum Patrum approbantium, cui S. Ignatius calcum suum deinde per adverbium *affirmatiue* apposuerit? Adde, in ipsa editione matritensi locis quibusdam separari particulam *si* a sequentibus adhibita virgula (,) ⁴. Certum tamen videtur editorem noluisse, ne his quidem locis, tribuere particulae *si* sensum affirmandi; si hoc voluisset pinxit apicem super littera i; separasset autem a sequentibus, non sola virgula, sed saltem punto et virgula (;).

3. Igitur ut quaestioni huic satis plane faciamus, una via est, longa illa quidem, ast unica et certa: particulae illius usus in singulis quaternionibus accurate perpendendus est. Incipimus ab eo cui titulus *Determinationes in Domino*, (p. 187) quia in omnibus et singulis capitibus praecedit *si*, sequitur *affirmatiue*, id quod in reliquis duobus codicillis non accidit.

In hoc monumento utrumque vocabulum semper manu illius librarii scriptum est, qui capita omnia perscripsit. Particula vero *si* ita praecedit, ut in margine e regione versus primi scripta sit. Semel autem appareat scriptum fuisse *Si*, non in margine, sed in ipsius versus initio, mutatum tamen est in *Los* scriptumque *Si* in margine (p. 188, n. 8); iterum scriptum erat *S* in ipsius versus initio, illud autem *S* emendatum est in *L* scriptumque etiam *Si* in margine (p. 189, n. 12).

In n. 10 particula *si* erat prius in medio corpore capituli: «Quando en los collegios de la Compañía faltase copia de escholares para ser della, si pueden tomar» caet. Deleto autem hoc *si*, manet illud *Si* initio capituli, in margine (p. 188).

In n. 27 illud *Si* quod est initio jungitur verbo *determinarán* non aliter atque alterum *si* quod est in medio capite *o si determinarán*, atque tertium *si* in fine *o si hará la información Polanco* caet. (p. 193).

4. Vide nunc quid codicillus ille «Notas para determinar» praebeat (p. 197). In quinque foliis primis omnia et singula capita habent *Si* in margine e regione versus primi; semel ita conjunctum «*Si* —sobre el descubrir» (p. 197). In hac parte saepe scripta est particula haec manu S. Ignatii, nominatim septies in f. 59r et v (pp. 197-199). In quo folio prorsus singulare est,

⁴ *Matr.* p. 317, n. 21; p. 319, nn. 2 et 6; p. 320, nn. 17, 20; p. 322, n. 15; p. 323, nn. 23 et 24.

quod particula *Si* scripta prius erat a librario, non e regione versus alicujus, sed in summa media pagina, ubi titulus capitis poni solet, quasi particula illa, semel posita, sequentia capita omnia afficere deberet. Imo in f. 59v, ter scripta erat particula in ipso textu: «Si en las misiones... Si mostrando... Si el enseñar»; deleta vero hac particula, ter scripsit S. P. Ignatius in margine *Si* (pp. 198-199). Quartus locus est in folio eodem integre manu S. Patris perscriptus cum particula *Si* in margine, e regione primi versus; cui loco praeterea apposuit S. Pater haec verba: «Si en declaraciones o no» (p. 199).

Quatuor praeterea capita sunt in f. 61v, unum in f. 63r, omnia manu S. Patris exarata; in tribus e quatuor primis et in ultimo praecedit eodem modo particula *Si* scripta etiam manu Ignatii (pp. 201-202, 203).

Denique locus in f. 63r manu Polanci perscriptus, prae se fert etiam particulam *Si*, utrum ipsius Polanci an Ignatii manu praepositam, statuere non audemus.

In his «Notas para determinar» nunquam sequitur *Affirmative*, nec plerumque verbum ullum quod rem approbatam jam aut rejectam indicet. Nihil mirum, sunt enim haec determinanda, reliqua vero determinata seu definita.

5. Jam usum et vim particulae *si* in «Determinationes antiquas» expendamus (p. 211). In capitibus primis 1-23 invenimus initio particulam *Si*, in fine adverbium *affirmative*, omnia unius, nisi fallimur, librarii manu. Particula *Si* in capite 19 inclusa quoque est quatuor calami tractibus, habet autem post se punctum, hoc modo *Si*. (p. 215), id quod nullo alio loco invenitur. In capite autem 23 cuius initium emendatum a S. Ignatio est manu sua, particula *Si* cum verbis ab Ignatio Patre additis conjungitur hoc modo «*Si* del perlado» (p. 217).

Post caput 23 sequuntur alia tria capita (quae Polancus sub uno numero 44 consideranda, neque cancellata, praeter minimam partem, reliquit) sine numeris ac sine particula *Si*; quorum primo tamen S. Ignatius in fine adverbium *affirmative* subjunxit (p. 218).

6. Quid ergo censendum? Estne particula *si* adverbium affirmandi an particula indirecte interrogandi? Seu vertendane latine est per adverbium *certe* an per particulam *ne* seu *an*? Nam conditionalis certe non est.

Nobis videtur esse particula interrogandi, vertenda per *ne vel an*, ac proinde in editione matritensi recte transcripta.

Ratio est quia in locis quibusdam sensus ille certissimus est, neque causa ulla sufficiens appetit, cur in reliquis significationem immutet.

Certissimus est ille sensus in sententia illa S. Ignatii: «Si en declaraciones o no» (p. 199).

Item in f. 83r, n. 27, ubi jungitur verbis *determinarán, se determinarán, harán* (p. 193).

Certissimus etiam erat sensus ille in f. 78r, n. 10, quando particula *si* in medio corpore capituli reperiebatur (p. 188); mutatam vero esse sententiam eo quod particula illa e medio capite ad initium translata sit, probabile nobis non est. Idem dicendum de illis tribus locis ubi *Si* ter scriptum erat in ipso textu, (pp. 198-199), et de duobus illis aliis, in quibus scribi coeptum erat in textu (pp. 188-189, nn. 8 et 12).

Inter certissimos locos etiam illos computamus, qui manu Ignatii Patris aut manu Polanci integri scripti sunt (pp. 197, 201-202, 204).

Neque multum, quod ad certitudinem sensus pertinet, a praedictis illi loci discrepant, in quibus particula *Si* cum versu primo conjungitur ducto calamo: «*Si* —sobre el descubrir» (p. 197); «*Si* del perlado» (p. 217). Cur enim adverbium affirmandi, quod ipsum per se sententiam claudit, hoc modo cum sequentibus copularetur?

Jam nullam esse causam cur in reliquis alium sensum perquiramus, similis vel potius aequalis in tribus monumentis ab initio ad finem constructio efficit.

His adde quod locus proprius adverbio affirmandi, non initio, sed in fine sententiae est. Imo si particula responderet adverbio *certe*, non intelligitur haec cura, semper illam cum primo versu, imo cum primo verbo conjungendi, quando pari vel etiam potiore jure e regione cuiuscumque versus vel etiam nullius, dummodo e regione capitis, collocari potuisset.

Denique in aliis illius temporis monumentis nostrarum Constitutionum praeviis, rationem hanc proponendarum rerum, de quibus agendum est, frequentissime legimus, id quod in quatuor primis dubiorum ordinibus monumenti 38 videas licet.

7. Quod semel, ut diximus, particula *Si* punctum post se

habeat (p. 215); summum evinceret, uno hoc loco significare *certe*; sed alia tam multa hunc sensum respuentia, vetare id possunt.

Opponi etiam nostrae sententiae illa capita forte videantur, in quibus particula *si* cum ea verborum forma conjungitur, quae recto usui particulae interrogantis fortasse non convenit, v. g. «Si no sean liciones ni estudio alguno en la casa»⁵.

Primum quidem grammaticas leges in S. P. Ignatii scriptis quaerere non oportet. Deinde cum ante particulam indirecte interrogantem verbum aliquod supplere necesse sit, illud supple quod ad orationem bene conformandam aptissimum videotur, v. g. *Dúdase*, atque hac via invenies modum dicendi a Polanco, in veteri Castella nato et enutrito, in hoc monumento ipso usurpatum: «Dudo si sea bien quitar» (p. 211).

Tertio hos et similes locos, imo maximum omnium locorum numerum (*certe* non omnes) scriptos esse arbitramur sine illa particula, sensu proinde absoluto; deinde vero adjunctam esse particulam, qua rem in deliberatione etiam tum versari significaretur. Dicimus tamen non omnia capita ita prius esse perscripta, propter illa quae supra vidimus, particulam *si* aut in media oratione aut in ipso orationis contextu contineri.

8. Quae cum ita sint, quid jam sibi volunt verba illa titulorum, quibus affirmatur, capita haec «inter primos Patres proposita, examinata, et rejecta aut approbata» esse?⁶ Si rem ita intelligi volunt, ut caeteri Patres judicium suum per particulam *sí* seu *certe* exprimerent, Ignatius vero per adverbium *affirmative* illud sanciret; huic opinioni subtractum est fundamentum. Deinde, sublata etiam hac particulae *si* significatione, si primos Patres intelligis (quod merito plerumque fit) socios Ignatii Patris novem primos partemve eorum maximam; de quibusdam capitibus facile, de quibusdam difficile intelligitur.

Tractata certe sunt inter primos Patres illa quae in deliberationibus anni 1539 et deinceps usque ad 1541, quorum nonnulla in his capitibus inveniuntur v. g. praepositum generalem esse ad vitam debere. Illa vero quae sunt de choro, de litteris humanioribus, de annuo voto scholasticorum⁷ et alia

⁵ Fol. 31r, n. 10, p. 213; f. 32v, nn. 17 et 18, pp. 214-215; f. 33r, n. 19, p. 215; ff. 33v-34r, n. 21, p. 216; ff. 35v-36r, n. 22, p. 217.

⁶ V. supra, p. CXLIII.

⁷ Fol. 32r, n. 14; ff. 59r, 60r, nn. 1 et 6; infra, pp. 214, 197, 199.

multa vix credibile est, inter primos decem Patres omnia esse tractata, idque propter illam praesertim causam quod difficile est, tempus invenire, quo Romae simul versarentur, ut simul deliberare possent. Unus praeterea alterve testis *anonymus* (illi qui seriores titulos his monumentis addidere) non aequales, sed probabiliter multo sequioris aetatis, certe non sufficit ad genus quoddam *deliberationis affirmandum*, de quo primi illi fontes prorsus silent. Genus autem hoc esset hujusmodi, quo primum Patres sine Ignatio de re *proposita* (sive ab ipso Ignatio sive ab alio *proposita* esset) inter se deliberarent, deinde Ignatius sententiam illorum expenderet atque approbaret rejiceret.

De constitutione quadam *deliberationem* certe novimus, cuius sacerdotes omnes, qui tum domi versabantur, participes fuerunt, praeter Ignatium. Est illa de quinto voto simplici professorum, quam vide inter haec monumenta *prævia* ultimo loco. Scimus etiam, agente Ignatio, communi consilio caeterorum *propositum esse Natalem tanquam adjutorem vicarium ipsius S. Ignatii vexata valetudine laborantis, qui Natalem ad gubernandam Societatem socium sibi adscivit.*

In Constitutionibus vero faciendis, rem aliter, plerumque saltem, processisse traditum est. Nam initio, anno 1539, omnes simul conveniebant; deinde anno 1541, duobus eorum, Ignatio et Coduri, deliberandi provincia commissa est; mortuo Coduri, unum Ignatium videmus remansisse, cui quatuor in Italia versantes anno 1548 officium illud confirmarunt. Officio autem suo Ignatius ita functus est, ut Constitutiones a se factas sociis omnibus proponeret, quorum judicium postquam accessisset, eo ipso, secundum normam a pontifice summo traditam, factae erant. Quare justam causam videmus nullam, cur particula *si* per adverbium *affirmandi*, velut reliquorum Patrum sententiam exprimeret, declaretur; unde, omissis ejusmodi titulis, qui errori ansam praebere possent, illum *praeponimus Constituta et annotata*, qui et verum dicit et tria monumenta complectitur.

§ 1. De trium monumentorum aetate

1. Intimo nexu cum hac quaestione de primorum Patrum *deliberatione copulatur tempus*, quo haec capita confecta sunt. Nam etsi unus librarius, aequabilis ductus, atramentum, charta,

satis persuadent, uno tempore neque longo intervallo esse omnia exscripta, res tamen ipsas non uno tempore esse constitutas, e modo dictis necessario consequitur; diximus enim res alias ad prima primorum Patrum statuta, alias ad posteriora tempora pertinere. Imo ex iis quae diximus de additis particulis et adverbio affirmandi, facile intelligimus varium tempus deliberandi et constituendi fuisse.

Ac primum quidem S. ipse Pater Ignatius, quando Determinationes alias antiquas, alias novas appellat, tempora diversa sine dubitatione significat. Polancus determinationes in Domino vocat «otras determinationes que parezen más nuevas y tocantes a collegios». Deinde, quod alia sint jam constituta, seu «Determinaciones», alia vero constituenda seu «Notas para determinar» probabilem etiam temporum successum ordine eodem continent.

2. Ut autem tempus proprius designemus, ad indices illos confugimus quos habes hic in monumento 30. Sunt enim ibi etiam indices, cum illarum quae «Determinaciones antiguas», tum quae «Determinaciones in Domino» vocantur (pp. 231-233). Index tertii codicilli «Notas para determinar» eo loci non est, probabiliter tamen, non quod factus non esset, sed quia folia, ubi reperiebatur, perierunt. Nam in cod. *Instit.* 18 (ubi sunt ejusmodi indices) folium 9v abrumpitur imperfecto sensu hoc modo: «De la orden de studiar las lenguas en que la scrittura» et in folio sequenti aliis index exorditur (p. 233). Ut igitur deest ultima pars indicis monumenti quod dicitur «Determinaciones in Domino», sic deest integer index harum notarum «para determinar». Cum itaque indices illi earum rerum sint quas Polancus plus minusve concinnatas ineunte anno 1547 invenit, ante hoc tempus haec monumenta orta sunt. Vide praeterea quae sita polanciana in monumento 31 edita, quae certe ostendunt, illas Polanci notationes et nostra Constituta et annotata inter se respicere, et ejusmodi sunt, ut hominem prodant ea omnia et singula expendentem. Cum vero aliunde notum sit ab anno saltem 1544, Ignatium Constitutionibus faciendis operam dedisse⁸, non videtur dubitandum quin aliqua anno 1546 scripta haberet; cumque haec Constituta et anno-

⁸ Hoc ex Ephemeride constat.

tata inter antiquiora numeranda videantur, putandusque Ignatius sit etiam in hac re usus quam primum opera Polanci; probabile ducimus haec Polanco ab Ignatio tradita esse aut ipsis initiiis aut paulo post initium suscepti officii illius, proinde antea fuisse magna ex parte perfecta. Perfecta dicimus seu absoluta, nam quaedam illorum esse antiquiora, supra diximus.

Neque omittendum est, in n. 5 mentionem fieri octo lectorum ad gaudiense collegium mittendorum (p. 187); de qua re Polancus Andreae de Oviedo rectori gaudiensi, scribit die 23 Januarii 1548: «Quanto a los lectores, N. P. ha ofrecido ocho»⁹. Bulla vero erectionis collegii gaudiensis data est die 4 Novembris anni 1547. Jam facile inde colligitur circa hoc tempus de illis lectoribus esse deliberatum et constitutum.

3. Ut vero antiquiora nonnulla ex his Constitutis, sic alia recentiora esse, seu quae ad 1549 vel 1550, quo tempore reformatio bullae praeparanda erat, magis accedant, facile admitti potest ac debet.

Inter «Determinationes in Domino» v. g. quiddam invenitur, quod ad curam animarum e templo B. Mariae de Strata ad Sti. Marci transferendum referri videatur. Titulum enim prae se fert singularem (id quod in ultimis tantum Determinationibus locum habet): «Cerca la cura de las yglesias», ac deliberandum proponit, expeditatne liberum relinquere parochianis, adire ad S. Marcum, aut in templo nostro remanere etc., atque in sequenti dubio agit utrum aliqui e nostris an externi de his rebus consuli debeant, atque «si hará la información Polanco o los otros de casa» (pp. 192-194). Haec sine ulla dubitatione confecta sunt, quo tempore jam Polancus a secretis Ignatio erat. Juvat autem nosse qua ratione quaestionem illam solverint, intimo enim nexus solutio haec cum Societatis Constitutionibus jungitur.

4. Cum enim jam anno 1541 templum Sanctae Mariae de Strata per P. Codacium a Paulo III Societati concessum esset, cum onere tamen curae animarum¹⁰, quam sensu canonico intellectam, non expedire Societati S. Ignatius censebat; nihil mirum, quod is diu multumque cogitaret, quid in ea re fieri oportet, praesertim postquam anno 1544 coram Deo id statuisset,

⁹ *Monum. Ignat.* ser. 1^a, I, 697.

¹⁰ V. monumentum 15, n. 4, p. 71.

quantum ad se pertineret, quod a sociis confirmatum iri certe sperabat: Societatem nulos, ne ad sacristiam quidem, redditus habere debere; nam cura illa animarum hos redditus secum ferrebat.

Jam quid statuerint Patres illi, quorum erat de hac re deliberare, habemus a Polanco scriptum in monumento quodam, quod vide suo loco¹¹.

Non videtur dubium quin hoc monumentum illi consultationi respondeat, quam nunc exponimus. Atqui facultas haec summi pontificis anno 1549 die 5 Aprilis concessa est¹². Ergo huic tempori certe illa determinatio praecessit. Quanto autem tempore praecesserit, difficile dictu est; accedere tamen ad 1549 facile admitti posse videtur, praesertim si addita illa polanciana respicimus, quae varias Constitutionum partes indicant.

Quod vero pertinet ad ipsum tempus deliberationis quae per particulam *si* et adverbium *affirmatiue* significatur, nihil adhuc reperire potuimus.

§ 5. Singularia quaedam

1. Si de his tribus monumentis in universum loquamur, illud ante omnia in mentem venire potest; quoniam nonnulla sunt, ut modo diximus, multis jam ante annis constituta, v. g. praepositum generalem esse ad vitam (p. 39, n. 14), cur denuo in trutina reponuntur? Duo huic quaestioni respondere posse videmur. Primum, in scriptis ignatianis illius temporis invenimus interdum oportere Constitutiones ordinari seu in commodiorem formam redigi. Itaque cum ad hoc opus sese accingeret, omnia ex integro cum ipse videre tum aliis videnda proponere voluit. Deinde quamvis multa ipse S. Ignatius jam pro competitis certisque haberet, aliorum sententiam exquirere, potius quam propriam imponere malebat. Ac re vera quibusdam in rebus (id quod jam Polancus alicubi notavit) etiam suam in gratiam sociorum deserebat. Vide v. g. inter has notationes illam quam Polancus tamquam rem de qua ulterius deliberare oporteret, signavit: «Ni muerto el que hazía la tal limosna pueda

¹¹ In pag. 193, not. 19.

¹² DELPLACE, *Synopsis*, pp. 9-10.

dexar obligado a su heredero» caet. Ad quam rem Polancus: «Véase si esto conuiene, que pareze no podemos ligar a los otros» caet. (p. 206). Atqui secundum hanc Polanci opinionem res tandem in Constitutionibus definita est¹³.

2. Notanda quoque significatio vocabuli *Compañía*. In «Notas para determinar» dicitur: «Si al recibir de vna persona se aya de llamar toda la Compañía que será en la casa, id est, profesos, coadiutores formados y spirituales» caet. (p. 204). Sumitur *Compañía* pro *compañeros*, quasi diceret «todos los compañeros que serán en casa», quod tamen ita declarat, ut ad finem propositum solos profesos et coadjutores spirituales formatos comprehendat.

Paulo inferius conjungit quoque «la Compañía con los coadiutores»: «Si la Compañía, inquit, con los coadiutores... no determinasen», ubi «Compañía» significat «compañeros profesos»¹⁴.

Hac significatione professorum et coadjutorum spirituallium, vel forte solorum professorum, gaudet idem vocabulum duobus locis, ubi dicitur omnes qui Societatem ingrediuntur, sacerdotes esse debere et *letrados*¹⁵. Plenius vocem illam *Compañía* explicabit textus Constitutionum in parte quinta, capite primo. Sed ex his locis ejus evolutio aperte progreditur.

3. Denique juvat insignem locum annotare, ex quo varii Constitutionum textus et regulae quaedam praecipuae, quas in nostro Constitutionum Summario habemus, derivantur. Est locus obliteratus etiam, in indice primo Determinationum antiquarum, n. 21, ita contractus: «Dos medios para la mejor guardia de las Constituciones y seguridad de los particulares de la Compañía» (p. 210). Quorum adjumentorum secundum est: «teniendo nuestros ojos delante de nuestro Criador y Señor, procuremos de proceder con spíritu de amor y no turbados de temor» et caetera quae vide in pp. 216-217.

¹³ *Const.* VI, 2, B.

¹⁴ Fol. 64v, in iis quae deleta et in textu retenta sunt, infra, p. 205.

¹⁵ Fol 30v, n. 39, p. 212, et f. 31r, n. 7 (qui numerus addendus est ante *Si*) obliterato, ib.

ARTICULUS IX

DE INDICIBUS RERUM

Sunt huiusmodi indices partim in codice *Po. de Constit.*, et hi quidem omnes Polanci manu conscripti, partim in codice *Instit. 18, Miscellanea de Constitutionibus*. Quamquam vero vix ullam rem novam continent, sunt enim indices earum rerum, quas fere omnes in reliquis monumentis invenies; certis tamen de causis adducimur ad illos omnes publica luce donandos.

In primis enim nonnulla, pauca illa quidem, indicant, quorum notitiam aliunde non haurimus; deinde Constitutionum genesis et monumenta quaedam a nobis edita singulariter illustrant; tertio conspectum aliquem exhibent illarum Constitutionum quas Polancus, quando secretarii munus suscepit, paratas quodammodo invenit. Hinc etiam accidit ut in his *Prolegomenis* non raro usurpentur, quae nova et sola vix non sufficiens causa est, cur non diutius illos in tenebris latere patiamur.

§ 1. Indices polanciani, 1547-1549? (Monumentum 29)

Polanciani certe sunt indices illi qui ejus manu scripti, in codice *Po. de Constit.* continentur. Neque id ex uno facto concludimus, quod ab eo scripti sunt, sed quia nulla causa est illos alii cuiquam tribuendi, neque signa ulla suppetunt opinandi eosdem aliunde esse transcriptos, et modus loquendi in observatis seu dubiis circa «*Determinationes*» (quarum etiam indicem Polancus fecit) scribam produnt proprio marte laborantem cum dicit: «Quanto a estas determinationes, sería bien que me mostrasen las razones de donde concluyen las conclusiones» (p. 240, n. 2), et titulus ille «*Indices de lo que se trata en los papeles scritos del Padre*» (p. 220) Polanco auctori, quem aliunde scimus Ignatio Patri a secretis fuisse, officio suo fungenti optime convenit.

Illud etiam in his polancianis indicibus notatu dignissimum videtur, notas numerorum quibus partes Constitutionum indicantur, ad quas capita haec singula spectant, ita saepe emendatas esse ut novus numerus monade una priorem superet, unde suspicio nascitur, in priore aliqua Constitutionum divisione ha-

rum partes non decem, sed novem fuisse. Cum autem hae chartae polanciana velocissimo calamo scriptae sint, neque raro bis terve cancellatae; nonnulla continent quae vix aut ne vix quidem legi potuerunt.

**§ 2. Indices anonymi eorumque collatio cum polancianis,
1547-1549 ? (Monumentum 30)**

1. Indices illi, quos initio codicis *Instit. 18*, reperimus, manibus librariorum duorum scripti sunt. In qua serie nonnulli sunt qui a polancianis absunt; vix autem ulli in polancianis, qui in altera serie saltem indicati, non sint. Caeterum etsi iidem fere utroque loco inveniuntur ac proinde res easdem saepe referunt, modo tamen valde diverso frequenter proponunt. Etenim in serie polanciana res quidem notantur, capita vero et folia omittuntur; altera vero series tam res quam folia et capita accurate annotat; res vero ipsas alter index jejune, polancianus copiosius plerumque exprimit. Sume v. c. indicem illum, cui Polancus titulum praefixit «De las primeras Constitutiones firmadas»; alter vero «Indice de las Constitutiones firmadas». Polancus primum caput ita contraxit: «Primero, Maestro Ignacio y Joán Coduri en nombre de Don Claudio, Laýnez, Paschasio, Salmerón presentes y de los ausentes, comenzaron a pensar de las cosas que a la Compañía tocan, y primero de la pobreza» (p. 222). Alter vero ait: «De los que se iuntaron para hazer las Constitutiones fº. 1, capº. pº.» (p. 234). Paulo inferius Polancus: «De la caxeta, que no se puede tener en la yglesia sino para otras pías obras». Alter: «De la caxetta, en qué manera se pueda tener, fº. 2, capº. 11».

2. Fidelior quoque est Polancus in reddenda sententia. Locus quidam e. c. in codice *E*, f. 32v (antiquitus 3v) c. 18, sic se habet: «Si del perlado sea el disponer en las cosas particulares, y de toda la Compañía en las cosas generales», caet. (p. 215), quem locum ita contrahit Polancus: «El perlado disponga de las cosas particulares, la Compañía de las generales» (p. 226, n. 9. 16); alter vero scribit: «Del perlado sea disponer de las cosas de la Compañía generales y particulares, fº 3, capº 18» (p. 232). Facile patet ab hoc altero mutatam esse sententiam.

Haec indicia probabiliter ostendunt, alterius seriei indices

a Polanco auctore non esse, etsi aliunde certo constat, illum aliquo modo laboris hujus participem fuisse, quippe qui manu sua et pauca quaedam emendavit et titulum illum «Indice de otras determinaciones», in f. 9, adjunxit (p. 232).

3. Et quamquam unis eisdemque fontibus, quod paulo post ostendemus, uterque indicator plerumque usus est; Polancus tamen ignatianas chartas, praeter haec nostra monumenta, videri posset habuisse, alter vero haec ipsa scripta, a nobis in lucem edita.

Chartis ignatianis usum esse Polancum ad suos indices conficiendos, ipse his verbis testatur: «Indices de lo que se trata en los papeles scritos del Padre». Quae verba obvium sensum referre videntur «in chartis scriptis a Patre». At cum aliunde constet in his ipsis indicibus conficiendis usum esse Polancum exemplis a nobis in lucem editis, quorum nulla sunt integre scripta a Sancto Ignatio, melius interpretabimur illud «del Padre» per genitivum possessivum, quem vocant, hoc modo: «in Patris chartis scriptis», seu in chartis quae sunt apud Patrem. Alteri vero in manibus fuisse scripta a nobis edita, capita et folia ab ipso notata patefaciunt. Utrumque tamen fontibus re vera iisdem, ex parte saltem, usum esse ex brevi rerum comparatione elucebit. Desumpsimus antea locum ex Constitutionibus primis (anni 1541), quas uterque «Constituciones firmadas» appellat; sume nunc locum ex «Indice de las Determinaciones antiguas y nuevas». Polancus habet: «Prepósito por su vida... 2. Se hagan sumarias las Constituciones... El vestir común... No caxeta» caet. (pp. 225-226) Alter: «Prepósito por toda su vida... Hacer las Constituciones más sumarias... El vestido sea común... No se ponga caxeta» etc. (p. 231).

Nec tamen dici potest ex iisdem monumentis omnibus eodemque ordine dispositis utrosque indices natos esse, cum videamus non solum alia in polancianis indicibus quae in alteris desunt, et contra; sed etiam res easdem alio in aliis ordine esse concinnatas. Itaque cum dicimus indices hujusmodi ex fontibus iisdem haustos esse, significamus, primam illorum originem unam tandem esse.

Neque id obstat quominus certissimum sit, ipsa scripta haec a nobis edita, a Polanco esse usurpata. Scripsit enim Polancus notationes quasdam sub titulo «Dudas acerca de lo

visto», quae dubia, sub titulo *Quaesita Polanciana*, etiam vide suo loco, in monumento 31. Res autem visae, circa quas dubia haec collegit, illae sunt quas in lucem damus: de formula professionis, de collegiis, de Constitutionibus confirmatis, de vescitu, de determinationibus, de aliis determinationibus, de notis. Locos vero in quibus dubia illa solvenda remanebant, signis quibusdam saepe notat hoc modo: «Quanto a las Constituciones confirmadas, no entiendo lo del comed [sic pro *comer*] del almario, a esta señal ». Hoc autem signum re vera invenitur juxta locutionem illam in codice *A*, f. 5r, (p. 37, not. 5). Simili modo tria alia signa quae sunt in ipso f. 27 codicis *Po. de Constit.*, iterantur suis locis in codice *A*, ff. 5v, 7v et 9r¹. Alia vero quatuor respondent totidem signis notatis in codice *E*, ff. 30v, 31r, 77r, 60v². Haec itaque scripta ipsa Polancus adhibuit.

De tempore autem quo indices hi facti sunt probabile omnino videtur, primum illud tempus attingere, quo Polancus Ignatio a secretis esse coepit, annum itaque 1547. Vide quae supra disseruimus de Constitutionibus et annotatis (pp. cxxxix sqq.). Hic quoque admitti facile potest, signa numerorum qui partes Constitutionum indicant, posterius, annis 1548 vel 1549, accessisse.

ARTICULUS X

QUAESITA POLANCIANA, 1547-1549? (Monumentum 31)

Brevissimum certe monumentum celerique calamo a Polanco, memoriae juvandae causa, ut patet, scriptum, ostendit, quanta secretarius diligentia officium sibi ab Ignatio commissum obiret.

Titulum praefixit Polancus ipse «Dudas acerca de lo visto». Ac dubia quidem sunt nonnulla ex illis quae positiva vocantur, sed magna ex parte negativa sunt, quatenus, scilicet, ignorat quidnam nonnulla sibi velint. Probabile autem dixeris, dubia haec ab Ignatio declarata Polanco esse; quam declarationem cum nullibi invenerimus, reliquum erat ut, pro modulo nostro,

¹ Pp. 38, 41, 43, not. 8, 14, 19.

² Pp. 212, 213, 187, 200, in ipso textu.

explicationem aliquam paeberemus, id quod notationibus ad ipsa monumenta praestitimus.

Referuntur vero haec dubia praesertim ad Constitutiones anni 1541 et ad Constituta et annotata, de quibus articulo octavo egimus. Et quamquam ex titulo illo polanciano «Dudas...» facile videri possit ad series dubiorum illorum pertinere, de quibus inferius agimus, in articulo decimo quinto; at vero monumenta illa sunt ab hoc nostro, etiam leviter intuenti, tam diversa, ut praeter nomen nihil cum hoc commune habeant.

ARTICULUS XI

DE INFORMATIONE AD CAROLUM V, 1547-1548 (Monumentum 32)

1. Hujus monumenti aetatem ex ipso colligimus. Nam cum in eo S. Ignatius dicat de Andrea Lippomano, hunc alere jam a quatuor fere annis decem vel duodecim scholasticos Societatis in collegio patavino, id autem anno 1543 accidisset¹, Informatio nostra ad annum fere 1547 vel 1548 pertineat necesse est. In fine quoque monumenti difficultates indicantur, quibus Joannes et Aloisius Lippomani, Andreae prioris fratres, impiediebant quominus Societati possessio bonorum collegii patavino et venetiano fundandis concessionum tandem daretur. Haec autem omnia, etsi per plures menses anni 1548 perdurarunt, attamen jam anno 1547 initium habuerant. Possessio autem capta est 15 septembribus 1548².

Quae vero de collegiis conimbricensi et valentino in ipso etiam monumento traduntur, etsi tempus ita certum non definiunt; optime tamen concordant. De conimbricensi enim ait, incepit esse jam collegii aedificium et ali a rege plus quam quinquaginta scholasticos. Atqui et collegii construendi initium factum erat anno 1543³, et «sexaginta jam scholastici... studiis operam dabant» anno 1544⁴. Denique collegium valentinum etiam anno 1544 omnino inchoandum P. Ignatio videbatur⁵.

¹ Chron. I, 112.

² Monum. Ignat. ser. 1^a, I, 654; DELPLACE, Synopsis, p. 5.

³ Chron. I, 120.

⁴ Ib., p. 143.

⁵ Ib., p. 141.

Mirum forte videatur, quod in hac Informatione nullam collegii gandiensis mentio fiat, de quo constituendo jam con-
venerat anno 1545⁶, atque eo anno Societatis congregatio Gan-
diae esse coepit⁷, anno autem 1546 «Philosophiae cursus in
Collegio Gandiensi fuit inchoatus»⁸; praesertim cum Gandiae
dux, Franciscus Borgia, apud Carolum V tantopere gratia et
auctoritate valeret. At ex hoc silentio male concludas scriptam
esse Informationem ante annum 1545; quia quae de collegio
patavino aperte dicuntur, hunc annum certe excludunt.

2. Scriptorem monumenti hujus affirmat *Matr.* fuisse Bartholomeum Ferronium et propter similitudinem cum alio mon-
umento, quod illius manus certo sit, et propter lusitanismos
quosdam, qui hominem lusitanum prodant⁹.

Quod ad lusitanismos pertinet, matritensi facile assentimus.
Nec tamen dissimulandum est, nonnulla italum hominem pro-
dere: *exercitarsi pro exercitarse, ensegnar et Espagna, Parisi,
papa Clemente et da papa Leon pro el papa et del papa, hanno
pro han, esto beneficio pro este.* Sed haec et hujusmodi alia
homini peregrino aliquandiu in Italia versanti facilissime adhaerere
potuerunt.

De litterarum vero similitudine, matritensis editoris senten-
tiam deserere cogimur. Utraque quidem scriptura est cursiva,
humanistica, et, qualis in scriptis nostrorum hominum hispano-
rum vel lusitanorum illius temporis saepe adest, justae ma-
gnitudinis. Itaque Ferronius et informator genere scribendi con-
veniunt. Accuratiore tamen collatione instituta, duae manus de-
prehenduntur. Uterque scribit litteram r minusculam e. g. non
rotundam, sed rectam; at Ferronius addit fere semper in extre-
mo infimo tractum sive planum sive leviter sursum inclinatum;
quo etiam saepe litteram hanc cum sequenti conjungit; neque
hic conjunctionis modus neque illud additamentum est in In-
formatione unquam. Littera e minuscula in utroque oculum
plerumque apertum habet; at in Informatione efficitur dupli-
ci tractu in modum duorum arcuum oppositorum, conjuncto ex-

⁶ Ib., p. 164.

⁷ Ib., p. 168.

⁸ Ib., p. 186.

⁹ Pag. 346, annot. (a).

tremo unius summo cum extremo alterius infimo, ita ut hujusmodi littera e fere semper altior sit caeteris litteris non longis, a, n caet., interdum altitudinem etiam attingat litterarum longarum l, t caet.; littera e apud Ferronium aut non accipit hanc formam, aut accipit addito arcu illo supremo, non ad oculum litterae efficiendum, sed huic jam absoluto arcu ille apponitur. Binas litteras st in verbis *instituida*, *apostólica*, *instruir* et reliquis omnibus, in quibus hoc ordine illae litterae inveniuntur, conjungit informator calamo ducto ab extremo suinmo litterae s ad extremum summum litterae t, idque interdum eleganter, tractu bis curvo; Ferronius in similibus verbis aut illas binas litteras non copulat (idque frequentissimum est) aut medias, raro extremas copulat¹⁰. Denique si figuris geometricis, comparationis gratia, uti licet, litterae Ferronii sunt quadratae, informatoris vero rectangulares, angustiore basi.

Quisquis autem librarius fuerit, illud nobis in hac parte magni momenti est, quod multa Ignatius Pater manu sua perfecit.

3. Caeterum huic monumento locum inter Constitutionum nostrarum prodromos attribuendum duximus, quia ex eo facile intelliges non quidem res omnes, aliquas tamen certe, quas hoc tempore S. Ignatius praecipuas in Societatis instituto existimaret, de quibus eum qui summa inter christianos principes auctoritate et potentia fruebatur, edocendum putaret.

Itaque praeter Societatis originem, habes vota religionis tria, quartum de obedientia singulari erga summum pontificem, ubi missiones breviter explanantur, modum paupertatis, labores pro salute animarum (quos exemplis illustrat), diuturnam probationem, praeparationem operariorum per collegia, quo loco diutius inhaeret.

Monumentum quidem mutilum non videtur, siquidem illud ipsum habemus, quod, paginas tres fere omnino puras retinens, Ignatius Pater suis manibus contrectavit correxitque; quominus tamen absolutum perfectumque arbitremur, abrupta conclusio vetat. Suspicamur, aut scriptum, unde apographum hoc sump-

¹⁰ Contulimus Informationem hanc cum scriptis Ferronii, quae sunt in codice E, ff. 103, sqq., et in codice *Instit.* 7, ff. 127-128, et cum ejusdem formula votorum. In formula vero nexus ille extreまる litterarum s et t, neque infrequens est neque dissimilis nexui usurpato in Informatione; praevalent tamen discrimina.

tum est, longius perfectiusque, aut Ignatio animum illud perficiendi fuisse. Ipsa vero monumenti forma satis prodit scriptam hanc Informationem fuisse, quae non ipsi imperatori in manus traderetur, quam suspicionem titulus appositus injicere videatur, sed homini alicui, sive de Societate sive Societatis amico, qui de nostro instituto ac nominatim de collegio patavino imperatorem verbo tenus edoceret, qua via illa quae hic fortasse de-sunt, verbo addere licuisset.

Fieri etiam potuit, ut S. Ignatius aliquam ab imperatore epistolam ad collegii patavini fundationem urgendam adipisci optaret, qualem Philippus, Hispaniae princeps, agente Gandiae duce S. Francisco Borgia, duci Venetiarum scripsit anno 1548¹¹. Hoc si ita est, facile intelligimus, cur et in exponenda collegii patavini causa diutius immoretur, et titulus (scriptus ab ipso librario qui monumentum sub oculis Ignatii exaravit) hujus unius causae mentionem faciat: «La Informatiόn de los colegios de Padua» caet.

Denique animadvertere juvat, ad hoc scribendi genus, quod informationum appellavimus (retento majorum nostrorum nomine) complura illius temporis monumenta pertinere, quorum nonnulla in nostris *Monumentis* jam pridem edidimus. Binas vel etiam ternas invenies in *Polanci Complementis*¹². Praeter exempla manu scripta iis locis indicata, est aliud exemplum primae illius informationis¹³ in quo quidem hispane quoque scripta sunt, quae italice de domo et collegiis nostris urbanis in *Polanci Complementis* primo loco edidimus, a quibus tamen non parum exemplum hispanicum differt.

Divinatu facilis causa est cur ejusmodi informationibus opus esset: novum Societatis institutum difficultatem multis pariebat, quam Ignatius conditor datis illis informationibus dissimilare conabatur.

¹¹ *Epist. Mixtae* I, 570, et *Monum. Ignat.* ser. 1^a, I, 654.

¹² In t. I, pp. 107, 499, 667; cf. et *Monum. Ignat.* ser. 1^a, IV, initio.

¹³ Ib., pp. 107-121.

ARTICULUS XII

DE ABDICATIONE BONORUM IN FAVOREM SOCIETATIS, 1548
(Monumentum 34)

1. Hoc monumentum scriptum est manu Joannis Philippi Viti, emendatum manu S. P. Ignatii, ab eoque pulcherrima conclusione perfectum. Parum itaque refert, utrum hoc ipsum exemplum sit a Vito ex ore S. Ignatii dictantis exscriptum, an aliunde transcriptum; scriptum est autem omni ex parte accuratissime.

Quod ad tempus seu aetatem monumenti spectat, id ex epistola quadam nobis innotescit, quam Polancus etsi non misit, scripsit tamen, in qua quid S. P. Ignatius prius, quid eo tempore (6 Junii 1548) de cujusque bonis in favorem Societatis abdicandis sentiret, apertissime profitetur. Agitur de stipe quadam trecentorum ducatorum, quam P. Christophorus de Mendoza, ad opem domui romanae laboranti ferendam, huic dare constituerat. Occasione hujus eleemosynae, P. Ignatii animum perspicimus. Scribit enim Polancus ad P. Araoz: «Así que viendo esto [eleemosyna 300 ducatorum] tan al propósito para la yglesia y otras urgentes necesidades, N. P. (que antes era en semejantes disposiciones de hacienda tan cerrado, que no quería interponer consejo suyo ni parecer), es contento dello y lo accetta, pareciéndole, todo mirado, será para mayor gloria diuina». Et paulo post: «También le parece a N. P. que haga V. R. prouisión en su prouincia, que quando vno fuere mudido y determinado de disponer de su hacienda o parte della según pareziere a la Compañía (porque si en otro modo particular quiere disponer, la libertad debe quedarle), que no disponga della sino auisando a V. R., y aun sin darse acá parte de todo; porque en esto se ha resoluido N. P., con hauer tenido antes mucha auersión de mente en esta parte, no queriendo en ninguna manera, como creo sabrá, tomar tal assunto de disponer de las haciendas, aunque se las dexassen en las manos algunos; digo que se ha en esto resoluido, que quando así alguno dexare algo a disposición de la Compañía entenderá en disponer dello, como quien debe saber más que otros las

necessidades que más importan en la Compañía, y podrá distribuir como juzgare ser más seruicio de Dios N. S.»¹.

Confer, si placet, monumentum ipsum; ac tantam in ejus praecipuis partibus cum hac epistola similitudinem invenies, ut monumentum ex hoc lumine animique consulto natum existimes, de quo Polancus in hac epistola scribit.

2. Nam quod epistola haec missa non sit, nihil minuit ejusdem cum nostro monumento similitudinem. Caeterum, quod ad rem seu doctrinam ipsam pertinet, epistola alia quae re vera missa est, consilium continet secundum normam in prima illa fusius propositam. Signatis enim tribus viis, quarum qualemcumque ingredi possint illi «que tubiesen devotión de hazer limosna de sus haciendas a la Compañía»; ita pergit: «Y así, porque Mendoza tiene deuotión de dar 300 ducados (como pareze por el capítulo de su letra) que le diga que los puede inbiar o traer... que seruirán para la yglesia y otras necessidades de casa»².

Incidit ergo monumentum in annum 1548.

Hoc autem S. P. Ignatii placitum in nostris Constitutionibus manet, idque verbo tenus maxima ex parte³. Additum vero est in exemplo *B* seu Authographo⁴; partim manu Polanci, partim manu librarii, fortasse ipsius Viti. Unde cum non apparet in exemplo *A* (quod Patribus Romae anno 1550 et 1551 congregatis exhibitum est) facile suspicamur post illud tempus additamentum esse factum; rem enim ipsam ab anno 1548 Ignatio jam ratam firmamque fuisse, ex epistolis allatis compertum est.

ARTICULUS XIII

DE DECLARATIONIBUS IN EXAMEN, 1548 (Monumentum 35)

1. Continentur hae Declarationes foliis sexdecim (sunt duo folia notata numero 116) quae antiquitus signata erant numeris 1-16 in angulo supremo dextro; antiquissima numerorum notatio, 1-8,

¹ *Monum. Ignat.* ser. 1^a, II, 133-134.

² Ib., p. 134.

³ *Const.* III, 1, 9 et H.

⁴ Fol. 43. Utrumque exemplum *B* et *A* (de quo mox), dabimus in volumine altero.

est in foliis 104, 106-112; fol. 105 additum est veluti continuatio folii 104 ac sine numero; hae antiquissimae numerorum notae sunt in angulo infimo dextro, ac videntur scriptae manu S. Ignatii.

Antiqui etiam sunt numeri 1-16; folia quidem 13 et 14 plicaturam unam efficiunt cum foliis 5 et 6, in quibus quatuor foliis multa scripta sunt manu S. Ignatii; quare, sin minus notae numerorum, saltem quaternio ipse sexdecim foliorum tempore S. Ignatii fuisse confectus videtur.

Folia notata numeris antiquissimis 1-8 (quae respondent recentissimis 104-112, antiquis 2-10) fuerunt fortasse primitus codicillus foliorum quatuordecim, duo enim folia, 7 et 8, sunt folia media, unam plicaturam efficientia.

2. Folium 116^{bis} (antiquius 15) ab hoc suo loco jamdiu avulsum et in codicem *A* translatum erat, ubi recentissime accep-
perat numerum 121 stylo lapideo; pertinere autem ad hunc locum codicis *E* concludimus, primo ex eo quod numero 15 notatur, scripto quidem (quantum conjicere possumus) iisdem calamo, manu, atramento, tempore, quibus reliqui numeri antiquiores 1-14 et 16; secundo, ex eo quod in hoc codice *E* deerat folium quod notari debuerat numero 15, folia enim a numero 14 ad 16 exsiliebant; tertio, ex forma chartae $0,210 \times 0,145$, formae reliquorum foliorum in omni re simili; quarto, ex re de qua agitur, pertinet enim ad Declarationes Examinis; quinto, ex eo quod in codice *A* et propter formam reliquorum foliorum ($0,260 \times 0,225$) et propter rem de qua agitur, erat omnino extra vagans¹.

Est autem totum S. Parentis manu scriptum, ac videntur prima forma eorum quae sunt in folio 109, antiquius 7, antiquissime 5. Qui factum est, ut cum prius exaratum sit, in folio tamen penultimo codicis inveniatur? Fortasse quia codex foliorum sexdecim postea confectus sit quam scripta jam haec erant, cuius indicio esse possunt numeri illi 1-8, de quibus supra diximus, qui evadunt 2 et 10, propter addita folia 103 et 105.

¹ Hoc “parvum folium,” quasi unum per se monumentum edidit *Matr.*, p. 328, sicut invenit assutum codici *A*, juxta illud de abdicatione bonorum. Contra, quae praecedunt declarationes in ea ipsa editione (pp. 325-327) dicuntur efficere codicem folia quindecim habentem, (annot. *a*). Re vera erant folia quindecim, at notata numeris 1-14 et 16, ex quo conjicere licet, folium unum ibi deesses.

Quando autem codicem hunc foliorum sexdecim restitutum habemus, prout ille Ignatii Patris tempore probabiliter confectus est; eum hoc ipso ordine typis exscribere statuimus, etiamsi res ipsae alium fortasse ordinem postularent.

3. Quod igitur ad res ipsas attinet, magni momenti hoc monumentum est, non solum propter crebras S. Ignatii notationes, sed etiam quia antiquorem Examinis textum, de quo alias nihil vidimus, nihil audivimus, nobis manifestum facit, de qua re iterum in *Prolegomenis* voluminis secundi, in historia Examinis.

Est nobis etiam hic notatio illa circa Declarationum naturam et usum, confirmans illud quod primi Patres omnes constituerant, et Declarationes fieri oportere, et eas penes generalem praepositorum custodiri debere.

Caeterum quibus Examinis partibus declarationes hae singulae respondeant, suis locis notatum invenies.

4. Paginae omnes praeter paginam 106 (antiquius 4, antiquissime 2) et partem folii 116^{bis} (antiquitus 15) a Polanco cancellatae sunt. Id enim Polancus ipse praemisit: «Lo borrado con rayas es de Polanco, por estar, a su parecer, lo que desto es menester, en el Examen o Constitutiones, o en sus dudas está esto sumado» (p. 249).

Verba illa «Lo borrado con rayas es de Polanco» si ad verbum sumperis, intelliges forte scriptas esse illas res manu Polanci; voluit tamen dicere «Lo borrado con rayas es borrado de Polanco» i. e. se, manu sua, delevisse, non scripsisse illa quae lineis cancellata sunt, hoc enim tam ex iis quae sequuntur intelligitur, quam ex ipsa scribendi forma quae toto caelo a polanciana differt.

Cur vero pagina 106 cancellata non est? Pertinet haec pagina ad numerum earum quae manu Ferronii scriptae sunt; habet vero initio hanc Polanci notationem: «Para la primera parte de las Constitutiones». Suspicamur ergo eam rem nondum fuisse in textu Constitutionum, quando haec scripta Polancus recolenda suscepit. Ac revera non est in textu *a*; inventitur autem aliquo modo saltem indicata in textu *A*, parte prima, capite altero². Est praeterea folium 115v (antiquitus 13v)

² In codice *A*, f. 57 (textus in volumine altero).

non deletum, habetque similem notationem Polanci in angulo summo sinistro: «Parte 6^a.» Agitur autem de testamentis, quibus conficiendis vel exsequendis adesse nostri vetantur. Pertinet ergo res ad partis sextae caput tertium; nunc invenitur in n. 7 et declaratione D. At nondum adest in exemplo A³. Opinamur ergo deleta haec non esse, quia Constitutionibus addenda erant.

5. Aliter quodammodo censemus dicendum de illis quae deleta sunt in f. 116^{bis} (antiquitus 15). Nam ea quae deleta sunt eatenus tantum a non deletis differunt, quatenus scriptor, S. Ignatius, orationem bis inceptam, et altera quidem vice fere absolutam, bis abrupit, tertio denique ad exitum perduxit; res autem una eademque semper agitatur, vestis eorum qui in probatione versantur. Itaque existimamus, ab ipso S. Ignatio esse illam partem obliteratam, reliquum vero folium a Polanco esse conservatum immune, propter causam eamdem, quam supra diximus, nondum fuisse haec in Examine declarata, etsi jam in exemplo a aliquid continetur⁴; quod enim hic S. Ignatius notat, in Declarationibus ponendum erat, id quod ipse Ignatius in hujus loci margine expressis verbis affirmat.

Ne cui autem forte Polancus videatur haec non delevisse, eo quod manu S. Ignatii conscripta essent; in hoc ipso codice, quem recensemus⁵, in ima pagina folii 107r, sex versus additi sunt manu Ignatii Patris, qui tamen omnes sicut reliqua pagina, cancellati sunt.

Ex iis quae diximus facile elucet, aliter cancellatos esse hujus monumenti textus ipsos fere integros, aliter singularia quaedam, quae in ipso textu emendata apparent. Singularia haec emendata singula in apparatu critico notabimus, reliqua uncinis unius anguli in ipso textu concludimus.

6. Maximam monumenti partem exaravit Bartholomaeus Ferronius; folium 116^{bis} (antiquius 15) Ignatius; folia 105 (antiquius 3) et 116 (antiquitus 14) forte etiam 115v, manus altera nobis adhuc ignota; folia 110 (antiquitus 6), 112 (prius 10 et 8), 115 (antiquitus 13) tertia manus etiam ignota. Emendata vel

³ FF. 84v-85r et 138r.

⁴ Instit. 7, f. 11v. Etiam hunc textum invenies in vol. II.

⁵ Infra, p. 252, n. 6, verba “Tamen no... venir a ella,,”

addita a S. P. Ignatio, plura pauciora, in omnibus fere paginis adsunt. Existimarent quidam, folium 116 (antiquius 14) Ignatii manu esse totum scriptum. Quominus tamen huic opinioni adhaeremus, (etsi forma haec ignatianae similis est) impedit nonnulla signa nimium ab ignatiano modo discrepantia, nominatim modus supplendi litteram n in voce *experientias*, nexus litterarum s et t in voce *testimonio*, littera g quam Ignatius uno tractu fere scribit, littera e cum appendice, quam nunquam, nisi fallimur, Ignatius usurpat, absentia absoluta litterae σ quae forma (pro es extrema) frequentissima est apud Ignatium, caet. Quare potius matritensi editori assentimur, qui Ignatio illa solummodo attribuit, quae nos quoque annotamus.

Bartholomaeus Ferronius obiit anno 1548⁶. Unde ante hoc tempus hoc documentum perscriptum est. Notationes Polanci, praesertim quae partes Constitutionum nominant, posteriores probabiliter sunt, seu circa annum 1550, quo tempore textus ille Constitutionum parabatur, qui, divisus in partes decem, ineunte anno 1551, Patribus Romam convocatis, propositus est.

ARTICULUS XIV

CAPITA QUAEDAM CONSTITUTIONUM ANTE 1549 (Monumentum 37 et 37^{bis})

Hoc nomine duplex monumentum designamus: primum notationes quasdam manu Polanci scriptas in codice *Po. de Constit.* ff. 26r-27r; alterum notata quaedam scripta manu librarii in codice *Instit.* 222, ff. 182r-183r.

Polancianae notationes illae videntur esse capita consultationis. Sintne autem ad consulendum, an potius consultationis habitae fructus, in medio relinquimus. Quamquam enim in capitibus quibusdam modus dicendi responcionem potius quam interrogationem sapit; in aliis tamen aperta est interrogatio, et

⁶ Polancus (*Monum. Ignat.* ser. 1^a, II, 267) scribit die 8 decembris: "Y que está como amedrentado N. P. Mtro. Ignatio, viendo los que han muerto estos días, como Mtro. Ferrón," caet. Editores *Monum. Ignat.* dicunt obiisse Ferronium die 20 Octobris (annot. 2, ib.), rejecto lectore ad vol. I, p. 731, ubi ex FRANCO, *Imagen da virtude em... Coimbra* (I, 616), dies ille anni 1548 confirmatur. Franco ait se niti epistola quadam P. Botelho, Ferronii aequalis.

ipse ordo rerum praeposterus, quo fit v. g. ut primo loco quidam sit ad partem nonam, secundo aliud ad tertiam, tertio aliiquid ad octavam partem pertinens, illud potius suadet, esse has notationes tunc scripto positas, cum res illae vel cogitanti homini vel non cogitanti succurrebant.

Quidquid autem sit, etiam his notationibus inter monumenta Constitutionum praevia locum esse duximus, quia etiam illae rationem illustrant, qua Constitutiones nostrae factae sunt. Ut in monumentis 28-28^{ter}, Constituta et annotata, quaedam in textu retinuimus, quae a Polanco integra cancellata erant; sic etiam hic nonnulla capita, simili modo cancellata, retinemus, uncis quoque unius anguli conclusa.

Nonnulla in his notationibus reperiuntur quae in secunda quoque dubiorum serie continentur, prout subjectae annotationes declarabunt. Neque audemus definire ultra priora fuerint. Fieri potest, ut hae notationes, quae neque ita ordinatae neque ita exemptae lituris ut illa dubiorum series, apparent, fuerint illorum praeparatio quaedam, cuius rei causa hae notationes ante illas dubiorum series hic ponuntur. Imo dubiis illis jam perscriptis aliquid forte ex his notationibus adjunctum est. Ita e. c. quae de labore corporeo hic dicuntur, ubi non addita, sed ipso primo textu exhibentur, adjunguntur textui jam perscripto in serie dubiorum secunda (pp. 265 et 278).

Altera illa notata scripta sunt manu librarii alicujus, qui multa S. P. Ignatii monumenta collegit, inter quae hujusmodi notata reperiuntur, Ignatio quoque, cuius dicendi modum non obscure referunt, attributa.

De tempore nihil certi affirmare possumus; suspicamur tamen ad annum 1549 fere pertinere, nisi forte etiam anteierint, praesertim propter illa quae sub titulo «Dubios» exprimuntur, e quibus nonnulla etiam in serie dubiorum secunda, quae illum annum praecessit, invenimus.

ARTICULUS XV

SEX DUBIORUM SERIES, 1547-1548 (?) (Monumenta 38-38^{sexies})

§ 1. De scriptoribus et titulo

Monumenta sex sub hoc titulo comprehendimus, quorum quartum anno 1892 in *Matr.*¹, caetera nunc primam lucem aspiciunt. Tria priora unius Polanci manu perscripta sunt.

Quartum partim Polanci, partim Ignatii manus exaravit. Sunt enim in hoc monumento dubia seu quae sita multa ac responsorum duplex ordo; quae sita et prima responsa Polancus, altera responsa Ignatius Pater conscripsit. Itaque ex his jam monumentis maxime apparere incipit eximia Joannis de Polanco opera, de qua prope finem articuli hujus aliquid, in Prolegomenis voluminis alterius plura dabimus.

Quintum monumentum Hieronymus Nadal scripsit atque emendavit, S. P. Ignatius recoluit paucisque manu sua scriptis perfecit, librarius aliquis transcripsit, Aegidius Foschararius O. P., magister sacri palatii, testimonio ac nomine apposito, probavit.

Sextum monumentum scripsit duobus exemplis librarius unus; subjecta vero responsa scripserunt viri duo juris periti, quorum formam scribendi non novimus.

In sex his monumentis res eadem eodemque fere modo agitur. Nam praeter secundum monumentum, in quo non solae quaestiones, sed aliqua ex parte regulae vel quasi regulae proponuntur; maximus tamen rerum numerus in hoc ipso altero monumento, in caeteris res fere omnes tanquam quae sita seu dubia exponuntur, sive circa res ad Constitutiones seu institutum Societatis pertinentes, sive circa diplomata apostolica ipsi Societati concessa vel concedenda.

Cumque ipse Polancus verbum dubitandi (*dudo, dudase*) saepe, dubitandi vel querendi formam (*hispanum si*) saepissime usurpet; nihil mirum quod in codice ipso *Po. de Instit.*, unde tria prima monumenta sumuntur, titulus his tribus communis praefixus manu antiqua sit: «*Dubia circa bullas confirmationis Societatis manu P. Polanci*».

¹ Pp. 330-336.

Monumentum quartum in editione matritensi Constitutionum simili titulo seu nomine Joannes Jos. de la Torre insignivit.

Retinemus igitur etiam nos illum titulum, qui monumentis quinto et sexto etiam solis apprime convenit, id quod ipse per te poteris confirmare.

§ 2. De horum monumentorum aetate

Quo tempore scripta illa sunt? Censemus omnia scripta esse ante diem 18 Octobris 1549, quo die bullam «*Licet debitum*», post diem vero 5 Junii anni 1546, quo die breve «*Exponi nobis*» Paulus III Societati concessit.

a) SCRIPTA SUNT ANTE DIEM 18 OCTOBRI ANNI 1549

1. Atque ut a clarioribus exordiamur, monumentum tertium saepissime ea tractat, quae post editam bullam «*Licet debitum*» ansam dubitandi nullam praebere poterant. Quaeritur enim habeatne praepositus generalis facultatem socios revocandi, quos nullo tempore praefinito pontifex summus aliquo miserit (p. 301); sitne exprimenda Societatis auctoritas in ipsum praepositum generalem interdum exercenda (p. 303); postulandane sit ab apostolica sede potestas ita erigendi collegia, ut eo ipso pro erectis habeantur². Atqui haec omnia et alia plura Paulus III ea bulla, quam dicimus, anni 1549, Societati largitus est.

Imo indicium est in extrema hac tertia serie, scriptam illam fuisse anno 1547. Etenim ait: «Véase si se han de procurar las gracias que faltan a la Compañía, como altar portátil y otras facultades del mare magnum y facultades concedidas a las relligiones, que parezieren conuenir al instituto de la Compañía» (p. 317). Quando haec Polancus scribebat, nondum statutum erat has facultates postulare. Atqui Polancus ipse, Ignatii nomine, ad rectorem gaudiensem, Andream de Oviedo, scribebat die 24 Novembris 1547 ut cum duce Francisco de Borgia de mari magno a pontifice obtinendo ageret³; scripsit autem

² Fol. 24r, n. 6º, infra, p. 309. Cf. et f. 20v, n. 3º; f. 21r, n. 6º; f. 25v, n. 2º, pp. 303, 312.

³ *Monum. Ignat.* ser. 1ª, I, 653.

dux de hac re ad suum Romae legatum mense Decembri anni ejusdem⁴.

2. In reliquis monumentis etsi tam multi loci non sunt, qui bullam illam nondum datam esse requirant; eos tamen legimus, qui haesitare nos minime permittunt.

Etenim primum monumentum bis de arcendo ambitu deliberat. Primo quando scribit: «Si será bien proueer que no pueda ninguno de la Compañía jamás procurar obispado ni dignidad... si será bien que juren de no admittir sin approbación y consentimiento de la Compañía o prepósito della tal dignidad» caet; deinde, paulo post: «Si sería bien que quantos hazen professión jurasen de no procurar jamás prelación o dignidad dentro ni fuera de la Compañía» caet. (pp. 271-272). Jamvero Paulus III, illo diplomate anni 1549, vult, statuit et ordinat «quod Praepositus absque Societatis et aliquis ex sociis hujusmodi absque dicti Praepositi consensu et expressa licentia, electioni seu provisioni de illius persona in Episcopum, Archiepiscopum aut aliam quamcunque dignitatem, per quemcunque Principem... aut alias quascumque personas... factae, consentire; aut ad illam admitti, seu alicujus praelationis et dignitatis in eadem Societate (si eam occulta aut manifesta ambitione quaesiisse convincetur) capax esse nullatenus possit» (pp. 358-359).

Si locus hic bullae scriptus esset ante quam quaestionem illam Polancus proponeret, hanc certe omisisset, aut saltem bullae meminisset, si juramentum de hac re faciendum etiam tunc existimasset.

3. At multo clarius argumentum ex altero monumento sumitur. Proponitur enim in numero 36 statutum quoddam potius quam consultatio, ex regula S. Francisci desumptum, quod ita se habet: «No pueda nadie que entrar en esta religión salir della después de hecho voto, para estar en el siglo ni para entrar en otra religión», quibus verbis illud additur: «y que esto se procure alcançar del papa». Quo quidem loco Regula S. Francisci ait: «juxta mandatum domini papae», quae Polancus in illa mutavit: «idque curandum est ut a papa obtineatur» (p. 281). Unde clare intelligimus, quo tempore Polancus illa

⁴ *S. Franciscus Borgia*, II, 537.

alia verba scribebat, eam rem nondum Societati esse concessam. Jam vero concessa est a Paulo III per eam bullam quam dicimus, his verbis: «Ac inhibemus, ne quis post emissâ votâ secundum Constitutiones praedictas, sive Professus sive Scholaris sive Coadjutor... ad quemvis alium Ordinem... (Carthusiensium dumtaxat excepto)... transferri... possint» (p. 361).

4. Atque hinc nova aliis generis causa accedit, propter quam pro certo moraliter affirmandum est primum monumentum ante illud ipsum tempus esse conscriptum. Haec enim duo monumenta ita scripta sunt, ut primum tria prima folia unius codicilli, alterum reliqua codicilli ejusdem folia et duo alia occupet. Quid causae esse poterat, cur alterum monumentum Polancus a quarto folio scribere inciperet, nisi quod aut prima scripta jam erant, aut vacua relinqui oportebat ut primum transcriberetur? Ponimus ergo haec duo monumenta eo ordine scripta esse, quo posita sunt, ac proinde utrumque ante diem 18 Octobris 1549 esse perscriptum.

5. Quod ad quartum et sextum monumentum spectat, multo plura continent, quae planum faciunt, etiam haec ante paulinum illud diploma exstisset. Nam utrobique incidit quaestio de sociis a summo pontifice tempore non praefixo missis (pp. 322, 348); utrobique de collegiis erigendis modo simili agitur (pp. 329, 350). In quarto praeterea proponitur sitne declarandus ad obtainendam dignitatem ineptus quicumque illam ambiebit (p. 325); haesitatur sitne conveniens facultatem petere ad professionem ibi faciendam ubi generali praeposito visum fuerit (p. 332). In sexto etiam caput quoddam est De gratiis ubi legimus: «Petatur an gratias aliquas Societati concessas deceat et conveniat in bullâ poni» (p. 355). Jam tota bullâ paulina anni 1549 est mare magnum gratiarum Societati concessarum.

6. Ad quinti autem tempus definiendum indicium aliquod, etsi levissimum, est in ipso monumento, vel potius in pagina illius ultima. Absolutis enim rebus in monumento propositis, adduntur verba nonnulla in quarta recensione (sunt enim hujus monumenti recensiones quatuor) quae ad ipsum pertinere non videntur, indicant vero nonnulla ex iis quae in monumento sexto tractantur. Probabilius videtur haec mere indicata potius praeesisse quam post tractationem plenam secuta esse, praesertim cum

res monumenti quinti ad Examen, sexti ad Constitutiones pertineant, Constitutiones autem Examine tempore posteriores sint. Caeterum quantum hoc monumentum scripsit P. Nadal, qui Roma in Siciliam profectus est ineunte anno 1548⁵, probavit Aegidius Foschararius. Hic autem, a die tertia Aprilis 1547 magister sacri palatii, episcopus mutinensis creatus est anno 1550⁶. Itaque si admittimus (id quod veri simillimum est) eodem fere tempore et scriptum esse hoc monumentum et approbatum, possumus probabiliter affirmare, etiam quintum monumentum ad annum fere 1547 vel 1548 pertinere.

b) SCRIPTA SUNT POST DIEM 5 JUNII ANNI 1546

1. Multo brevius ostendi potest fuisse perfecta post diem 5 Junii anni 1546, quo die breve paulinum «Exponi nobis» editum est. Nam monumentum tertium a numero 26 agere incipit «Del breue de coadiutores» ejusque varia capita expendit (p. 312); est autem breve illud «Exponi nobis», die 5 Junii 1546 datum, quo gradus coadjutorum Societatis tam temporalium quam spiritualium institutus est, id quod legenti patet (p. 170).

Cum autem monumentum quartum et sextum (ut postea ostendemus) ab hoc tertio pendeant, omnia haec, illi brevi posteriora esse liquet. Monumentum vero primum, etsi hujus pontificii diplomatis non meminit, ita tamen de coadjutoribus loquitur, ut coadjutorum gradum in Societate esse clare indicet. Etenim ait: «Si sería bien hazer prohibición que ninguno de la Compañía ni que viuen con ella, como son coadiutores, pudiese» caet. (p. 270) Et alio loco: «Si los que no son professos en la Compañía se deuen llamar de la Compañía de Jesús... De los coadiutores formados pareze que se llamen coadiutores de la Compañía de Jesú» (p. 274). Monumentum vero alterum, ut supra declaravimus, exaratum est post primum.

2. Adde, quatuor priora monumenta scripta esse manu Polanci, qui anno 1546 extra Romam ministeriis apostolicis deditus versabatur, neque Romam ante mensem Martium

⁵ *Epist. P. Nadal II*, 3.

⁶ TAURISANO, *Hierarchia O. P.*, parte 1, p. 52.

anni 1547 vocatus est, ubi paulo post a secretis Ignatio esse coepit⁷. Unde ulterius concludere illud possumus, monumenta haec primis mensibus anni 1547 nondum esse perscripta.

3. At in monumentis tertio et quarto consilium indicatur procurandi a summo pontifice vivae vocis oraculum, quo possit extra Romam professio fieri (pp. 316, 332). Atqui die 5 Maji anni 1548 scribebat Polancus, Ignatii nomine, Hieronymo Natali, ut is ab Eleonora de Ossorio litteras ad cardinalem burgensem scribendas curaret, ut cardinalis a papa obtineret vivae vocis oraculum, quo liceret tribus e Societate professionem in Sicilia facere⁸. Die vero 8 Decembris anni ejusdem Polancus etiam vel Turrianum vel Araozium certiorem faciebat, obtentam esse facultatem, qua Jacobus Miron, Andreas de Oviedo, Franciscus de Strada et Michael de Torres, absentes Roma, professionem emitterent⁹.

Itaque ante diem 8 Decembris 1548 certe, probabilissime ante mensem Majum haec dubia scripta sunt. Nam etiamsi his locis de uno tantum dubiorum agitur; cum tamen integra series tertia calamo currenti, uno tractu vel certe brevibus intervallis, perscripta sit; jure merito ex unius capititis aetate, reliquorum capitum aetatem conficimus.

Quintum autem monumentum diximus paulo ante, esse probabiliter anni 1547 vel 1548.

§ 3. Qua ratione inter se habeant series quatuor priores

1. Primam et secundam scriptas esse ante tertiam et quartam supra indicavimus, id quod collatis inter se quatuor monumentis nunc expendendum est.

Quarta series nihil aliud agit, nisi capita nonnulla ex tribus prioribus excerptit, id quod suo loco in capitibus omnibus annotabimus. Huc duo triave exempli causa afferimus.

Caput primum in quarta serie est hujusmodi: «Dúdase, si cada vno de la Compañía deue vsar todos los medios, como sería de confessar, predicar, leer etc., o no, sino que cada vno

⁷ Po. *Complementa* I, 5-18; Chron. I, 209; Monum. *Ignat.* ser. 1^a, I, 519.

⁸ Monum. *Ignat.*, ib., II, 113.

⁹ Ib., 267.

según su talento etc. Pareze que no hay dificultad: que cada soldado no ha de vsar de todas las armas de su exército». Quibus verbis Ignatius Pater sua manu subjunxit: «Negatiue la primera, affirmatiue la segunda» (p. 319). In serie tertia haec ita se habent: «Dúdase si cada vno ha de vsar destos medios todos, o no, sino todo el cuerpo de la Compañía, vnos predicando, otros confessando, según el talento de cada vno. Pareze que no ay difficultad, que no cada vno, en lo que por aora se juzga» (pp. 296-297). Scriptum responsum Sancti Patris manu non adest, id quod caeteris omnibus in hac serie tertia accidit.

2. Caput 72 seriei quartae: «Si se dirá en la bulla que ninguno de la Compañía pueda jamás procurar dignidad dentro ni fuera della. En general será bien». Quibus Ignatius manu sua addit: «Afirmatiue, como está respondido, si a los oficiales no pareciese el contrario, porque somos obligados a ello» (p. 333). In serie autem prima, n. 19, legimus: «Si sería bien que quantos hazen profesión, jurasen de no procurar jamás prelación o dignidad dentro ni fuera de la Compañía, ni la admittir sino persuadiéndose que sería deseruicio de Dios rehusar, como sería quando fuerza el papa, o el superior de la relligión juzga se deba acetar» (p. 272). Hic nullum est responsum.

3. Denique ex serie altera, n. 32, sumptum est caput 76 seriei quartae, ubi habes: «Del conuocar capítulo general (que toca al prepósito general) y del prouincial, que toca a los prouinciales, es menester se mire quándo y dónde. En Constitutiones y no en bulla se diga algo, y es que el general pueda conuocarle quando quisiere, y la Compañía sin él en algunos casos». Quibus addit manu sua S. Ignatius: «Afirmatiue como está respondido» (p. 334). In secunda vero: «Del conuocar capítulo general que toca al prepósito general, o prouincial que es de los prepósitos prouinciales, es menester se mire quándo y dónde etc. En Constitutiones y no en bulla se diga algo, y es que el general pueda quando quisiere, y la Compañía sin él en algunos casos» (p. 280).

4. Tanta similitudo, quantam hoc loco aliisque non paucis intuemur, dubium fortasse animum reddet, utrum series quarta a tribus primis, an potius primae tres a quarta pendeant. Ast

evanescit dubium consideranti, seriem quartam constare capitibus centum duobus absolutis, atque uno, centesimo tertio, inchoato, quorum prima septuaginta in serie tertia, quatuor quae sequuntur (71-74) in serie prima, duodeviginti alia (75-92) in secunda, rursus alia septem (96-99) in tertia, denique tria postrema (100-102) iterum in prima inveniuntur, quae quidem capita omnia et singula singulis numeris ordine distinguuntur. In quarta igitur serie unum ordinem haec capita sequuntur; in tribus prioribus dispersa variis locis et mixta cum aliis capitibus reperiuntur. Unde seriem quartam ex tribus primis esse extractam atque in ordinem digestam facile intelligimus; in partes vero disceptam, easque partes in complures locos dispersas et cum aliis capitibus commixtas non intelligimus.

§ 4. Sexta series cum quatuor primis confertur

1. In serie quarta consilium peritorum exquirendum quater saltem indicatur: primo ubi de votis uno loco conjungendis agitur, n. 24: «Vayan juntos, si a los prácticos no pareciere el contrario». Prius responsum erat: «Véalo Púteo o algún otro práctico» (p. 324). Secundo, cum de collegiis erigendis quaeritur n. 47: «Afirmatiue... Sea como mejor pareziere a los curiales». Primum responsum erat: «Será bien, si lo conceden» (p. 329). Tertio, cum de sociis eximendis tractatur, n. 58: «Afirmatiue, si se pudiese haber; queda a juyzio de prácticos». Responsum prius: «Podráse prouar y ver qué sienten los prácticos» (p. 330). Quarto, de dignitatibus non procurandis, n. 72: «Afirmatiue... si a los oficiales no pareciese el contrario». In primo responso nulla officialium mentio fiebat (p. 333). Quintus denique locus addi potest, n. 64, de praepositis inferioribus: «Aquí es menester se vea si de iure tendrán tal potestad los inferiores prepósitos en ser prepósitos etc.» (p. 332).

Estne series sexta earum consultationum fructus, quae facienda hic proponuntur? Affirmandum hoc esset, si omnia et sola illa hic proponerentur, quae illic proponenda dicuntur. At vero de praepositis quidem inferioribus est caput primum in serie sexta; sed reliquorum quatuor duo tantum priora inter alia multa quae sexta series continet, invenimus, illa nempe de votis conjungendis ac de collegiis erigendis; de exemptione

autem et de dignitatibus verbum nullum. Dicere itaque non possumus ita sextam seriem a quarta ortam esse, quasi ea tantum vel praecipue contineret, quae Ignatius in quarta vel etiam in tertia serie cum juris peritis vel curialibus conferenda esse affirmat vel insinuat. Nam neque omnia haec et multo plura in sexta serie consultantur. Quapropter operae pretium esse duximus, singula hujus seriei capita per currere eaque cum praecedentibus comparare, unde mutuus partium singularum inter se nexus elucescat. At ne justo longior evadat oratio, pauca plenius conferemus, reliqua brevius indicabimus.

2. Caput «De praepositis inferioribus» tria quaerit: primum teneanturne subditi praepositis localibus ex vi voti obedire; alterum, an breve pontificium, tribuens generali facultatem creandi praepositos inferiores, eo ipso tribuat facultatem communicandi eisdem auctoritatem sive quantam ipse habet, sive partem ejus; tertium, an possit generalis auctoritatem inferioribus praepositis dare, auferre, minuere (p. 347).

Tria haec ita distincte proposita in prioribus non sunt; at in tertia, f. 27v, et in quarta, nn. 64 et 75, similia quaesita invenies; praesertim responsum primum in numero 64 seriei quartae (p. 332, quod idem est in serie tertia, f. 27v, n. 1º, p. 315); ubi capit is hujus «De praepositis inferioribus» originem esse, non sine causa suspicaberis: «Aquí es menester se vea si de iure tendrán tal potestad los inferiores prepósitos etc.»; quaesitum tamen tertium est ex parte ad verbum in numero 75 seriei quartae: «Si la potestad o autoridad de los prepósitos inferiores podrá ser restringida por el general» (p. 334), id quod in serie secunda occasione facultatis admittendi homines in ordinem religiosum, ita effertur: «Pareze que en Constitutiones se ha de poner que pueda el general ampliar la facultad de los inferiores o restriñilla» (p. 277, n. 16).

3. Alterum caput in serie sexta est «De consilio ad Constitutiones condendas» in quo unum illud quaeritur, satisne faciant socii qui vel sua vota scripta reliquerint, vel absentes scripta miserint (p. 348). Hanc rem minus enucleatam in tertia quam in quarta habes verbis fere iisdem. In quarta: «Si bastaría tener los votos de los de la Compañía, sin que personalmente se ayunten» (p. 321, n. 8º). In tertia: «Si bastaría tener los vo-

tos de los compañeros, sin que se ayan de juntar personalmente» (p. 298, n. 2º).

4. Sequitur caput «De votis praecipue obedientiae», in quo puncta quinque solvenda proponuntur. Primum: debeantne vota simul an sparsim in bulla enumerari (p. 349). Etiam haec res in serie tertia et quarta, parum tamen immutata, invenitur. In tertia: «Si sería bien juntar los tres votos y el 4º, o ponerlos de por sí como aquí», in prima bulla Pauli III (p. 302). In quarta: «Si se pondrán juntos los votos de castidad, de pobreza y obedientia etc., o de por sí cada vno» (p. 324).

Alterum est de obligatione obedientiae, ubi uno quaesito conjunguntur quae, tam in tertia quam in quarta, partim quaesito ipso, partim responso continentur (pp. 349, 302-303, 324, n. 25). Similitudo certe major est inter tertiam et quartam quam inter alterutram et sextam.

Tertium caput agit quanta sit praepositi generalis auctoritas, quantum ad sibi subjectos (p. 350). Invenitur etiam hoc in serie tertia et quarta, quae quidem et inter se et a sexta discrepant (pp. 303, n. 6º, 325, n. 30).

Quarto quaeritur, liceatne praepositis inferioribus, in obedientiae virtute obligare subditos (p. 350). Quod quidem ita expressum in nulla serie ex superioribus proponitur; aliquo tamen modo in tertia et quarta indicatur, cum consulitur expeditane, generalem communicare inferioribus praepositis auctoritatem suam sive totam, sive ejus partem (pp. 315, Primero, 332, n. 64).

Quintum consulitur de potestate subditos puniendi (p. 350). Neque hoc sic exprimitur sive in tertia sive in quarta serie; de poenis tamen utraque agit, at breviter et fere iisdem verbis. Tertia: «Si se tocará algo en general en la bulla de las penas de quien pecase o no nada, sino en las Constitutiones» (pp. 311, n. 5º, 330, n. 55).

5. Caput sequens in sexta serie est «De erectione collegiorum», quod est in tertia, et quarta. Tria, quod ad verba praesertim attinet, satis multum inter se differunt (pp. 350; 329, n. 47, 309, n. 6º).

Accedit caput «De voto paupertatis et ad proprietatem pertinentibus» in quo sex quaeruntur: primum an nonnulla, domum, ecclesiam, villam ut propria possidere Societas possit;

alterum, si haec Societatis non sint, cuiusnam futura sint propria, qui eas Societati ad usum tradat; tertium, quid agendum si quis ea rapere velit; quartum, quomodo, si quaedam vendi oportebit, transferat proprietatem qui non habeat; quintum de domo data pro eleemosyna ad vendendum; sextum denique quanta pecunia et quamdiu retineri possit (pp. 351-352).

Sex puncta habes fere in tertia serie f. 22r et v, nn. 1°, 3°, 4°, 7°; in quarta autem nn. 37, 41; in prima, f. 4, n. 14, et f. 5, n. 22. (pp. 305-306, 326-327, 272, 273).

6. Succedunt capita «De collegiis», «Constitutiones», «De coadjutoribus», «De gratiis», «De obligatione», quae quidem ideo percurrenda non ducimus, quia generis ejusdem observata facienda nobis essent, quae in superioribus fecimus.

Annotare tamen juvat, quaedam in serie sexta esse quae in quarta non sunt, sunt vero in tertia, duo nempe quae sita de coadjutoribus; imo quiddam esse quod in prima tantum serie est, videlicet, de pecuniae quantitate, quae incolumi paupertate teneri possit domi (pp. 272, n. 14; 314, n. 9°, 315, n. 13).

Quae cum ita sint, manifestum est, sextam seriem ex nulla praecedentium esse transcriptam; rebus tamen ipsis, interdum etiam verbis, satis liquet, ab illis certo quodam modo pendere, et ita pendere, ut merito suspicemur, ex quatuor illis prioribus aliquem, sive Ignatium, sive ipsum Polancum, capita haec elegisse, in pleniorum formam redegissem, alicui librario in complura exemplaria transcribenda dedisse, e quibus exemplaribus transcriptis et inter peritos distributis duo ad nos usque pervenerunt.

§ 5. De quinta dubiorum serie

Hujus monumenti, ut supra indicavimus, quatuor habemus recensiones: prima est tota scripta et emendata manu Hieronymi Nadal in cod. *Opp. NN.* 290, ff. 4r-5r; hanc primam appellamus *a*. Ex hac orta, non transcripta est altera recensio seu *b*, scripta manu librarii, emendata manu Nadal, in cod. eodem, f. 12r et v. Ortam dicimus, quia etsi forma seu modus proponendi differt, tamen non solum res, sed verba etiam saepissime eadem sunt; non vero transcriptam, quia non pauca sunt in *b* quae non sunt in *a*, et contra. Itaque inter *a* et *b* unum plurave exemplaria fuerunt, nobis ignota, nisi mavis.

exemplum *b*, tale quale est, dictatum esse. Contra, tertium exemplar seu *c* (in eodem cod., ff. 10r-11v) ex secundo emendato, quartum seu *d* (in cod. *Opp. NN.* 257, ff. 85r-87r) ex tertio emendato transcripta dici fere possunt. Dicimus *fere*, quia quamquam capita integra re vera transcripta sunt, tamen nonnulla legimus in postrema recensione, scripta quoque manu librarii, quae in praecedentibus alio modo se habebant, id quod in apparatu critico videre est. Sed quoniam longe maxima textus pars eadem est in tribus recensionibus *b*, *c*, *d*; integras edimus recensiones tantum *a* et *d*, alterarum vero duarum locos illos in apparatu critico exhibemus, qui a quarta differunt, una cum notationibus seu additis, quae multa sunt in *b*.

Facile patet maximum inter hanc quintam dubiorum seriem et caeteras discriminem. Imprimis enim proponendi modus in hac serie ille est, quem in casibus conscientiae, quos vocant, theologiae moralis auctores adhibere solent. Fingitur enim episcopus aliquis, familiam suam ad apices perfectionis componere desiderans, ac sua dubia proponens; deinde vero quaeritur, sitne idem de religiosi ordinis moderatore tenendum. Res autem ipsae omnes ad unum idemque caput spectant, conditiones dicimus quasdam sive admissionis hominum in communitatem aliquam religiosam, sive dimissionis ex illa: utrum conditiones illae proponi, et secundum eas agi possit necne.

Propositus autem est casus Aegidio Foscharario, magistro sacri palatii; quem responsionem affirmantem dedit, mirum non est scientibus hanc fuisse eo tempore communissimam theologorum sententiam, duce Thoma Aquinate¹⁰. Vide locos in annotationibus hic et ad ipsum monumentum indicatos. Prudenter Ignatius Pater, etiam in opinione communi, de re tamen ad usum difficulti, quam aliquo modo in Constitutiones admittere cogitabat, suo suorumque judicio stare noluit, sed sententiam hominis extra Societatem requisivit, qui ratione officii quo fungebatur, et ordinis religiosi ad quem pertinebat, doctrina conspicuus erat.

Nexus hujus quinti monumenti cum quatuor praecedentibus et cum sequenti, non praesertim ex re de qua agitur, sed

¹⁰ In *Quodlib.* 5, a. 3. Cf. *Summa Sylvestrina, De confessione*, III nn. 14-19, parte 1, pp. 171-172 ed. lugdunensis 1572.

ex modo colligimus. Proponuntur enim veluti dubia de instituto Societatis (ipsa tamen Societate non nominata), in qua re monumentum quintum primis quatuor simile est, et proponuntur solvenda homini extra Societatem, id quod in quatuor prioribus praestandum dicitur, in sexto copiosius praestatur, ut in paragraphe praecedenti, expositum est.

Qua ratione monumenta haec inter se habeant, diximus; reliquum est, ut de fontibus et de auctoribus disseramus.

§ 6. De alterius seriei fontibus

Atque ut a fontibus exordium ducamus, series tertia, quarta et sexta etiamsi Constitutiones ipsas Societatis non raro respi- ciunt, vix tamen aliud agunt, nisi diplomata pontificia in varia capita distinguunt, et rationem illa intelligendi, declarandi, augendi vel restringendi proponunt. Unde auctori illorum monumentorum vix alia re praeter ipsa diplomata pontificia opus erat.

At in monumentis primo et secundo non alia diplomata, sed ipsum Societatis institutum data opera attingitur, quod quidem institutum, etsi anno 1540 a Paulo III sub certa definitaque formula confirmatum erat, nunc jam in regulas et Constitutiones evolvi oportebat. Quo melius id praestaret Ignatius, non solum divinum lumen implorabat, cuius rei illustrissimum exemplum supra, in Ephemeride contemplati sumus; sed etiam omnem humanam rationem et prudentiam adhibuit. Quid autem huic prudentiae rationique consentaneum magis, si de Constitutionibus alicujus ordinis religiosi conficiendis agitur, quam ut usus et experientia majorum in consilium vocetur?

Hoc Ignatium sive per se sive per Polancum praestitisse, haec duo monumenta, primum quidem subobscurae, secundum vero splendide, testantur. Nam series prima initio sic regularum Sanctorum Francisci, Dominici et Benedicti mentionem facit (p. 269), ut illum eas apud se habuisse, facile nobis persuadeamus. At vero in monumento altero, postquam Polancus regulas quindecim scripsit, quibus titulum praeposuerat «Reglas de casa», subjungit: «Hasta aquí de S. Augustín. Siguense algunas cosas que de la regla y constitutiones de la orden de S. Francisco se toman por la mayor parte» (p. 276).

Paucissima ergo illa, quae in primo monumento ex alio-

rum regulis desumpta videantur, satis erit in annotationibus ad ipsum textum indicare. Hoc loco secundi monumenti fontes illustrabimus.

a) REGULA S. AUGUSTINI

Nominat Polancus verbis paulo ante ex secunda serie allati, in primis S. Augustinum. Adhibet autem praesertim eam quae Regula B. Augustini seu Regula ad servos Dei appellari solet. Itaque, ut unum alterumve exemplum proferamus, Augustini Regula praecipit: «Primum propter quod in unum estis congregati, ut unanimes habitetis in domo: et sit vobis anima una et cor unum in Deo»¹¹, quae Polancus ita contrahit: «Todos viuan conformes y vnánimes» (p. 276, n. 7). Iterum Augustinus: «In oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod est factum, unde et nomen accepit»¹². Polancus: «En el oratorio o yglesia, no se hagan sino las cosas de aquel lugar, [como orar etc.]» De vestibus ait Augustinus: «Vestes vestras in uno habete sub uno custode vel duobus, vel quot sufficere potuerint ad eas excutiendas, ne a tinea laedantur; et sicut pascimini ex uno cellario, sic induamini ex uno vestiario. Et, si fieri potest, non ad vos pertineat, quid vobis induendum pro temporis congruentia proferatur, utrum hoc recipiat unusquisque vestrum quod deposuerat, an aliud quod alter habuerat»¹³ caet. Polancus: «Todos tomen los vestidos de vn lugar, y vno

¹¹ P. L., 32, 1378, et in recenti editione critica DOM DE BRUYNE O. S. B., *Revue Bénédictine*, 42 (1930) 320. De origine et natura hujus Regulae multi etiam ultimis his annis scripserunt, quorum catalogum reperies ib., p. 316, not. 1. Non est dubium quin Regula S. Augustini ab hujus epistola 211 (certe illi adscripta) procedat. Quis autem hanc in Regulam ad Servos Dei aptaverit, nondum liquet; P. de Bruyne affirmit ib., p. 341, hanc aptationem Sto. Benedicto probabiliter tribuendam. P. Custodius Vega, O. S. A., qui nuperime (1933) novam editionem criticam Regulae edidit, conatur probare ipsum S. Augustinum id praestitisse. Cf. *Archivo Agustiniano*, año XX (1933), 336-339. S. Augustini epistolam habes quoque apud KIRCH, *Enchiridion fontium Historiae ecclesiasticae*, nn. 752 sqq. Initium Regulae «Ante omnia... sunt data» est ex Regula Secunda, P. L., 32, 1449.

¹² P. L., 32, 1379, et *Revue Bénédictine*, ib., p. 320.

¹³ P. L., col. 1382, *Revue Bén.* p. 323, cuius lectionem paulo diversam a P. L. sequimur.

los guarde y dé, sin que mucho se mire, qual es de vno o de otro».

Ex hac igitur B. Augustini Regula sumpta sunt quae numeris 7-15 Polancus complexus est. Quae vero praecedunt, numeris 1-3, hausta videntur ex opusculo quodam cui titulus Regulae clericis traditae fragmentum, quod jamdiu «una hominum eruditorum sententia abjudicatur Augustino»¹⁴. Numeris 4-6 sunt quaedam quae oriri potuerunt ex ea quae Regula secunda dicitur¹⁵.

b) REGULA S. FRANCISCI

1. At multo plura collegit Polancus ex Regula et constitutionibus S. Francisci. E mox dicendis facile patebit nomine Regulae S. Francisci intelligere Polancum illam, quae ab Honorio III approbata est, et capitibus duodecim conflatur; nomine autem constitutionum duo complecti, Constitutionem Martinianam, quam proprio nomine designat, et Constitutiones Narbonenses, quas etsi non nominat, non est tamen dubium quin usurpet, ut jam ostendemus.

Neque Regula et constitutionibus contentus, eximium illius Regulae commentatorem S. Bonaventuram, in auxilium vocavit, ejusque opusculo, quod Expositio super Regulam Fratrum Minorum inscribitur, non sine foenore usus est.

Quae cum ita sint, ac tria illa opera praecipua, Regulam S. Francisci, Expositionem ejus et Constitutiones Narbonenses in uno volumine habeamus, quod editores operum omnium S. Bonaventurae ad Claras Aquas, splendida luce donarunt, hoc nos volumine, facilitatis causa, utimur¹⁶. In ipso autem

¹⁴ P. L., 32, 1447-1450. Sunt loci incipientes «Quod si propinquus vel amicus», col. 1449; «Et si quis ab aliquo doctrinam audierit», col. 1450; «De iis autem fratribus», ib.

¹⁵ Ib. coll. 1449-1452. Initio agit «qualiter... nos oportet orare vel psalmore» caet. Alia duo clarissimi in col. 1451 «Nemo extra monasterium» caet. Editio critica apud DE BRUYNE, *Revue Bénéd.*, l. c., pp. 318-319. Incipit «Ante omnia, Fratres carissimi» caet., et statim «qualiter» caet., et alia duo p. 319, l. 31, ut in P. L. De Bruyne affirmat, hanc Ordinationem Monasterii, Regulam Secundam S. Augustini vocari solitam, a S. Benedicto esse redactam. Cf. l. c., pp. 330-339.

¹⁶ *Doctoris seraphici S. Bonaventurae S. R. E. episcopi cardinalis opera omnia, iussu et auctoritate R^mi. P. Aloysii Lauer totius Ordinis Fratrum*

opusculo S. Bonaventurae invenitur textus Regulae, de quo cl. editores aiunt: «Textum Regulae non sumimus vulgatum in editionibus infinitis, sed ex libro hoc anno a nostra typographia impresso cum titulo 'Seraphicae legislationis textus originales'. Textus enim ibi publicatus sumptus est ex originali bulla Honori III, quae tanquam reliquiae conservatur Assisi, et novissime arte photographica expressa est»¹⁷. Haec illi. De Martiniana dicemus paulo post. In conferendis vero his textibus, ordinem polancianorum excerptorum, ut par est, sequimur, primo Regulam, tum decreta Martiniana, tertio Constitutiones Narbonenses adhibentes.

3. Sunt ergo, ut diximus, in Regula S. Francisci capita duodecim, quorum omnium (exceptis primo et quarto) vestigia in his Polanci notationibus offendimus, eaque omnia ita sibi succendentia, ut a polanciano numero decimo sexto, in quo sunt vestigia secundi capituli, ad numerum quadragesimum alterum, in quo sunt vestigia capituli duodecimi, capita reliqua suo ordine unum post aliud usurpentur. Unde Polancum quasi oculis intuemur Regulam S. Francisci legentem ex eaque quae sibi utilia videbantur excerptem; sed tamen ita excerptem, ut raro verba ipsa transcribat, saepissime sententiam tantisper immutet novisque additamentis ad suum scopum idoneis compleat.

Vide nonnulla exempla. In capite secundo: «Si qui voluerint hanc vitam accipere et venerint ad Fratres nostros, mittant eos ad suos Ministros provinciales, quibus solummodo et non aliis recipiendi Fratres licentia concedatur»¹⁸.

Polanci excerptum: «Los prepósitos general y prouinciales [verba general y addita sunt supra versum] tengan autoridad de resciuir» etc. (p. 276, n. 16).

In capite sexto: «Et ubicumque sunt et se invenerint Fratres, ostendant se domesticos invicem inter se. Et secure ma-

Minorum S. P Francisci Ministri Generalis edita, studio et cura PP. Collegii a S. Bonaventura, ad plurimos codices mss. emendata, anecdota aucta, prolegomenis, scholiis notisque illustrata. Tomus VIII. Ad Claras Aquas (Quaracchi) prope Florentiam, ex Typographia Collegii S. Bonaventurae, MDCCCXCVIII.

¹⁷ Ib., p. 391, annot. 2.

¹⁸ Ib., p. 397, col. 1^a.

nifestet unus alteri necessitatem suam»¹⁹. Polancus: «Domestíquense los vnos hermanos en casa con los otros, y manifiéstense sus necesidades» (p. 279, n. 29). Est autem *domestíquense* familiariter inter se agant, ex italico *dimesticarsi*.

Caput septimum fere integre translatum est. Sententiam unam seligimus: «Cavere debent ministri, ne irascantur et conturbentur propter peccatum alicuius»²⁰. Polancus: «y guárdense los tales prepósitos de no se enojar ni conturbar por el pecado de alguno» (p. 279, n. 30).

Denique in capite duodecimo: «Quicumque Fratrum divina inspiratione voluerint ire inter Saracenos et alios infideles, petant inde licentiam a Ministris provincialibus; Ministri vero nullis eundi licentiam tribuant, nisi eis quos viderint esse idoneos ad mittendum»²¹. Polancus: «Quien fuere de Dios inspirado a yr entre infieles, no lo haga sin licentia del prepósito general, o a quien él diere tal potestad; y él no la dará sino a quien fuere al propósito, robusto de cuerpo, constante en la fe y probado en virtudes, y siempre irreprehensiblemente vbiere conuersado» (p. 282, n. 41^{bis}). Haec autem postrema, quae non sunt in Regula ipsa S. Francisci, invenies in Expositione S. Bonaventurae, verbum Regulae *idonei* sic exponentis: «Idonei autem sunt robusti corpore et constantes in fide, probati virtute et semper irreprehensibiliter conuersati»²².

4. Haec seraphici doctoris verba eorumque polanciana translatio illud ostendunt, quod supra diximus, Polancum nostrum, non modo Regulam, sed hujus quoque Expositionem usurpare, cuius auctorem interdum proprio nomine designat, etsi opusculum=ipsum non nominat. Itaque v. g. cum de concionatoribus Polancus loquitur, ait: «Entiende S. Buenaventura que aquellos se han de examinar de cuya sufficientia se duda, y el examinar por otros letrados a quienes se cometa por no discurrir; y que nadie debería predicar si no sabe de por sí hazer y disponer la prédica» (p. 280). Habet autem haec S. Bonaventura in Expositione capititis noni: «Nullus est examinan-

¹⁹ Ib., p. 420, col. 2^a.

²⁰ Ib., p. 425, col. 2^a.

²¹ Ib., p. 436, col. 1^a.

²² Ubi supra.

dus, nisi de cuius sufficientia non constat... Aliud etiam privilegium examinationem committit discretis Patribus aliis... quia discursus et viarum multiplicium pericula sic vitantur... Ergo nullus debet praedicare, nisi sciat ipse sermonem facere et sufficienter disponere»²³.

Si plura in eo genere desideras, confer locos in singulis annotationibus indicatos.

c) TESTAMENTUM S. FRANCISCI

Etiam ex hoc celeberrimo Testamento quaedam parce detorta contraxit Polancus noster; sunt autem illa in paragraphis 44 et 45 (pp. 282-283), quas vide suo loco, et compara cum Testamento, in quo legimus: «Et si aliqui inventi essent, qui non facerent Officium secundum Regulam, et vellent alio modo variare, aut non essent catholici; omnes Fratres ubicumque sunt, per obedientiam teneantur, quod ubicunque invenerint aliquem ipsorum, proximiori Custodi illius loci, ubi ipsum invenerint, debeant praesentare. Et custos teneatur... ipsum firmiter custodire... donec... ipsum reprezentet in manibus sui Ministri. Et minister teneatur... mittere ipsum per tales Fratres, qui... custodiant ipsum... donec representent ipsum coram Domino Ostiensi qui est Dominus, Protector et Corrector istius Fraternitatis». Et paulo post: «Et omnibus... praecipio... ut non mittant glossas in Regula»²⁴.

d) MARTINIANA

1. Praeter Regulam et Expositionem quam diximus, utitur Polancus etiam Martinianis decretis, seu Constitutione Martiniana, idque sive indicato fonte sive non indicato. Est autem Constitutio Martiniana quae sub Martino V, anno 1430, agente praesertim S. Joanne Capistrano, in capitulo assisiensi condita est²⁵.

Expresso nomine hanc Constitutionem Polancus affert ubi ingredientium aetatem assignat: «La Martiniana dize que antes

²³ Ib., 429-439, nn. 10-11.

²⁴ Apud WADDING, *Annales Minorum*, II, pp. 144-145.

²⁵ Ib., X, 150-161.

de 14 años no se reciuan, sino por euitar scándalo, como en hijos de nobles» caet. (p. 277, n. 17). Et re quidem vera Martiniana sic ait: «Statuimus et ordinamus, quod nullus recipiatur ad Ordinem, nisi annum XIV compleverit, etiamsi fuerit oblatus a parentibus, nisi pro scandalo evitando; ut si forsitan fuerit filius Militis»²⁶ caet.

Sed jam in numero praecedenti, unde Polancus Regulam S. Francisci adhibere incipit, vestigia Martiniana exstant. Nonnulla enim ibi sunt, quae neque in Regula B. Francisci, neque in Expositione S. Bonaventurae, at certe in Martiniana reperiuntur. Ait enim Polancus: «Los prepósitos general y prouinciales tengan auctoridad de resciuir, que pueda ser restriñida por el general, quando le pareziese, y no los vicarios dellos, si no tienen special comisión» caet. (p. 276, n. 16). Martiniana vero: «Concedimus... licere non solum generali, sed etiam Provincialibus ministris, personas fugientes a seculo in Fratres recipere quae Ministrorum Prouincialium licentia per ipsum Generalem... possit arctari. Vicarii vero Prouincialium Ministrorum ex officio Vicariae licentiam hanc sibi neverint interdictam, nisi per Ministros eosdem... hoc ipsum Vicariis specialiter committatur»²⁷.

2. Similiter, ubi monita praedicatoribus dantur, quem locum paulo ante attulimus, sententiam Polancus addit ex Martiniana contractam: «y guárdense de decir cosa alguna contra el stado y honrra de la Yglesia so graues penas» (p. 280, ad finem). «Caveant autem omnes praedicatores praedicti, ne aliquando praedicare presumant quidquam contra libertatem sacrosanctae Romanae Ecclesiae vel ecclesiasticis personis detrahere» caet.; deinde violatoribus poenae imponuntur²⁸.

Frequentior tamen usus Martinianae Constitutionis post numerum polancianum 42 adest, in quo diximus afferri duodecimum seu ultimum caput Regulæ S. Francisci. Ita capite 14 Martiniana prohibentur scholae puerorum in conventu²⁹; Polancus n. 47 ait: «Si podrán tener escuelas de mochachos» caet. (p. 283).

²⁶ WADDING, p. 154.

²⁷ WADDING, p. 153, n: 11.

²⁸ Ib., p. 157, c. 18.

²⁹ Ib., p. 155.

3. Capite 16 Martinianae agitur de casibus reservatis: «Statuimus et ordinamus quod nullus Frater, excepto Provinciali Ministro, nisi ex speciali Generalis, vel provincialis Ministerum licentia, possit aliquem Fratrem absolvere a peccato inobedientiae contumacis, proprietariae rerum detentionis, lapsus carnis, furti rei notabilis, injectionis manus violentae, falsi testimonii in judicio facti, compositionis, vel proiectionis, aut publicationis libelli famosi, falsificationis sigilli cuiuscumque personae notabilis, falsae testificationis in infamiam cuiuscumque»³⁰. Haec autem ita Polancus excerptit vel transfert: «Si es bien que la inobedientia contumaz, id est, que dura un dia natural despues de ser tres veces amonestado, del retener proprio, de poner las manos violentas en alguno, de hurto de cosa notable, de componer o echar en publico libellos diffamatorios, de testimonio in judicio o fuera de el en infamia, o falsar sello etc., pecados de carne, se reseruen» (p. 283).

Percurre, si placet, Martiniana capita decimum septimum et undevicesimum, atque ex illis invenies hausisse Polancum quae numeris 49-56 annotavit. Ex capite duodevicesimo illa sumpsit quae supra diximus esse in numero 34 conjuncta cum excerptis ex S. Bonaventura circa verbi divini paecones.

e) CONSTITUTIONES NARBONENSES

1. A numero polanciano 60 cessat usus Martinianae; reliqui tamen sunt numeri octoginta quatuor, quorum multa sive ad Regulam sive ad Constitutiones S. Francisci pertinere debent. Cum autem neque in Regula, neque in Expositione Regulae, neque in martinianis contineantur, alio confugiendum fuit. Confugimus autem ad Constitutiones Narbonenses.

Has Constitutiones primus in lucem edidit R. P. Franciscus Ehrle S. J., postea cardinalis diaconus, tituli S. Caesarii³¹. Easdem tanquam opusculum XVIII S. Bonaventurae denuo typis exscribi fecerunt editores operum omnium doctoris sera-

³⁰ Ib , pp. 155-156.

³¹ In vol. VI, operis *Archiv für Literatur- und Kirchengeschichte des Mittelalters*, Freiburg i. B. 1892; *Die ältesten Redaktionen der Generalconstitutionen d. Franz.-Ordens*, pp. 1-138; textus Narbonensium a p. 87.

phici, in volumine octavo, anno 1898. Qui quidem editores annotant: «Quoad has Constitutiones notandum est, quod, cum Regula S. Francisci generalia tantum vitae Fratrum Minorum principia stabilierit, a Capitulis et Ministris generalibus processu temporis multae ordinationes emanaverunt ad regulandos casus resque particulares continuo emergentes. Ante Capitulum Narbonense ordinationes tum Ministrorum tum Capitulorum generalium communi nomine *constitutionum* vocari solebant. Teste Fr. Salimbene (Chronicon, ed. Parm. pag. 405) S. Bonaventura ex his constitutionibus anterioribus ordinatum Constitutionum codicem primus perfecit et auctoritate istius capituli promulgavit»³².

2. At facile tibi, prudens lector, quaestio animum subeat, qui fieri potuerit, ut Polancus Constitutiones Narbonenses usurparet, si hae tribus post illius mortem saeculis in publicam lucem primo pervenerunt. Huic quaestioni facile respondeatur, ut patet; sed priusquam id praestamus, vide, queso, utrum inter se convenient necne Constitutiones Narbonenses et notaciones polancianae.

Constitutiones Narbonenses, rubrica 5, statuunt «ut nullus Frater mittatur (agitur «de euntibus per mundum») nisi sit maturus moribus vel cum socio provido et seguro»³³. Polancus: «Si será bien proueer que no se ynbien fuera por operarios sino personas maduras, o a lo menos que vayan con alguna compaňía buena y segura» (p. 285, n. 71).

Narbonenses ibidem pergunt: «Teneantur autem Fratres exeentes in reditu suo secreto Guardiano excessus suos notabiles per obedientiam invicem intimare». Polancus, n. 72: «Si será bien proueer que los que salen fuera, a la tornada se confiesen de los excesos que les han interuenido; con el prepósito general o prouincial, o a lo menos de palabra como en confessión se lo digan».

Hujus editionis rationem quoque habuerunt editores operum S. Bonaventurae ad Claras Aquas. Vide vol. VIII, p. 449, annot. I. Has Constitutiones genuinum opus esse S. Bonaventurae, cardinalis Ehrle opere indicato, p. 86, et claraquenses editores, l. c., omnino affirmant.

³² S. Bonaventura, p. 449, annot. I.

³³ Ib., p. 454, col. 2^a; ib. et in sequentibus paginis caetera quae sub jungimus, invenies.

Narbonenses item: «Nullus Frater vadat pedes nec eques sine Fratre, aut sine Fratre socio alicubi commoretur». Polancus, n. 73: «Si será bien que no vaya vno sin otro compañero por viaje, pudiéndose».

Paulo post, Narbonenses: «Fratres nihil portent in verbis vel scriptis, quod possit redundare in scandalum aliquorum». Polancus, n. 75: «Los que van camino y los que están en las ciudades, guárdense de llevar alguna cosa en dicho o scrito que pueda redundar en scándalo de otros».

Porro Narbonenses: «Inhibemus districte, quod nullus Frater impetrat per se vel per alium litteras a domino Papa pro loco aliquo obtinendo sine generalis Ministri licentia speciali». Polancus, n. 76: «Ninguno procure alcançar del papa licencia para estar en algúri lugar o salir o yr a otra parte, sino por medio del prepósito».

3. Haec omnia sunt in rubrica 5 Constitutionum Narbonensium. Similitudo eadem fere est inter numeros polancianos 79-86 et complura effata rubricae sextae.

Cum rubrica 7 cognati sunt loci polanciani, nn. 91-98 (p. 288); en aliqua exempla. Narbonenses: «Fratres incorrigibles cum suis defectibus diligenter conscriptis et examinatis fideliter per Ministrum vel Custodem vel Visitatorem ad prouinciale Capitulum transmittantur»³⁴. Polancus, n. 92: «Quando vno es incorrigible, es de ver si conuendrá ynbiarle adonde está el general, con sus excessos scritos» caet.

Narbonenses: «Ordinamus insuper, quod Generalis nullum faciat generale statutum nisi in generali Capitulo cum Definitorum assensu»³⁵ caet. Polancus, n. 97: «El general no haga statutos sino en congregación de la Compañía, o teniendo para ello comisión».

Denique Narbonenses: «Caveant autem provinciales Ministri a multitudine provincialium constitutionum» caet. Unde Polancus, n. 98: «El prouincial no deberá cargar de Constituciones prouinciales los de su prouincia» caet.

4. Liceat nobis a reliquis locis congregandis supersedere; quae enim attulimus abunde sufficiunt, ut pateat, nisi nos fallit

³⁴ Ib., p. 458, col. 1^a.

³⁵ Ib., col. 2^a.

opinio, Polancum aut has ipsas Constitutiones Narbonenses in manibus habuisse, aut aliquas quae his et ordine rerum et rebus ipsis simillimae essent. Quarum rerum vestigia cum locis allatis clarissima sint, aliis locis obscuriora quidem, quibus tamen insistere possis, internoscere. Numeris enim 60-64 polancianis (unde diximus Martiniana Constitutionis usum cessare) Narbonensem Constitutionum rubrica tertia, nn. 69-70 rubrica quarta adhibetur; ex rubrica quinta non pauca paulo ante collegimus; sextam indicavimus; e septima exempla dedimus; ex octava quaedam sunt nn. 108-111; ex nona, nn. 112-116; ex decima nn. 101-103; ex undecima, nn. 104-106; ex duodecima, nn. 117-120. Ab hoc loco cessat usus Constitutionum Narbonensem.

In numero 121 expressa mentio dominicanorum fit. Numeri 122 et sequentes ex alio fonte hauriuntur. De quo prius quam dicimus, illi quaestioni satis faciamus oportet, qui fieri potuit, ut Polancus Constitutionibus Narbonensibus uteretur, si ante saeculi undevicesimi exitum nunquam typis excusae erant. Nempe potuit uti textu manu scripto. Praeterea editores operum S. Bonaventurae aiunt, has Constitutiones «alias nunquam integre editas» esse, quo dicendi modo satis indicant, etsi non integre, aliquo tamen modo editas esse; de his tamen editionibus non integris nihil addunt; fortasse illas indicare volunt, de quibus doctissimus cardinalis Ehrle in opere supra citato disserit.

Juvat hoc loco in memoriam revocare, quam intima consuetudine Ignatius cum franciscali familia domus S. Petri in Montorio conjunctus esset, quippe qui Patre Theophilo seu Ambrosio illius familiae a confessionibus utebatur.

f) REGULA S. BENEDICTI

Ad ultimae partis monumenti hujus secundi fontem apere riendum properamus. Est autem ille fons celeberrima sanctissimi patriarchae Benedicti Regula. Hanc a numero 122 ad 141 Polancus adhibet, cuius rei exempla hic nonnulla seligimus; si plura voles, adi locos in textus annotationibus allatos vel indicatos.

Regula S. Benedicti, capite tertio. «De adhibendis ad con-

silium Fratribus. Quotiens aliqua praecipua agenda sunt in monasterio, convocet abbas omnem congregationem... Et audiens consilium fratrum, tractet apud se; et quod utilius judicaverit, faciat... Si qua vero minora agenda sunt in monasterii utilitatibus, seniorum tantum utatur consilio»³⁶ caet. Polancus, n. 122: «Quando cosas difíciles se han de tratar, si será bien llamar toda la casa [seq. o congregación *obl.*] para oyr los pareceres, y después consigo determinarse... en las cosas de menos momento bastando llamar los más viejos en edad y seso etc.» (p 202).

Regula, capite 21: «Si major fuerit congregatio, eligantur de ipsis fratres boni testimonii et sanctae conversationis et constituantur decani; qui sollicitudinem gerant super decanias suas in omnibus secundum mandata Dei et praecepta abbatis sui» caet. Polancus, n. 123: «Si sería al propósito quando alguna congregación³⁷ fuese grande, poner decanos que tubiesen special cuidado de vn cierto número que el prepósito les assignasse, escogiendo para tal cuidado personas en sapientia y vida más señaladas».

Regula, capite 55: «De vestiario et calciario fratrum... accipientes nova, vetera semper reddant in praesenti reponenda in vestiario propter pauperes. Sufficit enim monacho duas tunicas et duas cucullas habere, propter noctes et propter lavare ipsas res». Polancus, n. 137: «De los vestidos diráse aparte; pero véase si será expediente que aya dos pares, para lavar los vnos; y que a quien le dieren los nueuos, que torne los viejos para los pobres etc.» (p. 294).

Regula, capite 63: «De ordine congregationis. Ordines suos in monasterio ita conservent, ut conversationis tempus, ut vitae meritum discernit, utque abbas constituerit». Polancus, n. 139: «Si será bien guardar la orden de la conversión en los lugares de casa, o si se tendrá cuenta con los méritos; o

³⁶ Textum hujus Regulae habes in P. L., 66, 215 sqq.; nos suminus recentem editionem: *Sancti Benedicti Regula Monasteriorum. Edidit, prolegomenis, apparatu critico, notis instruxit BENNO LINDERBAUER O. S. B.* Bonnae, 1928, pp. 23, 40, 61, 67. Neque ab hoc textu differt C. BUTLER O. S. B. in sua accurata editione anni 1922, iterata anno 1927.

³⁷ Polancus vocat *congregación*, coetum, quem nostrates appellant *comunidad*. Cf. supra, p. CLVIII.

andará fortuito; o el prepósito pondrá orden según su arbitrio». (Nota habuisse Polancum in suo textu *conversionis pro conversationis*, juxta textum receptum).

§ 7. De auctore excerptorum

1. Diximus de fontibus; in quibus commonstrandis facile patuit quemnam ordinem collector secutus sit. Primo enim Regulam ipsam S. Francisci una cum Expositione S. Bonaventurae et Testamento seraphici fundatoris, tum decreta Martiniana, tertio Constitutiones Narbonenses, quarto Regulam S. Benedicti adhibuit. Ex illis etiam quae initio diximus, excerpta haec omnia scripta esse manu Polanci compertum habemus. Ast animum legentis codicem facile illud percellit, quod scripta haec polanciana rarissime emendata sint, maxime si cum aliis ejusdem scriptis (cum Industriis v. g. et cum Directorio Exercitorum) conferantur. Inde suspicio in mentem irrepit, sitne haec quam ob oculos habemus, *prima horum excerptorum scriptio, an forte aliunde transcripta, id quod nobis, codicem ipsum saepius intuentibus, multo probabilius videtur.*

2. Sive autem alia scriptio antiquior, quam nunquam vidi-
mus, sed exstisset suspicamur, exstiterit sive non exstiterit,
quaerendum nobis est, an Polancus ipse, qui manu sua ex-
cerpta nostra scripsit, excerptorum auctor quoque unicus, an
solummodo socius habendus sit laboris Ignatii, cui excerpta
haec, aliqua saltem ex parte, deberentur. Etenim Bartoli in Vita
S. Ignatii, libro 3º, capite 3º, haec scripsit: «E benchè egli [Ignazio] hauesse letto tutte le Regole degli altri Ordini reli-
giosi, delle quali habbiam tuttavia di mano del segretario Po-
lanco, gli estratti»³⁸ caet. Haec Bartoli in lucem dabat anno 1659.
Sed jam ante annos centum, anno 1557, paucis mensibus post
mortem S. Ignatii scribebat in epistola quadam Ludovicus de
Strada O. Cistercensium, Ignatium, antequam Constitutiones
Societatis conscriberet, «regulas antiquorum Patrum vidisse,
quidve religiosi ordines omnes experimento didicissent, inve-
stigasse», «miradas primero las reglas de los Padres antiguos,

³⁸ *Della Vita di S. Ignatio*, l. 3, c. 3, p. 194. In prima editione non sunt verba „delle quali... gli estratti“, Haec auctor ipse addidit in secunda.

tomada información primero de la experiencia de todas las religiones»³⁹ caet. Strada et Bartoli illud imprimis affirmant, Ignatium legisse antiquorum ordinum regulas. At in eo ipso quod affirmant suntne testes fide digni? Quod ad Ludovicum Strada pertinet (ut ab antiquissimo incipiamus) reliqua facta, quae in sua epistola de Ignatii vita enarrat, vera sunt⁴⁰; adjuncta temporis, locorum et personarum bene novit⁴¹; alibi audivisse auribus vel vidiisse oculis quae affirmat, profitetur⁴²; conjectura capit facti cuiusdam causam, sed hanc dubitans affirmat, originem dicimus nominis theatinorum nostris eo tempore a multis attributi⁴³. Quare etsi haec epistola oratorum potius quam historicorum more expressa est; ubi tamen facta notantur, potius ad illa admittenda quam ad rejicienda animus inclinat, praesertim cum ex multis locis constet, Ludovicum de Strada nostratisbus valde familiariter usum esse, e quibus ea quae narrat, audire potuit.

Quod ad Bartoli auctoritatem pertinet, forte aliquo monumento nobis ignoto, forte non alio auctore quam ipso Strada innititur. Potuit certe hujus epistolam videre, quippe quae anno 1605 ad P. Aquaviva missa est⁴⁴. De hac regularum lectione nihil apud Orlandinum legimus. Quod si Bartoli epistolam Stradae cognovit, facillime hujus testimonium cum excerptis a Polanco scriptis conjungere potuit, atque haec veluti fructum lectionis Ignatii intueri.

Quod si Ignatius regulas SS. Augustini, Benedicti, Francisci, Dominicici per se ipse legit, idque ea mente, ut ex illis quae sibi ad Societatem utilia viderentur, usurparet; incredibile esset, eum nulla excerpta fecisse, qui in primordiis conversionis suaे Ludolfum et Voraginem excerptebat. Haec igitur Ignatii excerpta in manibus Polanco esse potuissent ad hoc alterum monumentum conficiendum.

Si vero et illa Bartoli et Stradae testimonia, silentibus cæteris aequalibus, recipere nolis, et hac indole et consuetudine

³⁹ *Monum. Ignat.* ser. 4^a, II, 60.


⁴⁰ Ib., p. 52.

⁴¹ Ib., pp. 53-54.

⁴² Ib., pp. 54-55, 57, 58.

⁴³ Ib., p. 52, ad finem.

⁴⁴ Ib., pp. 42-44, in extrema annotatione 1.



Ignatii parum movearis, atque excerpta haec, quae habemus, ipsi illi tribuenda duxeris cuius calamo exscripta re vera sunt; non magnopere repugnabimus. Neque enim levia pro hac sententia rationum momenta sunt. Etenim his quatuor monumentis illa videntur contineri quae Polancus ipse alibi appellat «sus dudas» (p. 249). Nam saepissime capita haec incipiunt verbis dubitandi «dudo, dudase». Quamvis autem hoc verbum in monumento secundo, ubi sunt excerpta regularum antiquarum, vix usurpetur, eo quod res illae ex regulis statutisque jam factis plerumque desumantur; tamen non raro formula dubitandi, per interrogandi particulam *si*, adhibetur, ante hanc particulam vero forma illa «dudo, dudase» rectissime subintelligitur. Quod si monumenta quatuor Polancus ipse sua appellat, etiam secundum illius esse constat. Deinde modus dicendi saepius Polancum quam Ignatium sapit. Tertio quaedam melius ex ore Polanci quam ex ore Ignatii audiri videntur, v. g. «Asímesmo dudo quiénes han de tener voz en las cosas para que se llamaré capítulo». (p. 289, n. 99); «Si se llamará la Compañía de Jesú o del nombre de Jesú» caet. Quod si haec et alia plura commodius Polanco quam Ignatio tribuuntur, quidni etiam excerpta illa quae seriem cum his unam efficiunt?

Nos vero propter rationes superius allatas (auctoritatem Bartoli et Ludovici de Strada, et indeolem S. Ignatii) probabile existimamus, S. Ignatium et Polancum, unumquemque pro rata portione, ad hoc opus operam suam contulisse; deinde vero Polancum omnia simul in ordinem redegisse.

De testimonio quodam Codreti, negantis Ignatium, scribentem Constitutiones, habuisse in cubiculo libros ullos praeter missale, agemus in Prolegomenis voluminis secundi, quando dicetur de loco ubi S. Ignatius Constitutiones conscripsit. Ad rem praesentem sufficiat annotare, potuisse S. Ignatium ante hoc tempus regulas, quas diximus, legisse⁴⁵.

§ 8. De auctore responsionum in quatuor primis monumentis

1. Non quaerimus quinam responsionum auctores fuerint in sexto monumento, quia nobis adhuc ignoti sunt. In quarta

⁴⁵ Lancitius scribit: „S. P. N. Ignatius nec ante scriptas Constitutiones Societatis... nec dum eas scribebat, nec postea legit Regulas aliorum Ordinum“

vero dubiorum serie, responsiones alterae Ignatio certe tribuendae sunt, quandoquidem omnes manu illius perscriptae; neque enim quisquam dixerit, Ignatium alicujus alias cogita Polancum, aut dictata excepisse, aut scripta transcripsisse.

2. At cujusnam sunt alia responsa illa quae, maxime quidem in quarto, at interdum etiam in tribus primis monumentis legimus? Huic interrogationi ut respondeamus, varia responsa distinguenda sunt. Nonnulla Ignatium auctorem certe habent, nempe illa ubi scribit Polancus: «Véalo Púteo; pero más se inclina a ponerlos juntos nuestro Padre» (p. 302). Ita in serie tertia id quod repetitur in quarta, n. 24, omissis verbis «nuestro Padre» (p. 324). Idem censemus de responso ad n. 24 in prima serie «No determinó», supplemus enim hic «Nuestro Padre» (p. 273). Nam cum apicum nostrorum usus apud Polancum nullus esset, vox hispana *determino* est aut prima persona singularis praesentis indicativi, *ego determino*, aut tertia etiam singularis praeteriti perfecti, *ille determinavit*. Jam vero sententia non est *ego, Polancus non determino*, quia Polanci non erat decernere; ergo legenda est tertia persona: *Non determinavit*. Quis nisi Ignatius?

3. Quod si ita est jam plurima saltem responsa, quorum longe maxima pars aut captum aut dilatum consilium exprimunt, Ignatio quoque tribuenda probabiliter sunt, quia nempe, etsi responsa haec verbis illis «más se inclina nuestro Padre», «No determinó» caet. non adhibent, factum tamen ipsum vel capti vel dilati consilii continent. Itaque e. g. in serie prima «Discíernase» (p. 270); «O tóquese en general que pueda, o

(*De Praestantia Instituti Societatis Iesu*, l. 1, c. 3, pag. 60, ed. Cracoviae, 1890). Testimonia tamen Bartoli et Estrada nobis certe non videntur prorsus rejicienda. Ratio autem a Lancitio data (quod libri regularum neque essent in cubiculo S. Ignatii viventis neque in ejus bibliotheca accuratissime conservata) rem certam non efficit; potuit enim regulas legere v. g. S. Francisci in exemplo aliquo, quod sibi Fr. Theophilus, qui erat ei a confessionibus, legendum ac restituendum tradidisset. Adde quod libri hujusmodi poterant esse apud Polancum. Orlandinus l. 10, n. 62, ad quem locum nos rejicit Lancitius, scribit: «Nullus enim apud eum [Ignatium] tum [cum Constitutiones scribebat] librorum apparatus» caet. Potuit tamen antea vidisse. Caeterum excerpta haec polanciana Lancitius probabiliter ignoravit, quorum mentio opportunissima hic fuisset. Quaestionem, utrum in Constitutiones nostras aliquid ex aliis manaverit necne, non hic, sed in Prolegomenis voluminis secundi agitabimus.

no se diga nada » (p. 271); « En general será bien » (p. 271). In altera serie: « En Constitutiones y no en bulla se diga algo, y es que el general pueda quando quisiere; y la Compañía sin él en algunos casos » (p. 280). Neque aliter in tertia serie, in qua illud responsum invenitur quod modo diximus « Véalo Púteo » caet. Et illa « Afirmatiue », « no »; « No se mude aquí la bulla »; item « que no se muestre carnicería » (pro *crueldad*)⁴⁶.

De respcionibus tertiae seriei illud quoque adjiciendum est, in exordio ubi dicit Polancus velle se in sequentibus annotare, tum res concessas a summo pontifice Societati, idque in versibus longioribus, tum dubia occurrentia idque in versibus brevioribus; nihil de respcionibus quae in margine saepissime ponuntur (p. 296). Inde concludimus has responsones absoluto jam monumento accessisse, id quod ex diverso atramento confirmatur.

4. Cum autem hae responsones, quas in tertia serie invenimus, saepe eaedem in quarta serie repetantur; responsones primas quae sunt in quarta serie, ab Ignatio magna saltem ex parte procedere quoque opinamur. Hoc modo valde consenteanea est tanta inter primas et alteras responsones concordia, quantam in quarto monumento re frequentissime, verbis non raro perspicimus.

Sunt et alia indicia in hac quarta serie, cur etiam prima responsa Ignatii esse arbitremur. Ita primum responsum in numero 2 est: « Esta qüestión queda dudosa, y trátase a la vna parte y la otra en vn papel de aparte » (p. 319); et in numero 91: « Del primero modo sin poder en ello dudar » (p. 337). Haec duo Ignatium solummodo sapiunt. Adde, in primis responsis nonnullis S. Ignatium manu sua verba aliqua scripsisse, quae sensum completerent vel declararent, ita in numeris 10, 11, 54, 73, 81, 95, 102. Hujusmodi addita facilius explicantur, si admittimus S. Ignatium non alienam, sed propriam sententiam completere vel declarare.

Existimamus itaque deliberasse de his frequenter una Ignatium et Polancum (ut solet moderator supremus alicujus coe-

⁴⁶ FF. 22r, «Cerca el 17º punto, 2º»; ib. 4º; f. 24r, 6º; f. 25r, n. 5º; infra, pp. 305, 306, 309, 311. Vocabulum *carnicería* usurpat etiam Ignatius in Autobiographia, *Monum. Ignat.* ser. 4^a, I, 38.

tus cum suo secretario) atque ex his deliberationibus communibus orta esse prima responsa, sive scripta haec sint eo ipso tempore quo deliberabant, sive postea Polancus ex Ignatii mente illa describeret, in quibus proinde minime mirandum esset, quod Polancus de suo penu nonnulla adjiceret, eo quidem bono secretarii fidelis animo, ut omnia tandem Ignatii judicio submitterentur; quod quidem judicium Ignatius in monumento quarto propria manu conscripsit.

5. Hinc patet existimare nos haec prima responsa in quarta dubiorum serie non esse opinionem Patrum complurium, qui in consultatione adhibiti sint, id quod quidam indicarunt⁴⁷; sed opinionem Ignatii cum suo secretario deliberantis, quam deinde Ignatius recoluit, confirmavit, declaravit, subinde immutavit. Quominus illa responsa quae dicimus, complurium sententiam referant, illud etiam, praeter jam allata, officit, quod verbum, ubi est personale, numero singulari exprimitur, quando si multorum opinionem exponeret, plurale esse deberet. Ita in numero 66: «Por ahora no determina nada, pero parece» caet. (p. 332); in numero 74: «No se determinó» caet. (p. 334). Ex his duobus locis primus flagitat nominativum numeri singularis; alter si solus sumatur, admittit sensum sive impersonalem sive passivum, sive reflexivum; ex analogia vero cum similibus allatis responsionibus, veri similior est sensus activus reflexivus: «No se determinó el Padre»⁴⁸.

Ex iis quae de auctore responsorum hac paragrapho diximus, nolumus aliorum Patrum consultationes excludere; at, nisi fallimur, ex hoc monumento consultationes illae nobis non innotescunt.

§ 9. De auctore quaesitorum

Haec de auctore responsorum et excerptorum. Quod vero ad quaesita ipsa pertinet, non videtur dubitandum quin praecipius collector Polancus fuerit. Id enim persuadent rationes omnes supra allatae, quae majorem etiam vim pro quaesitis quam pro secundo monumento habent. Usum tamen esse Polancum rebus illis quas scriptas collectasque invenit, et ipse

⁴⁷ *Matr.*, p. 330, annot. (a); ASTRÁIN, I, 128; AICARDO, *Comentario*, V, 14.

⁴⁸ V. dicta de simili quaestione in a. 8, § 3, n. 8, p. CXLVII.

testatur cum scribit, illa omnia quae in Declarationibus ad Examen cancellavit in suis dubiis contineri, et ipsum hoc monumentum tertium, in quo complura continentur, quae in Constitutis et annotatis similiter inveniuntur. Itaque utrobique vestigatur quam obligandi vim obedientiae votum inducat (pp. 216, 302-303) quomodo pueris ac rudibus doctrina christiana tradenda (pp. 198-199, 214, 304-305), qua via administratio seu usus redditus templorum nostrorum fieri possit (pp. 214, 306); qua potestate praepositus generalis circa collegia gaudeat (pp. 215, 308); qualis vestis in Societate adhibenda (pp. 211, 317); debeatne omnes alumni Societatis esse sacerdotes et theologi (pp. 212, 310); qua ratione chorum vel excludi oporteat vel adhiberi liceat (pp. 214, 310). Adde, dubia haec, prout in nostro monumento sunt, potius transcripta videri quam primo hic scripta esse. Hoc suadent tum adjuncta manu scripti politissimi, tum quaedam alia indicia v. g. addita in ff. 19r et 23r, in numero 2, quae videntur omissa prius esse per oblivionem transribentis (pp. 300 et 307).

Quam vero partem Ignatius in paranda bulla Julii III, ad quam adornandam monumentum tertium maxime spectabat, habuerit; paeclare ac breviter Polancus ipse enarrat his verbis: «Hoc ipso anno 1550 nostrum institutum hic Pontifex [Julius III] ...confirmavit, et quae declaratione aliqua indigere videbantur, juxta ipsius P. Ignatii arbitrium (qui diligenter singula prius examinaverat) declaravit»⁴⁹.

§ 10. De quinti monumenti auctore

Quamquam hoc monumentum Natalis manu scriptum est, magna tamen doctrinae pars jam in Examinis capite quarto, nn. 33-36, invenitur. Neque solum in antiquissimo textu integro (quem primo loco in volumine secundo edemus) idque eisdem frequenter verbis atque in casu episcopi, sed etiam in illo antiquiore, cuius mentio est in hujus voluminis monumento 35. Ibi enim declaratio quaedam datur loci ejusdem, qui proinde jam in priori textu legebatur (pp. 255-256, n. 12). Cum vero antiquissimum Examen integrum quod habemus, probabiliter ad annum saltem 1546

⁴⁹ *Chron.* II, 9.

pertineat (hoc ostendemus in Prolegomenis voluminis alterius), textus antiquior ille quem dicimus, probabiliter jam confectus erat, quando Nadal, anno 1545 exeunte, Societatem ingressus est.

Caeterum in tertia recensione nostri monumenti bis terve apparet manus S. Ignatii, id quod suis locis in apparatu critico notamus.

ARTICULUS XVI

POSTREMA QUATUOR MONUMENTA PRAEVIA IGNATIANA

Quae partis hujus monumenta remanent ad illam jam aetatem spectant, quae aut proxime annum 1550 praecessit, aut proxime secuta est, quo tempore factas jam Constitutiones, et anno 1550-1551 a Patribus Romam convocatis approbatas, S. P. Ignatius novis perpoliebat curis.

§ 1. De providentia Societatis erga generalem, anno? (Monumentum 42)

Totum hoc monumentum manu S. P. Ignatii scriptum est; ad illius vero aetatem pressius definiendam omnia fere nobis desunt. Titulus «De la prouidencia, autoridad» caet., qui in hoc monumento, uno tractu scriptus ac sine ulla emendatione est, reddit ex parte in partis nonae capite quarto, quod prius inscriptum erat «De la auctoridad de la Compañía sobre el prepósito general»¹; in codice autem A (unde venit in B, f. 89v, atque hinc in textum publicum) titulus hic emendatus est manu Ignatii secundum titulum in hoc monumento positum: «De la auctoridad o prouidença que la Compañía debe haber cerca el prepósito general». Quo loco verba addita a S. Ignatio, ita sunt magnitudine, forma, atramento similia titulo monumenti hujus, ut facile suspicionem injiciant, utraque fuisse uno tempore scripta. Cum autem locus ille exempli A (qui ad caput quartum partis nonae pertinet) manu librarii transcriptus sit, pronum etiam est, ut opinemur, antiquiore fuisse formam illam quae in textum publicum evasit. Nostrum autem monumentum Ignatii

¹ *Instit.* 7, f. 84r, et A, f. 108v. Uterque textus in vol. II.

animum illustrat, tum ab hujus vitae rebus alienum, tum de bono filiorum Societatis sollicitum.

. Caeterum non videtur absolutum esse hoc monumentum, quippe quod solas res externas attingit. Probabile est alia praeterea in aliis chartis habuisse Ignatium, e quibus, sicut ex hoc monumento, caput quartum nonae partis Constitutionum natum est. Cujus rei indicio esse possunt et mundities ipsa qua pagina haec scripta est, indicans transcriptionem hanc esse potius quam scriptionem primam, et paginae tres consequentes in quas reliquae de hac re Constitutiones transscribi potuissent.

§ 2. De sublevanda collegiorum inopia, 1551
(Monumentum 43)

Etiam hoc monumentum manu Ignatii totum scriptum est.

Ejusdem vero aetatem indicat tum illud quod de Simone Rodriguez dicitur, qui die 8 Februarii anni 1551 Romam pervenit², tum epistola quaedam, die secunda Februarii anni 1552, ad Michaëlem de Torres missa³. Quamquam enim epistolae hujus solum argumentum novimus; hoc tamen ita perspicuum est, ut haesitationi locus vix ullus relinquatur. Ait enim scribi ad Turrianum: «D'una constitutione de transferir l'intrate per monstrar al rey». Itaque inter haec duo tempora monumentum nostrum scriptum videtur, probabilius anno 1551.

Ipsa autem constitutio appareat primo in codice *Instit.* 7, f. 43r, unius Polanci manu scripta et emendata; hinc transcripta ab ipso Polanco in aliud folium, quod nunc est in codice eodem *Instit.* 7. f. 146r, transcripta etiam et emendata; inde denuo exscripta est in codicem A, f. 69v⁴, a librario, sed aucta Polanci manu, additis quibusdam notationibus secundum sententiam ab Ignatio in hoc monumento expressam. Jam vero ex codice A educta est tum constitutio transcripta in eundem codicem, f. 136v, tum declaratio transcripta in codicem eundem,

² *Monum. Ignat.* ser. 1^a, III, 324.

³ *Ib.*, IV, 144.

⁴ Hic locus est quem *Matr.*, p. 339, annot. (a), designat illis verbis: «§ 7, cap. 2, Par. 4, in codice A... quae § in Appendice 2^a legi potest». Est autem in illa editione pp. 373-374. Hos textus omnes in vol. II hujus operis, auspice Jesu, proferemus; eorum vero successionem historia quartae partis Constitutionum in Prolegomenis voluminis ejusdem patefaciet.

f. 104v. Quibus locis tandem utraque cancellata est, nec proinde in exemplum *B* publicumve textum admissa.

Denique animum adverte, hoc munumentum illud idem esse quod in *Matr.* editum est sub titulo *Circa dispositionem bonorum in eadem provincia, quid intelligatur per illa verba in eadem provincia*⁵. At titulus hic ad constitutionem illam refertur, quae scripta a librario et emendata a S. Patre, ponitur in hoc volumine sub titulo *De abdicatione bonorum in favorem Societatis* (p. 247). Titulus enim ille invenitur, ut saepe alias, in quarta pagina secus pura, et in ea parte, quae, bis complicato folio, deforis apparebat. Folium vero, in quo nostrum monumentum est, semel quidem plicatum fuisse clara vestigia, bis autem nulla vestigia produnt. Agglutinatum quidem erat folio dupli in quo est titulus *De dispositione bonorum*; at male usus est glutine homo ille, qui aliud folium etiam *De paupertate vestium in novitiis* ad alium codicem pertinens, huc inculcavit. Vide Descriptionem codicum *A* et *E*.

Denique hoc monumentum neque de dispositione bonorum agit, neque quid verba *in eadem provincia* significet, declarat, id quod et notavit *Matr.* et legenti patet.

§ 3. De collateralī, 1551 (Monumentum 44)

Horum praeceptorum auctorem esse Ignatium, littera graeca Y, scripta in ima utraque pagina, manu S. Ignatii ea forma, qua initio et fine nominis ejus omnibus fere locis semper scribitur, aperte satis confirmat.

Tempus sat facile definiri potest; nam anno 1552, die 17 Januarii, hujus monumenti translatio italica ad Ludovicum Couretum mittitur⁶; probabiliter ergo scriptus erat textus hispanus anno praecedente. Multo posterius, i. e. 2 Januarii 1556, regularum earundem mentio incidit, cum illae ad Loartium mituntur⁷.

Exemplum Constitutionum quod ineunte anno 1551 Patribus Romam convocatis traditum est, aliquid de collateralī in-

⁵ Pag. 339.

⁶ *Monum. Ignat.* ser. 1^a, IV, 96-97.

⁷ Ib. X, 457.

parte octava, capite primo continet⁸, sed additum in margine manu Polanci; itaque nescimus, sitne hoc additamentum factum ante an post illud tempus.

Declaratio autem D quae est in Constitutionibus, VIII, 1, primum exstat scripta jam manu librarii, in codice *Instit.* 7, f. 124r, unde in codicem *B*, f. 139r, transcripta est. Haec non quidem sensu, at certe verbis non parum a monumento nostro differt; ejus tamen variationes hic non ponimus, quia integer textus, una cum caeteris Declarationibus partis octavae in volumine secundo locum inveniet. Itaque non est in codice *A*, cuius Declarationes Constitutionum exemplo anni 1551 saepe respondent. Hinc probabiliter concludimus et illud additamentum Constitutionum et, potiore jure, hanc declarationem initio anni 1551 posteriorem esse.

In translatione italica duo sunt additamenta, quae quidem Ignatio probata esse quando hae regulae Coudreto a Polanco e Sancti Patris mandatu missa sunt, jure admittimus; in textum tamen Declarationum sive hispanum sive latinum inducta non sunt.

Primum est in regula prima, qua collaterali commendatur, ut sese praeposito reverentem ex animo praebeat, quamvis illi proprio subditus non sit «et tanto più se sta ad obbedienza di quello»⁹, hoc membrum tam ab utroque textu hispano quam a Constitutionibus abest. Itaque quod sive ad Coudretum rectorem sive ad Leernum ejus collateralem scribendum Ignatius duxit, id omnibus annotandum non putavit.

Alterum additamentum est in ultima regula, quae collaterali praecipit ad praepositorum superiore vel etiam supremum scribere, quando superior quacumque de causa officium prætermitteret, quibus italus addit: «facendo stia ben informato il generale o prouinciale, che è sopra tutti due»¹⁰.

§ 4. De mensa praepositi, anno ? (Monumentum 45)

Ignatio fundatori hoc monumentum tribuitur non solum in apographo, unde illud sumimus, sed etiam a congregatione

⁸ In codice *A*, f. 98v.

⁹ *Monum. Ignat.* ser. 1^a, IV, 97.

¹⁰ Ib. De hujus loci translatione latina, decreto congregationis primae emendata, in vol. III, Deo adjutore, agetur.

prima, decreto 76, quae dicit: «Sequentem Constitutionem P. N. Ignatius fieri jussit, sed non eam emendavit». Nam etsi nostrum monumentum ab illa constitutione verbo tenus magnopere differt; utriusque tamen sensus et doctrina prorsus conveniunt. Imo suspicamur ex hoc monumento, ab Ignatio scripto, constitutionem illam in elegantiorem formam opera Polanci vel alicujus alius esse evolutam.

Quod ad tempus attinet, quo scriptum hoc monumentum est, vix quidquam divinare possumus. Illud cum praecedente conjungimus, quia una sunt in codice, etsi ordinem invertimus, tum quod regula illa in Constitutiones seu Declarationes multo ante mortem Ignatii Patris inserta in ipsis perseverat, tum quod constitutio haec emendata ad nos pervenit.

De reliquo ne quis forte miretur, Ignatium Patrem in singulari mensa cibum solitum esse capere, eamdemque regulam etiam voluisse ut reliqui moderatores sequerentur; S. Benedictus in regula sua caput quinquagesimum sextum scripsit, quod est hujusmodi: «De mensa abbatis. Mensa abbatis cum hospitibus et peregrinis sit semper. Quotiens tamen minus sunt hospites, quos vult de fratribus vocare, in ipsius sit potestate. Seniorem autem unum aut duo semper cum fratribus dimittendum procuret, propter disciplinam»¹¹.

CAPUT TERTIUM

DE DIPLOMATICIS PONTIFICIIS

Quoniam nobis in animo est ea monumenta hoc volumine colligere, quae ad nostrarum Constitutionum historiam retexendam juvare possunt; ideo diplomata pontificia, quae illis vitam canonicam dederunt, omittere nullo modo possumus. Quamquam enim Constitutiones nostrae prius in usu quodammodo quam in jure fuerunt; vim tamen institutorum sive praceptorum, quae Societatis alumnis norma vivendi essent, tum tandem obtinuerunt, cum ex accepta a pontifice facultate concinnatae sunt.

¹¹ P. L., 66, 795-796; legimus ut est in editione LINDERBAUER, p. 62. Commentarium capituli hujus et indicatas controversias de ejusdem interpretatione ortas, invenies in opere *Commentaire sur la Règle de saint Ben-*

Neque pontificia oracula Constitutionibus tantum nostris ortum dederunt, sed Societatem ipsam opportunis incrementis auxerunt, auxiliaribus copiis roborarunt, iis denique armis munerunt, quibus illa ad propositum sibi finem, expedite contenderet. Jam vero quanti haec omnia ad nostrarum Constitutionum historiam perspiciemur referant; facile intelliges, si aut ipsa diplomata et Constitutiones comparabis, aut saltem illa monumenta percurres, in quibus Ignatius conditor et Polancus deliberabant, quid v. g. in pontificiis diplomatis exprimendum, quid Constitutionibus reservandum esset, de qua re non pauca in tertia praesertim dubiorum serie videre licet.

Ad nos autem illa diplomata tantum spectant, quae Paulus III et Julius III, ab anno 1540 ad 1552 in favorem Societatis ediderunt. Sola enim haec, dum etiam tum in vivis esset Ignatius, Societati et Constitutionibus nostris vel ortum vel incrementum dederunt. His tamen alia duo monumenta anno 1539 praecesserunt, quae a nobis etiam edenda sunt; quorum aliud alia de causa summi momenti jure merito aestimatur. Primum est prima instituti Societatis summa, alterum epistola quaedam cardinalis Gasparis Contarini cum hac prima summa intimo nexu copulata.

Igitur praeter haec duo quae sub numeris 4 et 5 invenies, Pauli III bullas annorum 1540, 1541, 1544, 1549, et brevia annorum 1545 et 1546; Julii autem III bullam anni 1550 et breve anni 1552 complectimur, quae hoc volumine numeris continentur 7, 15, 18, 22, 23, 39, 40, 47.

Haec autem diplomata (excepta bulla anni 1541) typis primum exscripta in aedibus Societatis Jesu anno 1559, atque a cardinali Alfonso Carafa, vel potius ab ejus vices gerente, authentica declarata sunt datis litteris die 17 Junii anni ejusdem signatisque manu notarii publici Andreae Gerardi, quae quidem litterae in fine editionis ejusdem reperiuntur. Quoniam autem ipsa monumenta apostolica non habemus, illa ex quodam exemplo hujus

noit par l'abbé de Solesmes, troisième édition, pp. 408-411. Mutatis paulatim moribus, congregatio generalis tertia Societatis Jesu (anno 1573) sustulit usum mensae privatae superiorum, praeter praepositum generalem et si quibus aliis hic illam permittere voluisse. In congregatione septima (1615-1616) ipse generalis, Mutius Vitelleschi, congregationem rogavit ut decreto suo privatam generalis mensam tolleret; quam voluntatem congregatio probavit laudavitque, *Institutum II*, 223 et 317.

editionis primae transcribimus, notarii nomine et cognomine manu scriptis (utique ponimus esse manum ipsius Gerardi) signato, id quod non in omnibus exemplis invenitur. Apertos typothetarum lapsus, v. g. *huiumsodi* pro *huiusmodi*, qui paucissimi sunt, corrigimus nec notamus. Alia vero non adeo manifesta, quae in secunda editione litterarum apostolicarum (anni 1568) notantur tanquam errata secundae editionis (pp. 116-117), quae in his fere omnibus primam transcripsit, corrigimus, monito semper lectore. Notator enim erratorum testatur: «Errata sic emendanda sunt, juxta collationem cum litteris Originalibus factam». Litteras Alfonsi Carafa ultimis litteris apostolicis apposuimus.

ARTICULUS I

PRIMA INSTITUTI SUMMA, 1539 (Monumentum 4)

1. Quamvis hoc monumentum diploma pontificium proprie dici non potest, neque unquam pontifícia auctoritate valuit; quum tamen veluti basis ac fundamentum caeterorum diplomatum sit, non dubitamus quin ad hunc locum pertineat.

Ac primo quidem arctum cum superioribus monumentis nexum perspicies, si quinque puncta quibus novae Societatis institutum hac summa exprimitur, aut in primis illis deliberationibus fere omnia, indicata saltem, inesse, aut ex factis cognita jam et communi sociorum consensu admissa intelliges.

2. Rem v. c. unam maximi momenti summa haec continet, quam ne indicatam quidem in primis deliberationibus invenimus; agitatam tamen eo tempore fuisse, ex alio fonte haurimus. Nam antiquissimum circa collegia monumentum (hic monumentum 10) ad annum 1541 pertinet. In hac autem prima instituti summa etsi nomen ipsum collegiorum non legitur, at res certe ipsa in quarto capite continetur, ubi dicitur: «Possint tamen [socii], ad colligendos aliquos bone indolis scholasticos et in locis vniuersitatum litteris presertim sacris imbuendos, ad bona stabilia et ad prouentus ius ciuile acquirere, substantandorum scilicet scholasticorum illorum causa, qui in spiritu et litteris proficere et in Societate nostra, exacto sui studii tempore post probationem demum recipi cupiant» (p. 19). Haec esse illa

quae in Pauli III bulla «Regimini militantis Ecclesiae» collegia appellantur, intuenti patet, quae tamen in ea bulla multo plenius explicantur.

At compertum est, collegiorum inventorem fuisse Laynez; ita enim ab ipso Ignatio traditur¹; ergo res haec inter socios agitata et constituta est antequam Faber et Laynez iter parvense die 20 Junii anni 1539 aggredierentur; id quod ex epistola Lainii de S. Ignatio plane confirmatur. Nam praeter alia ante suam profectionem statuta, collegia etiam nominat², quod etiam habet Polancus in Vita P. Ignatii³.

3. Deinde deliberationes illae primae, quatenus earum acta nobis innotuerunt; dimidiato fere mense Junio anni 1539, absolutae sunt; summam vero hanc die 3 Septembris pontifici Paulo III cardinalis Contarenus exhibuit⁴. Antea tamen, ut est in prooemio ipsius monumenti, quinque illa capita jussu pontificis Thomas Badia O. P., magister sacri palatii, examinanda suscepit. Is, si fidem in hac re Danieli Bartoli haberi oportet, per duos menses illa detinuit⁵. Quod si ita est aut exeunte Junio aut ineunte Julio illa acceperat, ac proinde merito conjicimus eodem fere tempore hanc summam factam esse atque illas determinationes Societatis, quae dimidiato Junio ad finem perductae sunt. Unde conjicere ulterius licet, aut alia quoque acta eo ipso tempore conscripta esse, quae nos certe latent, aut forte existimasse Patres nostros actis opus non esse, ubi pontificium diploma exstaret.

4. Scribentis quidem manus eadem illa est, quae Exercitorum Autographum hispanum, a S. P. Ignatio tricies ac pluries emendatum, perscripsit; non est manus ullius e primis Patribus, sed librarii alicujus nobis adhuc ignoti⁶. At quisnam tandem sociorum summam ipsam contexuit? Difficulter dici potest, si tamen potest. Opinamus nihilominus Ignatium Patrem fuisse

¹ *Monum. Ignat.* ser. 4^a, I, 220.

² Ib., 121.

³ *Chron.* I, 71.

⁴ *Infra*, a. 2.

⁵ *Vita di S. Ignazio*, l. 2, c. 45, p. 178.

⁶ Librarius ille non videtur esse Bartholomaeus Ferronius, unde corrigere *Exercitia*, p. 1276, in additis paginae 139. De litteris ferronianis cf. supra c. 2, a. 11, n. 2, p. CLVIII.

praecipuum auctorem. Cum enim ipse Societatis institutor et Constitutionum auctor fuerit (quam rem suo loco in volumine secundo, enucleatus enodabimus); haec autem summa primum Societatis Jesu et Constitutionum germen contineat; ipse melius quam caeteri poterat hanc imaginem depingere.

In ipso etiam monumento aliquot fortasse Ignatii vestigia reperire licet. Etenim quamquam monumentum latine scriptum est, Ignatium autem hispane scripsisse autumamus, nihil vetat quominus ex latino ad hispanicum adhibita conjectura revertamur. Itaque illud «in vnum conuenisse» animo nostro suggerit phrasim «nuestro ayuntamiento en uno»⁷. Quod ait Summa «ut... vitam vestram perpetuo Domini nostri Jesu Christi atque eius in terris vicarii seruitio dedicaretis», non procul abest ab illis: «como... todo nuestro entender y querer... aimamos puesto debaxo de Christo nuestro Criador y Señor y de su vniuersal vicario, nuestro summo pontífice»⁸. Illud quoque «sine ulla tergiuersatione aut excusatione illico, quantum in nobis fuerit, exequi teneamur» (capite primo) respondet alii loco partis septimae: «para obedecer a su vniuersal y summo vicario sin escusación alguna»⁹. Locutio «secundum circumstantias personarum, locorum et temporum»¹⁰ apud Ignatium frequentissima est.

Ratio quidem dicendi latina politior et cultior est, quam ut illam Ignatio, litterarum humaniorum tardo cultori, dare possimus. Aderant vero Romae Coduri et Salmeron, quorum primus paulo post ad acta perscribenda designatus est; alter, utpote qui adolescentior litteras latinas didicerat, ad latine scribendum aptior esse debuit. In urbe aderant etiam, usque ad 20 Junii, Lainius et Faber.

5. Quod ad discrimina pertinet, quae inter hanc summam et ipsam approbationis bullam intercedunt, duo praesertim in bulla omissa sunt, quae non exiguum capitinis quinti partem in summa efficiebant, illa dicimus quae chorum concentusque musicos et corporis asperitates attingebant. Sublata haec sunt sug-

⁷ Initio summae et in codice *Instit. 7*; v. monumentum 20, infra, p. 162.

⁸ Ib. in summa et cod. *Instit. 7*; infra, p. 160.

⁹ Ib. in summa, c. 1 et *Instit. 7*; infra, p. 159.

¹⁰ In summa, c. 3.

gerente cardinali Ghinucci, ne protestantibus, qui tam multa illo tempore contra hujusmodi sanctissimos usus effutiebant, ansa ulla ex parte catholicorum, imo religiosorum virorum, praeretur amplius etiam calumniandi; in quibus rebus omittendis promptos sese Patres nostri praebuerunt.

Etiam votum illud summo pontifici circa missiones nuncupandum nonnihil negotii facessivit. Videbatur enim nunnihil superfluum votum, cum christifideles omnes pontifici summo parere teneantur. Nihilo tamen minus, audita nostrorum Patrum declaratione, quae scripta cardinali Farnesio missa est, apparuit votum non esse superfluum ac proinde, etsi textus aliquantulum in bulla mutatus est, votum tamen usque in praesens tempus viget¹¹. Quod reliquum est, haec alia discrimina (quae omnia in hac nostra editione subnotamus) tam parum institutae Societatis naturam afficiunt, ut Polancus, qui utrumque documentum habuisse videtur, de duobus formulis quasi de una disserat¹².

ARTICULUS II

EPISTOLA CARDINALIS CONTARINI, 1539 (Monumentum 5)

Brevissima certe, at magni momenti est haec epistola, cuius praesertim ope tempus, quo prima instituti Societatis approbatio a summo pontifice orta est, et haec ipsa approbatio innotescunt, dies 3 Septembris anni 1539. Ideo etiam suum post primam instituti summam locum obtinet. Ex ea quoque novimus, magistrum sacri palatii capita illa expendisse, quantaque celeritate negotium ex mente Contarini conficiendum esset, siquidem die secundo Septembris, qui martis fuit, capita quinque ab Antonio Araoz Tiburim perlata accepit, die tertio pontifici summo perlegit, die quinto seu feria sexta curandum fuit ut diploma pontificium pararetur. Rem tamen aliter evenisse mox dicemus.

¹¹ Cf. epistolam Lactantii Tolomei ad cardinalem Gasparem Contarini, apud DITTRICH, *Regesten und Briefe*, p. 379. Fuit autem Lactantius Tolomei discipulus Ignatii Patris in exercitiis. Cf. TACCHI VENTURI, *Storia*, II, 117-118.

¹² In *Vita Patris Ignatii*, c. 9, *Chron.* I, 71-72. Hoc loco epistolam cardinalis Contarini memorat his verbis: «Et haec tertia die Septembris Tybure acta, ex litteris ipsius cardinalis Contareni constant».

ARTICULUS III

DE PAULI III BULLA «REGIMINI MILITANTIS ECCLESIAE» 1540
(Monumentum 7)

1. Confirmata jam vivae vocis oraculo forma vivendi Societatis, approbatio solemnis, dato diplomate pontificio, exiguo temporis intervallo ventura quam primum credebatur. Cur tamen et qua via per longas ambages res tandem ad finem optatum pervenerit, nostrum non est exponere. Si plenam rerum et personarum cognitionem acquirere atque ordinatam factorum seriem perspicere exoptas, adi, quaequo, Tacchi Venturi qui, primus, nisi fallimur, accuratissime hanc historiam enarravit¹. Quam ut brevi saltem praecidamus, cum cardinales Ghinucci et Contarini de novo instituto inter se non convenirent; res ad cardinalem Guidicicioni delata est. Is vero, etsi capita quinque sanctissima judicavit², religiosorum tamen ordinum numerum restringendum potius quam augendum arbitrabatur; donec fusis per Ignatium ad Deum ardentissimis precibus, adhibitis potentissimorum hominum commendationibus et sollicita cura Petri Codatii, in romana curia diu versati et noti, perspecta demum qua P. Ignatius apud omne hominum genus maximeque apud Paulum III valebat, auctoritate, victus, approbationi tandem acquievit, sed ita «ut approbaretur quidem Societas ut religio, sed tantum sexaginta personas admittere posset»³.

Atque hoc fuit unicum magni momenti additamentum, auctore cardinali Guidicicioni factum, si bulla approbationis cum prima illa instituti summa comparatur, quae vivae vocis oraculo erat anno superiore approbata. Nam reliquae capitum quinque mutationes jam, ut diximus, a cardinali Ghinucci propositae erant.

2. De reliquo sexaginta illos, quos in Societatem admitti posse Paulus III concedebat, intelligendos esse professos eosque

¹ *Storia*, II, 305-325.

² Ita constat ex epistola legati parmensis, data die 13 Februarii 1540, allata a P. T. V., l. c., p. 317, annot. 4; unde falsum est, per annum integrum in dubium vocatam et discussam esse formulam instituti Societatis Jesu, ut scripsit MIR, *Historia*, I, 179.

³ *Chron.* I, 80, 81, 82.

quatuor votorum, certum est. Intelliguntur enim ex ipsa bulla Pauli III homines qui castitatis votum solenne, item vota paupertatis et obedientiae nuncupent, qui votum circa missiones ad arbitrium summi pontificis obeundas emittant (hoc est quartum votum); homines qui «non solum in primis professionis⁴ suae foribus, sed quoad vixerint» institutum Societatis ob oculos habere debeant; qui paupertatem ita voveant, ut neque privatim neque communiter jus civile aliquod ad bona stabilia vel ad redditus acquirere, collegia tamen habere possint ad scholares instituendos Societati destinatos, quae omnia solis professis conveniunt⁵.

3. Quod vero ad ipsum bullae textum attinet illud unum notandum succurrit, in ultimis duobus editionibus Instituti Societatis Jesu bis legi *ad consecutionem*, ubi textus omnes antiqui tam typis editi (praeter Bullarium Romanum editum Taurini 1860) quam manu scripti (quos quidem videre potuimus), ipsa illa instituti prima summa anno 1539 Paulo III a cardinali Contarini exhibita, legunt *ad constructionem*⁶. Cujusnam auctoritate mutatio illa facta sit, ignoramus. Suspicamur existimasse

⁴ Nota expressam professionis mentionem.

⁵ Ita ad unum omnes, nisi fallimur, senserunt, qui de hac re inde a primis Societatis temporibus ad nostra usque tempora scripserunt. Mir claram sententiam in pravum sensum ita detorsit, ut in S. Ignatium ejusque socios violatae graviter obedientiae suspicionem injiceret, quippe qui contra jussa summi pontificis plures quam sexaginta in Societatem admisissent. (*Historia*, I, 172-173). Admirerant nempe ad probationem et ad studia (in uno collegio conimbricensi sexaginta scholastici anno 1544 versabantur, *Chron.*, I, 143), non vero ad professionem, ad quam quidem ut aptis hominibus universis aditus pateret, quadriennio post Paulus ipse III largitus est.

⁶ Praeter manuscripta vaticana primae summae instituti Societatis Jesu et bullarum Pauli III et Julii III, contulimus editiones litterarum apostolicarum factas Romae, in collegio romano Societatis, annis 1559, 1568, 1578, 1587, 1606, 1615 et Neapoli 1598; bullas in probatione versantibus ostendi solitas, Romae 1606; Institutum Societatis Jesu, Antuerpiae 1635, Pragae 1705 et 1757; Corpus Institutorum Societatis Jesu, Antuerpiae 1635 (spuria editio); editionem avenionensem 1827; Examen et Bullas, Roehampton 1864. *Magnum Bullarium Romanum* Cherubinorum legit etiam *constructionem* in quatuor locis; Bullarii ejusdem editio taurinensis legit in primo loco bullae Pauli III *consecutionem*, non indicans lectionis fontem, in reliquis tribus locis dat *constructionem*. Mutatio itaque facta est in editione romana florentina, 1878-1891, aut in editione taurinensi Bullarii; *constructionem* legit etiam Nadal in *Scholiis*, p. 159.

aliquem per calami lapsum scripsisse librarium nescio quem *constructionem*, quod peregrinum quid videretur sonare illud *constructionem huius propositi nobis finis et constructionem propositi sibi a Deo et a Societate finis*. At vero calami errorem esse in omnibus textibus tum manu tum typis exscriptis, qui error, locis iisdem in bulla Julii III repetatur (nam quod de formula Pauli III dicimus, de formula Julii dicendum est) admittit nequit. Itaque non dubitavimus antiquam lectionem restituere. Sententiam vero non adeo peregrinam existimabis, si animo recoles, institutum Societatis in hac ipsa formula cum turri aliqua consummanda seu construenda (sumpta ex evangelio parabola)⁷ comparari; ab instituto autem ad finem instituti facilem esse in usu loquendi transitum.

ARTICULUS IV

DE BULLA SECUNDA PAULI III (Monumentum 15)

Diploma hoc non invenitur in bullario Societatis Jesu typis expresso, in quo alia quoque diplomata desiderantur, quibus aliqua singularia tantum conceduntur.

Existimavimus autem hanc bullam Monumentis Constitutionum praeviis esse annumerandam, quia ad illustrandum monumentum 9, iis praesertim locis, qui de paupertate agunt, plus luminis fortasse quam ullum aliud monumentum afferre posse videtur.

Postulaverat enim Petrus Codacius a romano pontifice Paulo III, «ut dictam ecclesiam Beate Marie preposito et sociis Societatis... perpetuo concedere et assignare ac illius fructus et prouentus predictos sacristie ipsius ecclesie Beate Marie etiam perpetuo applicare et appropriare» dignaretur (p. 73).

Duae diversae res hoc loco postulantur: prima est ut ecclesia sociis in perpetuum concedatur et assignetur; altera, ut ejusdem ecclesiae fructus, redditus et proventus perpetuo applicentur et approprientur sacristiae¹.

⁷ LUC. 14, 28.

¹ Forte putabit aliquis verbum *sacristie* post participium *predictos*, esse genitivum, non dativum. Constructio tamen totius sententiae, et multo magis concessio quae sequitur et petitioni respondet, postulant dativum.

In concessione similiter duo haec separantur, et diverso modo conceduntur. Quod ad primum pertinet, ait: «ecclesiam Beate Marie predictam... cum omnibus et singulis illius structuris... rebus et bonis mobilibus et immobilibus nec non iuri bus et pertinentiis suis, preposito et sociis Societatis huiusmodi nunc et pro tempore existentibus pro eorum usu et habitatione... perpetuo concedimus et assignamus» (pp. 73-74). De secundo autem subjicit: «Ac fructus, redditus et prouentus ecclesie Beate Marie huismodi illius sacristie predice similiter perpetuo applicamus et appropriamus» (p. 74).

E quibus locis elucet, primo Societati Jesu nihil appropriari; sed, secundo, assignari tantum ecclesiam hujusque jura et caetera quae nominantur, ad perpetuum illius usum; tertio, fructus, redditus et proventus appropriari sacristiae; proinde, quarto, sacristiam vere constitui subiectum juris seu dominii.

Quod vero ad ipsius monumenti historiam spectat, in mente revocare oportet, Petrum Codacium sese Ignatio adjunxisse anno 1539; cumque anno sequenti de obtinenda ecclesia Stae. Mariae de Strata, eaque Societati committenda ageret; constat eodem fere tempore haec negotia agitata esse, quo Patres nostri Constitutiones anni 1541 concinnabant, unde non sine causa conjicimus, capita paupertatem spectantia nexus aliquo cum hoc diplomate pontificio conjungi, neque Ignatium, qui jus proprietatis a professa Societate arcendum judicabat, ab eo praeparando prorsus alienum fuisse.

ARTICULUS V

DE TERTIA BULLA PAULI III, 1544 (Monumentum 18)

Ab anno 1540 ad 1544 Patres nostri compluries inter se convenerunt, et secundum facultatem sibi a pontifice summo factam de rebus instituti Societatis deliberarunt Constitutionesque quasdam condiderunt. De his in capite primo *De labore sociorum* diximus.

At in his deliberationibus nihil circa sexaginta sociorum numerum invenimus, de quo tamen Patres nostros inter se contulisse pro certo haberri necesse est, cum ipsi rem hanc summo pontifici exponi fecerint, ut diploma ipsum loquitur. Nisi forte

res illa Patribus nostris, praesertim fundatori Ignatio, tam clara eluceret, ut deliberatione opus non esset; clarissime enim intelligitur, cum multi tam civitatum quam ecclesiarum principes opera sociorum uti vellent, optavisse vehementer Ignatium, ut quam multos idoneos reperire, tam multos admittere liceret; ideo in prima summa nulla est mentio numeri.

Itaque Patres primi, duce Ignatio (qui, etiam in hoc diplomatico, sociorum veluti antesignanus ante caeteros nominatur) summum pontificem rogarunt, ut ad professionem admittere possent quotquot admittendos censerent. Nescimus utrum cardinalis Guidicicioni, qui pontifici auctor fuerat ut socii numerum sexaginta non excederent, aliquid difficultatis opposuerit. Veri simillimum est, animo laboribusque Ignatii ac sociorum ejus melius in dies perspectis, ipsum de se mutasse consilium. Jam enim anno 1542 scribebat Rodericio Ignatius, Guidicicionum esse Societati valde benevolum¹.

Concessionis hujus nuntium, universis Societatis Jesu alumnis gratissimum, communicabat Ignatius vel ejus nomine is qui a secretis esset eo tempore, in epistola illa quae mense Martio anni 1544 data est: «S. S. ha ampliado el número de la Compañía nuestra esta semana»² caet.

Sed res alia magni quoque momenti Patribus nostris hac bulla Paulus concessit. Nam prima facultatem dabat Constitutiones condendi; haec vero secunda ita facultatem hanc roboravit, ut «eo ipso apostolica auctoritate... confirmatae censerentur» quod ipsi Patres eas condidissent.

¹ *Monum. Ignat.* ser 1^a, I, 225.

² Ib. 251. Huic epistolae complures annotationes suppositae sunt, ad tempus definiendum quo scripta est. Mirum est in mentem editoribus non venisse, notari in bulla annum ab incarnatione Domini seu a die 25 Martii; proinde diem 14 Martii pertinere ad annum vulgarem 1544, id quod editor Instituti Societatis Jesu, Florentiae, anno 1892, optime notavit, scribens ad marginem diplomatis 14 Martii 1544. Annus enim vulgaris incepérat jam die primo Januarii praecedentis. Ita omnia cohaerent: ad Xaverium scribitur die 30 Januarii 1544: «La casa de las pecatrices va adelante: están dentro en ella 16,, (annot. 1, p. 250, *Monum. Ignat.* ib.). Non dici posset «va adelante,, si mense Januario 1544 fuissent 16, postquam mense Martio anni 1543 numerum 24 attigissent, ut est in hac epistola; contra optime procedit, si ipso anno 1544 mense Januario erant sexdecim, mense autem Martio viginti quatuor. Praeterea solemne baptisma catechumenorum, actum

ARTICULUS VI

PAULI III BREVE DE FACULTATIBUS CONCIONANDI CAET., 1545
 (Monumentum 22)

Scribebat Ignatius Pater Simoni Rodriguez anno 1542, die primo mensis Novembris: «Nosotros, los diez primeros de la Compañía teníamos de S. S. y de la sede apostólica las gracias siguientes» easque enumerat. Tum eidem mittit exemplum supplicis libelli Paulo III oblati, quo petitur ut et Antonio Araoz eo anno Societatem ingresso (emissa scilicet professione die 19 Februarii) facultates illas summus pontifex largiatur, et hominibus Societatem ingressuris praepositus generalis concedere possit¹.

Itaque hoc ipso epistolio Ignatius potestatem Simoni facit, ut, si quos apud se idoneos habeat, iis facultates illas communicet. Consentaneum erat ut quae sparsim: et vivae vocis oraculis concessa erant, illa in unum pontificium monumentum collecta constarent. Itaque «litterae illae (narrat Polancus ad annum 1545) quibus in forma brevis, nostris facultas amplissima ad sacramenta confessionis et communionis administranda, et verbum Dei praedicandum, et alia nonnulla perutilia conceduntur, fuerunt impetratae, ut armis spiritualibus instructa Societas proximis juvandis utilius operam suam impenderet»². His tamen litteris neque omnia continentur quae prius concessa erant, et aliquid novi additur, quod a pristinis illis aberat. Nulla enim

die octavo paschatis (quod ait epistola) seu die primo Aprilis (si accidit anno vulgari 1543), non potuit narrari die 14 Martii anni ejusdem; narratur vero mense Martio anni 1544, quasi res olim peracta. Potuit ergo tota epistola anno 1544 scribi, etsi ponamus (quod ponendum est) partim ipso mense Martio, partim mense vel mensibus sequentibus esse perscriptam, nempe ab eo loco “El Março pasado vinieron tres franceses,” p. 251. Polancus in *Chron.* I, 110, narrat bullam hanc esse datam anno 1543 (vulgari, ut caetera quae ibi narrantur) et quidem die 12 (mirum est, omitti mensem). Oblitus est, idus martias incipere die 15, ac proinde pridie idus esse diem 14; annum vero ex bulla desumpsit, at neque ille notavit ibi dici ab incarnatione Domini, proinde esse annum 1544.

¹ *Monum. Ignat.* ser. 1^a, I, 232.

² *Chron.* I, 149.

mentio est lectionis librorum haereticorum, et facultas ad vota commutanda conceditur.

Has quoque litteras Ignatius et Polancus aliquot post annos recolendas sumpserunt, cum de novis litteris apostolicis, Societatis tum instituta tum privilegia spectantibus, obtinendis actum est. In tertia enim serie dubiorum ait Polancus: «Sin lo dicho concede su santidad a la Compañía diuersas gratias en vn breue, es a saber, de predicar dondequiero, confesar dondequiero y absoluer a reseruatis» caet. Quaeriturque inter alia, sintne favores hujusmodi in praecipua bulla an separatim postulandi³.

De lectionibus variis hujus brevis illud unum est notandum, paulo post initium, juxta verba «indefessum et imparatum invadat», irrepsisse in editionem romanam annorum 1886-1891, et inde in florentinam anni 1892, integrum sententiam, quae in nulla priorum editionum reperitur; ea est illa: «cupientes ut ipsi gregi cura Nostra eo plenior impendatur, quo amplior in agro Domini operariorum numerus augebitur». Sumptus hic textus est ex quadam minuta, quam vocant, quae est in cod. *Instit. 194*, f. 36, qua usus esse videtur editor penultiimi Bullarii nostri. Cum minuta illa auctoritate publica careat, et locus ille ab editione prima, quae collata cum ipsis litteris apostolicis originalibus est, absit, ex nostra quoque editione expunctus est et inter varias lectiones relegatus. Caeterum facile intelligimus, quare locus ille in litteris ipsis apostolicis admissus non sit; agit enim de numero operariorum augendo; breve autem non de operariis, sed de ministeriis loquitur.

ARTICULUS VII

PAULI III BREVE DE COADJUTORIBUS, 1546 (Monumentum 23)

Quando Patres nostri anno 1539 inter se deliberabant, utrum expediret necne, esse in Societate obedientiae votum; prima omnium causa affirmantem sententiam amplectendi in actis annotata haec est: «Si congregatio haec nostra absque suaui obedientiae jugo haberet curam rerum agibilium; nullus haberet

³ Po. de *Instit.*, f. 28, infra, p. 316.

curam exactam, cum vnuſ in alterum hoc onus reiiceret, ut pluries experti sumus» (p. 6). Quam rem ut intelligamus, statum illius congregationis animo repraesentemus oportet. Erant quippe sacerdotes omnes, studio salutis animarum ingenti flagrantissimi, qui sese totos charitatis operibus impendebant.

His autem laboribus ita distinebantur «quod si fuissemus, inquiunt, in numero quadruplo plures quam eramus, non poteramus omnibus, sicut nec modo, satisfacere» (p. 5).

Facile nobis persuademus, quam arduum illis hominibus accideret, janitorem vel coquum agere¹, ac multo magis animis omnium hominum opem ferre non posse.

Hinc illud consilium natum est, homines alios in suum coetum adsciscendi, qui eos tum in rebus temporalibus, tum in rebus spiritualibus adjuvarent, ex quo adjutores sive coadjutores appellati sunt.

Dubitandum non est, quin totam rem Patres nostri diligenter tractarent, antequam summo pontifici anno 1546 proponerent. Vide etiam in emendatis, quae ex vaticano exemplo descriptimus, quam sollerter Crescentius cardinalis (utique mandante pontifice) totum monumentum ad trutinam revocavit, quod die 18 Aprilis jam absolutum, die sexta Junii tandem in lucem prodiit.

Patet quanti momenti hoc diploma ad evolutionem instituti Societatis habendum sit, quo unus vel, si mavis, duo, temporalium dicimus et spiritualium coadjutorum gradus statuuntur, eorum graduum causa, finis, officia breviter ac dilucide exprimuntur.

Cardinalis autem Crescentius tanto in Societatem Jesu amore affiebatur, ut de illo Ignatius Simoni Rodericio scriberet: «es deboto y aficionado de nosotros, como soys vos mismo»². Hoc studium et maxime officium quo fungebatur, hujusmodi brevia praeparandi³, eum ad hanc provinciam ea diligentia obeundam impulerunt, quam ex emendatis in exemplo vaticano manu scripto colligimus.

¹ Quando Antonius Araoz, anno 1538, ad Frangipani domum invisurus Ignatium accessit, januae custodem agebat Xaverius, cuius verba Ignatium vocantis illa feruntur: “Iñigo, está aquí Araoz, que os quiere hablar,” *Monum. Ignat.* ser. 4^a, I, 222.

² *Monum. Ignat.* ser. 1^a, I, 223.

³ Ib., pp. 693-694.

Institutionem hanc spiritualium coadjutorum narrat Polancus in Chronico ad annum 1546: «Et quia instituti nostri ratio, inquit, ut quis ad professionem admittatur solidiorem eruditionem exigit, quam quae possit ad multos sese extendere, quorum alioqui pietas, prudentia et etiam doctrina ad bene merendum de proximis in ministerio sacramentorum, et in catechismo explicando, et etiam in gubernatione collegiorum et aliis in rebus Societati et reipublicae christianaे perutiles esse poterant, litterae apostolicae in forma brevis obtentae sunt, ut hujusmodi sacerdotes, qui coadjutores vocarentur, admitti, et viginti ex eis omnia spiritualia Societatis arma communicari possint»⁴.

ARTICULUS VIII

DE PAULI III BULLA «LICET DEBITUM», 1549 (Monumentum 39)

1. Primam hujus diplomatis originem memorat Polancus his verbis: «Scripsit etiam Dux Gandiae Franciscus Borgia ad Summum Pontificem (antequam Patris Ignatii litteras acciperet quae hoc ipsum petebant) supplicavitque ut Societati facultates eas, quas *mare magnum* religiosi vocant, concederet... Tunc autem agi coeptum est de illis facultatibus quae anno sequenti fuerunt expeditae». Sic ille ad annum 1548¹.

Litteras S. Francisci Borgiae de hac re ad pontificem non habemus; scimus autem ex quadam ejus epistola ad S. Ignatium die 27 Decembris 1547 scripta, eum legato suo Didaco Sanchez mandatum de mari magno in favorem Societatis procurando deditisse². Novimus et mandatum ipsum eodem die scriptum³. Uno fere ante mense, die 24 Novembris, Andreae de Oviedo, collegii gaudiensis rectori litteras Polancus Ignatii nomine scripserat, quibus, inter alia quae a duce postulanda videbantur, proponebat quoque «vn mare magnum, qual parece tienan otras

⁴ *Chron.* I, 169-170. Anno 1549 per bullam «Licet debitum» concessit Paulus III, ut non solum viginti, sed omnes coadjutores spirituales his armis instrui possent.

¹ *Chron.* I, 314-315.

² *S. Franciscus Borgia* II, 537.

³ *Ib.*, III, 28.

religiones, en el qual se incluye muchas cosas que sería menester pedirlas de parte»⁴ caet. Verbis valde similibus mentio maris magni obtainendi fit in serie tertia dubiorum polancianorum, ultimo punto: «Véase si se han de procurar las gratias que faltan a la Compañía, como altar portátil y otras facultades del mare magnum»⁵ caet. Ad ducem ipsum scripsit Ignatius de hac re die 20 Septembbris anni 1548⁶. Forte Polancus hanc epistolam, cuius excerpta ipse in regesto conscripsit, significare voluit.

2. E curia vero romana duos praesertim viros operam suam contulisse comperimus, ut hoc diploma ad exitum feliciter prompteque perveniret, cardinalen Sfondratum et Thomam Lilium seu Giglium. Sic enim scribit Polancus: «Hoc etiam anno cum a summo pontifice Paulo III id obtentum esset, ut facultates nostrae Societati convenientes, ad ipsius et commune animarum bonum promovendum, cardinali Sfondrato negotium hoc est commissum, et quaecumque ex privilegiis aliorum ordinum eo tempore nobis convenire videbantur, eodem ad summum pontificem referente, concessa fuerunt et litteris apostolicis comprehensa. Et quia ante expeditionem confectam graviter summus pontifex aegrotare coepit, egregiam operam navavit dominus Thomas Lilius, nunc episcopus soranus, ut eo adhuc superstite litteras illas haberemus»⁷.

Certe, etsi die 13 Septembbris scribebat Polancus expeditam fere jam esse bullam; data tandem est die 18 Octobris; Paulus autem III die 10 Novembbris e vita migravit. Cum vero gravis morbus, cuius vis Paulum vita privavit, eum die 5 Novembbris invaserit⁸; Polancus de alio morbo loqui videtur.

3. Dolendum sane quod ex regesto lateranensi anni decimi

⁴ *Monum. Ignat.* ser. 1^a, I, 653.

⁵ V. monumentum 38^{ter}, *infra*, p. 317.

⁶ *Monum. Ignat.* ib., II, 232.

⁷ *Chron.* I, 361. S. Franciscus B. cardinalem Guidicicioni indicaverat, cui negotium illud committeretur (*S. Franciscus Borgia* III, 28). Haec epistola data est die 27 Decembbris 1547; non videtur tamen res illa tam cito tractari Romae coepisse. Guidicicioni vita cessit anno 1549.

⁸ PASTOR, *Geschichte*, V, 674. Clarus historiarum scriptor meminit aliis tantum morbi, quo Paulus III laboravit anno 1547 (p. 617), de quo Polancus certe non loquitur anno 1549.

quinti pontificatus Pauli III, seu anni 1549, sola volumina quinque ab interitu vindicari potuerint, in quibus bulla nostra non continetur⁹. Forte ad historiam textus non parum lucis Sforzatii labor adjecisset.

Fontem hujus diplomatis Polancus, S. Franciscus Borgia et Paulus III ipso nomine *maris magni*, quod usurpat, clare demonstrant. Clarius autem Franciscus Borgia in suis ad Didacum Sanchez mandatis «vt ex Mari magno et aliis etiam gratiis, ordinibus mendicantium concessis, eas quae ad ipsius conservationem et augmentum ac Dei honorem et animarum auxilium esse judicabunt, praedictae Societati applicet»¹⁰.

Textui ergo a nobis edito locos plurimos supponimus, quos mare magnum, familiae religiosae S. Francisci Assissinatis a Sixto IV, et Ordini Praedicatorum a Gregorio XI concessum continet, qui quidem loci locis nostris maris magni ita et verbis et sententiis similes sunt, ut, eorum fontes indubii habeantur. Hos autem locos non exscribemus, sed tantum indicabimus. Unum tamen alterumve proferre hic visum est, ut a paucis omnes discas.

De oratoriis, deque usu altaris portatilis habet bulla nostra «Liceatque Praepositis et de eorum facultate vniuersis fratribus et sociis... iis locis in quibus degunt... habere oratoria; et in eis... in altari portatili... etiam tempore interdicti... ianuis clausis, excommunicatis et interdictis exclusis, submissa voce missas et alia diuina officia celebrare» caet. (pp. 361-362). Sextus vero IV fratribus a S. Francisco: «Liceat eis [dicti ordinis professoribus] in locis in quibus degunt, habere oratoria, et in eis cum altari portatili, etiam tempore interdicti, ianuis clausis, excommunicatis et interdictis exclusis, missarum solemnia et alia divina officia celebrare»¹¹. De aliis quibusdam privilegiis et nominatim de cura monialium legimus in nostra bulla: «Quodque nullis ipsorum correctionis seu visitationis vel inquisitionis officium monasteriis vel ecclesiis seu quibuscumque personis impendere; vel ad cognitiones causarum, citationes partium et denuntiationes sententiarum Interdicti vel excommunicationum

⁹ Sunt haec in *Reg. Lateran.* 1778, 1796-1799.

¹⁰ *S. Franciscus Borgia* III, 28.

¹¹ *Bullarium Romanum*, V, 218.

procedere; aut curam Monialium seu religiosarum quarumlibet personarum recipere teneantur» caet. (p. 363). Eadem Clemens IV: «Quodque nullus vestrum correctionis seu visitationis vel inquisitionis officium» et cetera ad verbum (nisi quod bis particulam *et pro vel usurpat*) etiam illa de monialibus, mutato loco verbi *recipere*: «aut recipere curam monialium seu religiosarum quarumlibet personarum teneantur»¹². Haec tamen res, etsi verbis eisdem in nostra Pauli III, et in franciscana Clementis IV bulla exprimitur, ab Ignatio ex suo ipsius potius quam ex aliorum experimento hausta est¹³.

4. Et hic quidem locus mere transcriptus dici potest; primus et plurimi alii non mere transcribuntur, sed plus minusve mutantur, ut vel Societatis instituto vel temporibus melius accomodentur. Cujus rei aliquod etiam exemplum afferre placet.

Vide quid fratribus Ordinum S. Francisci et S. Dominici circa confessiones pontifices summi praeceperint. De franciscalibus fratribus Clemens IV in bulla «Virtute conspicuos» (quam Sixtus IV, sumptam ex alia bulla «Licet debitum pastoralis officii» Eugenii IV, integrum in mare magnum inserit) haec: «Inhibemus insuper universis fratribus vestri ordinis, ne aliquis eorum, nisi necessitatis urgente articulo, alii quam praelatis suis peccata sua confiteri praesumat, vel aliis eiusdem ordinis sacerdotibus secundum regulam et ipsius ordinis instituta»¹⁴. Gregorius autem XI verbis iisdem fere Ordini Praedicatorum: «Inhibemus insuper universis fratribus Ordinis vestri, ne aliqui eorum alii quam praelatis suis peccata sua confiteri praesumant, nisi necessitatis urgente articulo, vel nisi forsitan magister vel prior proprius alicui fratri dederit fratri alteri eiusdem Ordinis licentiam confitendi»¹⁵. Nostrum autem mare magnum ita se habet: «quilibet ex sociis Societatis huiusmodi peccata sua proprio Praeposito, vel ab eo deputato seu deputatis, et alias secundum ordinationes Societatis praedictae designatis, confiteri debeat, nisi super hoc a dicto Praeposito alium confessorem eligendi facultatem habuerit» (p. 360, n. 5). Jam aliquod discri-

¹² Ib., III, 739.

¹³ V. monumentum 27 et 27^{bis}, p. 181.

¹⁴ Bullarium Romanum, III, 741.

¹⁵ Ib., IV, 572.

men nec parvi momenti in eo apparet, saltem in Ordine Praedicatorum, quod norma communis in antiquioribus illis institutis erat ut subditi praelatis peccata confiterentur (fere ut olim Christi fideles suis quique parochis); in privilegio autem Societatis, norma erat ut subditi sive apud praelatum sive apud confessarios ab eo designatos id praestarent.

Vides ex locis allatis (id quoque expedit obiter notare) ejusmodi regulam qua subditi superioribus peccata confitebantur, jam inde a Clemente IV (1265-1268) viguisse. Deinde vero a Gregorio XI (1370-1377) a Martino V (1417-1431) ab Eugenio IV (1431-1447) et a Sixto IV (1471-1484) regula illa confirmata est. Quem usum ut aliunde etiam illustremus, apud Cartusianos officium prioris erat «confessiones omnium sibi subditorum audire aut aliis idoneis committere»¹⁶. Nostris veo temporibus aliam vigere disciplinam, omnes norunt; sed, his cognitis, nemo jure mirabitur quod regulam suam S. Ignatius secutus sit, Paulus III aequi bonique fecerit.

5. Quamvis autem res in nostro et in aliorum diplomatis concessae frequenter eadem sint, modus tamen plerumque discrepat, quod quidem discriminem hic annotandum est. Clemens IV, caeterique pontifices qui eum sequuntur, facultates quasdam largiuntur generali et singulis provincialibus ministris et eorum vicariis ac etiam custodibus¹⁷; alias generali, provincialibus ac ipsorum vicariis¹⁸. Alias Sextus IV generali et provincialibus ministris et illorum vicariis¹⁹. Imo quasdam omnibus ordinis professoribus²⁰. Jam vero cum haec vel similia privilegia seu facultates Societati conceduntur, generalibus praepositis, ut per se vel per alios illis utantur, conceduntur²¹.

Censuit S. Ignatius²², hanc rationem, qua membra omnia ab uno capite, in usu facultatum concessarum, reguntur, ad

¹⁶ *De Disciplina Ordinis Cartusiani*, l. 3, c. 3, n. 4, p. 404.

¹⁷ *Bullarium Romanum*, III, 738, § 11.

¹⁸ Ib., 739, § 15.

¹⁹ Ib., V, 221, § 14.

²⁰ Ib., 218, § 4.

²¹ *Infra*, pp. 167, 172, 357, caet. Hanc rationem confirmavit Gregorius XIII, brevi «Decet romanum pontificem» dato die 3 Maii 1575, *Institutum I*, 56-60.

²² *Const. IX*, 3, 10.

unitatem atque efficientiam gubernandi plurimum conferre; eamdem Paulus III caeterique pontifices probaverunt, fructus confirmarunt.

At praeter haec duo genera rerum, quarum alterae fere transcriptae, alterae parum detortae ex mari magno Ordinum sive S. Francisci sive S. Dominici desumptae fuerunt, aliae sunt res in nostra bulla quas in illis non reperies; reperies autem magna saltem ex parte, in aliquo ex illis sex ordinibus dubiorum, de quibus in c. 2, a. decimo quinto disseruimus.

Ita in serie prima locum invenies de dignitatibus non petendis (p. 271, n. 12); in tertia locos de praepositi generalis facultate revocandi quandoque socios ex missionibus a summo pontifice injunctis (p. 301, n. 5); de Societatis auctoritate in ipsum praepositum (p. 303, n. 4), alia; in quarta locum de professione ubique locorum facienda (p. 332, n. 66); in quarta et sexta de collegiis erigendis (p. 329, n. 47, p. 350, n. 5). Haec omnia et alia plura de quibus Ignatius Pater modo cum secretario Polanco, modo cum sociis deliberaverat, Paulus III hac bulla plane constituit.

In historia textus manu scripti Constitutionum additamenta quaedam annotabimus, quae diplomatis hujus auctoritate codicibus ipsis adjuncta sunt.

ARTICULUS IX

DE BULLA JULII III, 1550 (Monumentum 40)

Anno 1541, ut est in monumento 9 (p. 45, n. 9), in animo nostris Patribus erat, primam Pauli III bullam, qua pontifex formulam quamdam instituti Societatis Jesu confirmarat, ita mutare, ut sibi mutanda videretur. Ut autem nemo, praeter pontificem romanum, formulam illam confirmare potuerat, sic nemo praeter ipsum eamdem immutare poterat, neque necesse erat rem omnibus compertam deliberationibus illis adjungere.

Nihil tamen obstabat quominus ipsi Societatis Patres, Ignatius praesertim, cui caeteri vices suas detulerant, quique melius quam illi naturam novi instituti callebat; ea mutanda proponerent, quae mutatione indigerent. Imo naturae ac rationi consentaneus est ille usus, secundum quem illis quorum inter-

est, hujusmodi diplomata praeparanda saepissime commendantur. Hinc simplicissima illa Polanci narratio: «Hoc ipso anno 1550 nostrum institutum hic pontifex... confirmavit, et quae declaratione aliqua indigere videbantur, juxta ipsius P. Ignatii arbitrium (qui diligenter singula prius examinaverat) declaravit»¹.

Itaque labor ille, cuius indicia sunt dubiorum ordines sex, de quibus in capite secundo, articulo quintodecimo egimus, ad pontifica diplomata praeparanda inserviebat. Multa quidem dubiorum illorum in bulla Pauli III anni 1549 soluta sunt; alia vero ipsam Societatis primam formam attingebant, quae proinde a summo pontifice aliquatenus mutanda et omnino confirmando erat. Data quidem bulla est die 21 Junii anni 1550; at Ignatius Pater Francisco Borgiae scribebat die 13 mensis ejusdem: «También S. S. ha confirmado nuestro instituto, algo más declarado en esta 3^a bulla que en las otras»².

At locus quidam est in hac bulla, qui cum responsione quadam S. Ignatii connecti et difficultatis aliquid afferre posse videtur. Est autem locus ille ubi pontifex de Constitutionibus faciendis mutandisve agit. «Qui quidem Praepositus, inquit, de consilio consociorum Constitutiones ad constructionem huius propositi nobis finis conductentes condendi, maiori suffragiorum parte semper statuendi ius habente... autoritatem habeat. Consilium vero necessario conuocandum ad condendas vel immutandas Constitutiones... intelligatur esse maior pars totius professae Societatis... quae sine magno incommodo potest a Praeposito Generali conuocari» (pp. 376-377).

Nullam pontifex distinctionem facit inter Societatem praesentem et futuram, sed apertis verbis sancit ad Constitutiones sive faciendas sive mutandas Societatem esse congregandam. S. Ignatius vero interroganti utrum ad faciendas mutandasve Constitutiones congreganda esset Societas necne, responderat negative quod ad Societatem praesentem, affirmative quod ad venturam pertinebat (p. 320).

Mutavitne in hac re sententiam Ignatius? Siquidem narrat Polancus, ut modo vidimus, a Julio III declaratum esse in hac bulla institutum juxta ipsius P. Ignatii arbitrium. In textu manu

¹ *Chron.* II, 9.

² *Monum. Ignat.* ser. 1^a, III, 77.

scripto vaticano nulla est hoc loco emendatio. Fortasse tamen non tam Ignatius quam rerum conditio mutata erat.

Nam Societas praesens quatenus a Societate in posteros distinguebatur, videntur primi socii fuisse, qui superstites erant, quando Ignatius illud responsum dedit (p. 320, not. 7); Societas in posteros proinde erat Societas futura seu socii futuri professi (nam de professis agitur) e quibus, post illos aut forte etiam cum illorum nonnullis, Societas coalesceret. Prius enim, seu anno 1548, e decem sociis primis Codurius et Faber vita functi erant, Xaverius in India, Simon in Lusitania jamdiu versabatur; anno autem 1550 professi numerabantur: Franciscus Borgia ab ipso anno 1548³; Emmanuel Miona, Joannes de Polanco, Jacobus Miron et Andreas de Oviedo ab anno 1549⁴. Patribus autem Hieronymo Nadal et Hieronymo Doménech et Andreeae Frusio ab anno 1548, mense Novembri, facultas professionem faciendi concessa erat⁵; eadem Michaeli de Torres et Francisco Estrada anno 1549 data⁶. Qui etsi serius professionem emiserunt⁷, voluntate tamen Ignatii fundatoris illis conjugendi erant, e quibus consilium ad faciendas aut mutandas Constitutiones coalesceret, praebebantque una cum remanentibus e decem primis, quamdam veluti formam Societatis non modo sese evolventis, sed quae plena ordinataque unius corporis vita fruebatur. Itaque ille rerum status, a S. Ignatio «Societatis praesentis» nomine designatus, parum aberat quin cessasset, ac proinde, ubi de Constitutionibus ageretur, alteri responsionis ignatianae parti locus esse quodammodo incipiebat, «Societatem in posteros» tum ad faciendas, tum ad mutandas Constitutiones convenire debere. Hunc ergo statum solummodo forte respicit bulla Julii III, idque eo potiori jure, quo multo magis futuram Societatem ordinabat, quam praesenti consulebat. Nam Societas praesens, auctoritate accepta a Paulo III, collataque Ignatio a reliquis sociis Constitutionum faciendarum potestate,

³ Ib., II, 113.

⁴ Chron. I, 361.

⁵ Monum. Ignat., ib., p. 255.

⁶ Ib., p. 300.

⁷ Frusius anno 1550 (Chron. II, 36), Nadal 1552 (*Epist. P. Nadal* II, 6), Estrada 1551 (Chron. II, 164), Torres 1552 (ib., 616), Domenech 1555 (ib., V, 42).

sibi satis providerat. Et quamvis Ignatius anno 1550 Romam socios non propter bullam Julii III eo ipso anno datam, convocavit, hanc enim mentem ab anno saltem 1546 habebat (v. supra, p. LXXVII); accidit tamen ut pontificis mandatis eo conventu satisficeret, edicentis ut Constitutiones a majori parte Societatis professae appobarentur.

ARTICULUS X

DE JULII III BREVI «SACRAE RELIGIONIS» 1552 (Monumentum 47)

1. Pontificium diploma ultimum Societati Jesu, agente Ignatio Patre, concessum est a Julio III die tertio Junii anni 1552. Quamquam vero diploma hoc textum Constitutionum fortasse nihil affecit, quia tamen et a S. Ignatio obtentum est, et multa neque parvi momenti emendata in textu manu scripto continet, et rem quamdam instituti Societatis circa modum agendi valde propriam notat; locum jure optimo inter Constitutionum prodromos habere debet.

Concessi diplomatis historiam Polancus in Chronico complexus est: «Concessit, inquit, hoc anno idem Pontifex Julius Societati nostrae per apostolicas litteras in forma Brevis, quod prius viva voce de absolutione ab haeresi et dispensatione circa jejunia et cibos prohibitos concesserat». Pergit deinde alia privilegia Societati concessa enumerare, illud quoque in fine: «ut infirmi ac senes professi et ad operandum in vinea Domini non idonei cum facultate Praepositi Generalis sustentari in Collegiis possent. Nec omittam, inquit, quod cum Summus Pontifex hoc ultimum, quod, suggeste P. Simone, propositum ipsi fuit, concederet, verba haec per modum joci addidit: *Non vorrei che si facessero questi padri poltroni con tal concessione*, quasi significaret parce admodum utendum hujusmodi facultate et quod non admodum libenter eam concedebat»¹.

Juvat hoc loco polancianum concessionis pontificiae parum benevolum commentarium alio Polanci ejusdem commentariolo illustrare. Afferens enim Constitutionum locum ubi de coadjutoribus dicitur «cum desierint utiles esse collegiis, desinent in eis habitare, et in domibus Societatis, ut de professis est dic-

¹ *Chron.* II, 426.

tum, habitabunt»², ita pergit: «Consideratione dignum uidetur, an professi et coadiutores, qui collegiis inseruendo senuerint uel in aegritudinem inciderint, unde utiles esse desierint collegiis, debent *[sic]* ad domos transferri, quia id ratio aequitatis non ferret, et tamen uotum de non innouanda constitutione paupertatis scrupulum posset ingerere, si aliter declararetur. Ex parte etiam breue Julii III huic incommodo occurrit»³.

2. Quod autem paulo ante diximus, notam quamdam hoc brevi contineri, quae Societatis nostrae valde propria et sit et habeatur, illud est, quod supra in mari magno animadvertisimus, pontificios favores praeposito generali concedi, cuius ope reliquis sociis communicandi sint.

Quae res cum legenti facile pateat, uno tantum loco singulari confirmando est. In ea parte quae de nostris hominibus ad gradus universitatis promovendis agit, loci erant duo in quibus rectori potestas dabatur eos doctores eligendi, qui candidatos ad gradus examinarent; uterque locus ita compositus est (emendante manu Polanci) ut potestas illa generali, deque ejusdem facultate etiam rectoribus concedatur, quos locos inter alios textui subnexos videre licet (p. 400, II. 80-83).

Denique operae pretium est, animum attendere ad multa emendata, quae in textu manu scripto apparent. Videbis profecto quanta diligentia res omnes in considerationem venerint. Nec minoris momenti est quatuor cardinalium interventus, Putei, De Carpo, Veralli et Crescentii, quorum judicia, prout ea in monumento inveniuntur, exhibemus. Adde rationem temporis; cum enim absolutum jam esset diploma mense Decembri anni 1551 (id quod ex emendatis in fine patet), mense tandem Junio anni 1552 datum est.

Ad hoc breve praeparandum spectare illud potest quod Salmeron die 6 Maji anni 1551 a summo pontifice rogarat et obtinuerat, praesente Ambrosio Catherino: «ch'al Rmo. cardinale di Carpi protettor' nostro si dia per aiuto il Rmo. cardinale Verallo, per veder' alcune gratiae *[sic]* delle quali ha bisognio la Compagnia per maggior seruigio de Dio»⁴.

² *Const.* VI, 2, 4.

³ In codice *De rebus Congr. a I ad VIII*, p. 47.

⁴ In codice *Instit.* 222, f. 297, cuius descriptionem vide suo loco.

NOTITIA CODICUM

Inter praecipuos codices quibus in hoc opere utimur, numerandi certe sunt illi, in quibus textus Constitutionum hispani et latini continentur. In hispanis autem praecipuum locum obtinent textus codicum *A, B, C, D*, quorum notitia aliqua traditur in limine operis *Constitutiones Societatis Jesu hispanae et latinae*, Matriti, 1892. Nostrum tamen esse existimavimus, pleniores ipsorum notitiam tradere. Quam prius quam damus, pauca de horum codicium nominibus et de contentis in universum, lectorem monendum opinamur.

Codices *B, C, D*, nihil aliud continent praeter Examen, Constitutiones eorumque Declarationes; igitur codex *B* e. g. idem est atque exemplum *B* Examinis, Constitutionum et Declarationum. Contra, codex *A*, praeter Constitutiones earumque Declarationes atque Examinis Declarationes (Examen ipsum non est in hoc codice), multa alia monumenta continet. Itaque loquimur non solum de exemplo *A* Constitutionum v. c. (quo dicendi modo non codicem, sed partem unam codicis designamus) sed de aliis etiam monumentis, quae in ipso codice *A* continentur, id quod in hoc volume primo saepe accidit.

Quamvis autem codicum quorumdam usus praecipuus et maximus in vol. II futurus sit; notitiam tamen jam nunc praemittere visum est omnium codicum, qui aliquo modo in volumine primo usurpantur.

A

Est codex aliquatenus descriptus, ut modo diximus, in editione matritensi Constitutionum anni 1892, p. xi. Quoniam vero anno 1926 codex refectus est ejusque monumenta alio ordine concinnata sunt, novam et accuratiorem ejusdem descriptionem damus.

Volumen olim tela serica, nunc corio subrubeo religatum, magnitudinis $0,310 \times 0,225$; in dorso aureis litteris *Codex A*. Duo folia, alterum initio, alterum in fine, habet omnino pura. Primum folium scriptum habet: « Codex A-restitutus et in ordinem redactus-anno

1926 ». Sequitur brevis annotatio circa descriptionem factam in editione Matritensi et hanc quam hic ponimus.

In folio eodem verso est Index totius codicis.

In folio 1r « Index rerum, quae continentur in hoc codice » prout dispositae erant ante annum 1926, estque hujusmodi: « Fol. 1, Determinatio Societatis. — Fol. 3, Nonnulla primorum Patrum suffragia. — Fol. 4, Determinationes variae S. P. Ignatii et quinque ex primis Patribus. — Fol. 11, De fundandis collegiis et domibus. — Fol. 16, Deliberatio plurium Patrum de quinto voto simplici professorum. — Fol. 18, Rudimenta Constitutionum et Declaracionum. — Fol. 113, Declarationes in Examen. — Fol. 115, S. P. N. Deliberatio circa paupertatem. — Fol. 117v, Observanda praeposito erga collateralem, et collaterali erga praepositum. — Fol. 119, De abdicatione bonorum quae fit in favorem Societatis. — Fol. 120, Circa dispositionem bonorum in eadem provincia consultatio. — Fol. 121, De paupertate vestium in novitiis. — Fol. 123, De mostrar muchachos. — Fol. 124, Constitutiones de vestitu et calceatu. — Fol. 127, De fundatione collegiorum et de memoria habenda fundatorum. — Fol. 134, Notitia instituti, et de collegiis patavino et veneto ad imperatorem Carolum V. — Fol. 138, Regulae scholasticorum collegii patavini. — Fol. 143, Index Constitutionum. — Fol. 145, Ceritum et duo dubia P. Joannis Polanco cum responsionibus S. P. N. Ignatii. — Fol. 157, Nonnulla primorum Patrum suffragia ».

Folio 121 et titulo De paupertate etc. addita est notatio: « Hoc fol. translatum est in codicem *E*, inter folia 116 et 117 ». Vide Proleg., c. 2, a. 12, n. 2, p. CLXIII.

Sequuntur folia 2-158 signis recentissimis notata, quibus utimur in afferendis hujus codicis monumentis. In foliis numerandis fugebat restauratorem folium unum, quod deinde notari debuit signo 99^{bis}. Subjicimus ordine suo monumenta in codice contenta.

1. FF. 2r-3v. Cf. monumentum 6, not. 1, p. 23.
2. FF. 4r-11v, et 12r-14v. Cf. monumentum 9, not. 1, p. 33.
3. FF. 15r-18v, antiquitus 8-11, et 19r-26v. Cf. monumentum 10 et 10^{bis}, not. 1, p. 48.
4. Folium simplex, f. 27, prima facie solummodo scriptum, altitudinis 0,210 tantum. Huic folio agglutinatum est folii alias fragmentum parvulum, Claudi Jaji autographum. Cf. monumenta 14 et 16, pp. 69 et 77, not. 1.
5. Fol. 28r (antiquitus ²⁰). Tria monumenta scripta manu librarii, quorum primum incipit « 4 Martii 1540 et 14 Maii 1541. Determinant infrascripti », desinit « Ignatius, Joannes Coduri, Simon

Rodorici, Alphonsus Salmeron, Claudius Jaius, Franciscus, Laynez, Paschasius Broet».

Alterum incipit « 29 Augusti 1540. Pr. Petrus Faber », desinit « suum nomen subscriptum mittit. Petrus Faber ».

Tertium incipit « 14 Januarii 1548. Ratum habent », desinit « cui se omnino submittunt. Paschasius Broet, Alfonsus Salmeron, Claudius Jaius, Jacobus Laynez ».

Fol. 28v purum est.

6. FF. 29r-33v. Cf. monumentum 24, p. 174, not. 1.

7. FF. 34r-37v. Cf. monumentum 32, p. 240, not. 1.

8. FF. 38r-39v. Deliberatio de Societatis paupertate, tota S. Ignatii manu. Cf. monumentum 17, p. 78, not. 1.

9. FF. 40r-51v (antiquitus 1-12), continent dubia centum et duo circa bullam et Constitutiones Societatis. Cf. monumentum 38^{quater}, p. 317, not. 1.

10. FF. 52r-53v. Cf. monumentum 42, p. 385, not. 1.

11. Folia sexaginta tria, 54-115 (duo folia notata sunt uno numero 99), antiquitus aliter notata, ut mox dicemus. Continent Constitutiones anni 1551.

Fol. 54r « Jhs. | N. V. | [duo signa posterius addita] Rudimenta Constitutionum et Declarationum | cum variis annotationibus marginalibus | manu S. P. N. Ignatii | adscriptis | Collecta simul et ad modum libri compacta | anno 1658 | X. 4 ».

FF. 55r-115v continent hispanum textum Constitutionum fere integrum :

ff. 55r-58v (primitus 1-4) primam partem, cui deest extrema pars capitis quarti seu ultimi, post ea verba « Sería bien que se confesase oyéndole alguno de casa », quae quidem non sunt in Autographo, sed in codice *Po. de Constit.* f. 11, n. 5. Deperdita sunt folia, quae antiquitus notabantur numeris 5-8, recentissimis enim numeris 58-59 respondent antiquissimi 4 et 9; folium certe notatum numero 5, invenitur in indice, f. 116 hujus codicis. Vide paulo inferius.

ff. 59r-62r (primitus 9-12, desunt ergo ff. 5-8 antiqua) alteram partem integrum.

ff. 63r-67v (primitus 13-17) tertiam partem integrum.

ff. 68r-78r (antiquitus 20-30, antiquius, in angulo infero 1-11) quartam partem, seu capita novem, quae habebantur antequam adderentur et illud quod nunc est septimum et capita de universitatibus.

ff. 79r-82r (antiquitus 31-34) quintam partem integrum.

ff. 83r-86v (antiquitus 35-38) sextam partem, vel potius ejus

tria prima capita tantum, quorum primum est de paupertate, alterum de rebus in quibus occupari socii non debent, tertium de obedientia.

ff. 87r-96r (antiquitus 39-48) partem septimam integrum¹. Sequitur folium 97 nonnulla quidem ad septimam patrem spectantia continens, sed tamen huc non pertinens.

ff. 98r-103v (antiquitus 50-56) octavam partem integrum. In recentissima numeratione est duplex folium 99.

ff. 104r-113v (antiquitus 52-61) integrum nonam partem.

ff. 114r-115v (antiquitus 63 et 64, perii ergo folium antiquum 62) decimam partem, praeter initium et finem. Initio desiderantur numeri 1-3 integri, et pars quarti, ante verba «para ello en vida y letras christianas»; in fine autem desiderantur numeri 12-13. In partibus nona et decima est sola notatio numerorum 52-64, pendens a falsa notatione, quam modo notavimus ad ff. 82r-91r; v. not. 1.

12. Folia duo, 116r-117v, continent indicem exemplaris Constitutionum praecedentium; desideratur index partium nonae et decimae ac Declarationum omnium. Incipit «+ Indice de las Constitutiones», desinit «f. 55. 56. c. 9º». Numeri foliorum semper antiquissimi notantur praeter quartam partem, in qua notantur numeri 20-30.

13. Folia viginti sex, 118-143, quibus Declarationes Constitutionum continentur.

ff. 118r-122r (antiquitus 1-5) Declarationes partis primae, in quibus sunt etiam Declarationes quaedam examinis (ff. 3v-5r antiquis).

ff. 123r-126v (antiquitus 5-8, antiquius 7-10) Declarationes partis secundae.

ff. 127r-130v (antiquitus 11-14) Declarationes partis tertiae.

ff. 131r-135v (antiquitus, supra 15-19; antiquius infra 1-5, signis utrisque integris) Declarationes quartae partis.

f. 136r (antiquitus 21) Declarationes quintae partis.

ff. 136v-137v (antiquitus 21v-22r) Declarationes partis sextae.

f. 138r continet Declarationes tres partis sextae, quae huc non spectant, cum capite primo agat de obedientia, altero de pauper-

¹ Praeter hanc antiquiore foliorum notationem, est alia, etiam antiqua, sed plane vitiosa, cuius vitii argumentum est in foliis 88, 89, 90; notatio prima folii 88 fuit 40, secunda 36; notatio prima folii 89 fuit 41, secunda non est; notatio prima folii 90 fuit 42, secunda 37. Nempe ante ultimam codicis refectionem folium 41 erat extra suum locum, inter folia 94 et 95. Itaque numeri 36-37 et caeteri qui ex his pendent, scripti sunt quando folium 89 seu 41 extra locum erat, negligi proinde possunt.

tate, res vero in exemplo *A* aliter se habeat. Facies recta solum scripta, eaque tota manu Polanci.

ff. 139r-140v (triplex numerorum series antiqua, manet ultima 21-22, prius fuerunt 23-24 et 24-25) Declarationes partis septimae.

f. 141r et v (antiquitus 25) Declarationes partis octavae.

ff. 142r-143r (antiquitus 24-25) Declarationes partis nonae.

14. Observata in textum Examinis et Constitutionum anni 1551.

Cf. monumentum 46, p. 390, not. 1.

15. Declarationes in Examen, folia bina, 146r-147v, antea 24-25.

16. De suorum bonorum dispositione in favorem Societatis, duo folia 148r-149v. Cf. monumentum 34, p. 247, not. 1.

17. Fol. 150r et v. Cf. monumentum 43, p. 386. not. 1.

18. Exemplum aliud quintae partis Constitutionum, ff. 151r-154v. Scriptum est manu librarii (Joannis Philippi Viti?) continetque multa addita et observata scripta a Polanco.

19. FF. 155v-156r. Cf. monumentum 44, p. 387, not. 1.

20. FF. 157-158. antiquitus notata numeris 211 et 244 obliterratis et 84 integro. Cf. monumentum 48, p. 404, not. 1.

B

Est volumen magnitudinis 0,275 × 0,225, religatum serica tela rubra, nulla externa inscriptione notatum, protectum bursa serica caerulea, quae ornatur in fronte monogrammate nominis Jesu, radiis circumdato; a tergo binis litteris *S* et *I* in modum litterae *X* decussatis; his omnibus aureo filo contextis.

Communi nomine vocatur etiam a nobis Autographum, de quo titulo vide historiam textus hispani in *Prolegomenis* vol. II. Continet Examen cum ejusdem Declarationibus, et Constitutiones earumque Declarationes, omnia hispane.

Habet folia duo pura, alterum initio, alterum in fine. Sequuntur initio duo folia, signis romanis recens appositis, quorum foliorum facies versae purae sunt; folium primum rectum continet titulum hujusmodi; «IHS | Hic liber Examinis, Constitutionum et Declarationum | S. PATRIS. NOSTRI. IGNATII. | Est Autographum seu Originale Exemplar, | de quo mentionem faciunt, | Congregatio I Generalis in Decretis 53 et 78. | Congregatio III in Decretis 26 et 34. | Congregatio IV in Decretis 8, 33 et 50. | Congregatio V in Decretis 61 et 76. | Et quem | P. Claudius Aquauia anno 1588. 1^a Januarii | in Literis ad Prouinciam Baeticam uocat Autographum recognitum ab ipso P. IGNATIO | eiusque manu multis in margine postillis | emendatum».

Inscriptio haec aureis quadris continetur.

In f. II recto legimus: «Exemplum litterarum patentium P. Claudii ad prouinciam baeticam de auctoritate Declarationum in Constitutiones S. P. Nostri». Has litteras Claudii Aquavivae habes in editione phototypica textus hispani Constitutionum, pag. ix.

Sequuntur folia antiqua 150, omnia recens una numerorum serie notata.

Primum folium exhibit titulum «Examen», caetera purum est, praeter unum verbum incipiens littera g (nec tamen est verbum *general*) ita cancellatum, ut legi nequeat.

FF. 2r-27v (antiquitus 1-25 infra, 1-26 supra) continent textum Examinis scriptum unius librarii manu, multa Polanci, nonnulla Ignatii Patris vel addita vel emendata exhibens. Causa diversae enumerationis antiquae est folium 9, quod additum est postquam alia folia scripta et infra notata numeris erant; itaque duplex est folium notatum infra numero 8, quorum alterum supra notatur numero 9. Hoc autem additamentum factum est, dum etiamtum in vivis esset Ignatius Pater, cujus manu scripta est in eo ipso folio addito annotatio quaedam. Imo additum est hoc folium ante annum 1551; nam notatur a Salmerone in Observatis Patrum (v. monumentum 46); et folia sequentia 12, 13 caet. notantur secundum numeros antiquos anguli summi dextri, qui a folio addito pendent. Unae et alterae numerorum notae unius manus esse videntur.

Sequuntur folia quatuor, 28-31, quorum tria priora notata sunt antiquis numeris 1-3, ultimum purum est. Sunt magnitudinis 0, 225 × 0, 160, cum caetera folia attingant 0, 295 × 0, 210, unde co-njicies codicillum hunc serius caeteris foliis insertum esse. Continent Declarationes in Examen, scriptas manu librarii, emendatas manu Polanci.

Folia 32r-33r continent aliud exemplar Declarationum earumdem, nitide scriptum a librario diverso, ut videtur, ab eo qui examen scripsit. Nullis antiquis numerorum notis signantur.

Foliis 34r-98v sunt Constitutiones a compluribus librariis, nobis adhuc ignotis, nisi forte quaedam sint Joannis Philippi Viti.

Folia 34r-59r, quae continent partes Constitutionum primam, secundam, tertiam et capita decem priora partis quartae, notata sunt signis numerorum antiquis 1-26, in quibus folia 15-16 (nunc 48-49) sunt pura. Has numerorum notas antiquas ille idem scripsisse videtur, qui notas numerorum in Examine exaravit.

Folia 60-64, quibus habentur capita 11-17 quartae partis (de universitatibus) nullis antiquis numeris signantur.

Sequuntur folia duo pura 65 et 66, in quibus nullum antiqui

numeri signum est. In angulo dextro folii 65r est littera R; simili loco folii 66v «Quarta [Quinta prius] pars».

Folia 66-96, continentia partes reliquas, a quinta ad initium decimae, notata sunt antiquis numeris 28-56, praeter folia notata nunc numeris 94-95, quae pura sunt nec numeros ullos antiquos habent. Et folia quidem ubi sunt partes quinta, sexta, septima et octava, manus eadem notasse videtur quae priora notavit; a parte nona manus alia incipit. Folium 56 est primum partis decimae, cuius duo postrema nullo numero antiquo notata sunt.

Unde hoc exemplum Constitutionum, praeter capita illa quae diximus de universitatibus, jam inde ab antiquis temporibus unum codicem, nisi fallimur, efficiebat. Quare de Constitutionibus intelligendum non videtur quod de toto codice *B* ait *Matr.* (p. xii) fuisse primo compactum anno 1657.

Imo hoc exemplar Constitutionum (non loquimur nunc de toto codice *B*) jam tempore S. Ignatii aut non multo post, saltem ante primam congregationem generalem, in codicem unum coagmentatum esse, verisimillimum est. Etenim prima pars absolvitur folio quinto recto (utimur hic signis numerorum antiquis) altera incipit folio eodem verso; haec fere desinit infimo folio octavo verso, atque hinc incipit pars tertia, cuius tantum titulus cum titulo primi capituli in hac pagina locum invenit. Sunt autem hae tres partes conscriptae in foliis 1-14, quorum decem prima unum denionem efficiunt, notatum initio littera A, manu ipsius librarii qui hanc partem exaravit; et quatuor autem foliis, 11-14, duo, 11-12, duennionem plene scriptum conflant, duo, 13-14, ad quaternionem pertinent, cuius duo folia scripta, duo vero (notata numeris 15-16) pura sunt. Quamvis autem res ita se habeat, notantur tamen sex folia haec initio, littera b, manu ejusdem librarii, quasi alter sexternio. Tres itaque primae partes ita scriptae in hoc codice sunt, ut et nulla a caeteris integra separari queat, et eo ipso ordine scriberentur, quo scriptae apparent, nempe pars tertia post secundam, secunda post primam, id quod manus librariorum confirmat. Primus enim scripsit prooemium et capita tria partis primae, alter incepit a capite quarto in medio folio 37r (antiquitus 4r) perrexitque usque ad finem partis tertiae. Huic adjungitur tertius ternio, notatus littera C, quartam partem continens, quae incipit a folio 17r, desinit in folio 28r. A folio 29r incipit pars quinta et ternio D; a folio 33r sexta pars et ternio e; a folio 39r pars septima et ternio f; a folio 43r pars octava et ternio G; a folio 49r pars nona et ternio h; a folio 56r pars decima et ternio i.

Sunt itaque in ipsis Constitutionibus (omissis nunc Examine et

Declarationibus omnibus) quaterniones (cuadernillos hispani vocant) complures, qui omnes una serie numerorum in angulo dextro superno notantur. Et singulae quidem partes (de quarta et sequentibus loquimur) a facie folii recta ordiuntur, praecedente uno pluribusve foliis puris; unde septem hae partes ultimae potuissent singulae separari, nec proinde necesse fuit aliam post aliam transcribi, id quod accidit primis tribus partibus. Illud certum est, in primis quinque partibus nullum esse, nisi nos oculi fefellerunt, vestigium calami ignatiani; certa vero esse in parte sexta, ff. 73r-74r (antea 35r-36r), plura in septima, ff. 78r-79r (antiquitus 40r-41r), plura in octava, ff. 82v, 83r, 84r, 85r (antea 44v, 45r, 46r, 47r); nulla in nona et decima. Hoc ergo nomine non constat has partes, in unum codicem compactas vivente Ignatio fuisse. Sunt tamen indicia quaedam unde illud probabiliter concludamus. Etenim Polancus dicit exemplum illud Constitutionum, quod *C*appellamus, ex aphtographo P. Ignatii exscriptum esse; exscriptum est autem ex hoc exemplo *B*; unde hoc exemplum *B* vocatur a Polanco aphtographum P. Ignatii; videtur indicare jam tum aliiquid unum effecisse.

Simili modo congregatio prima loquitur de «exemplari originali P. N. Ignatii» (decr. 15). Iterum decr. 53, 61 caet. Imo in decr. 72 loquitur de Constitutionibus vel ordinationibus quae repertae sunt «extra corpus libri Constitutionum». Hoc corpore libri Constitutionum videtur exemplum *B* significari. Itaque saltem ante ipsam congregationem in unum corpus seu codicem compactum fuisse opinamur. Idem probabiliter colligimus ex collatis notis numerorum Examinis et Constitutionum; cum enim Examinis numeri citentur in observatis Patrum anni 1551 (v. monumentum 46) et una manus numeros in Constitutionibus et in Examine posuerit, verisimile est, non multo post quam Examen in unum compactum erat, compactas quoque fuisse has omnes Constitutionum partes.

Post Constitutiones sequuntur in codice Declarationes, ff. 100r-149v, antiquitus vero 1-44 tantum. Nempe inter folia 14 et 15 interjectum est folium sine numero antiquo, quod recentius notatum est numero 114; inter folia 18 et 19 inserta sunt folia quatuor, continentia Declarationes de universitatibus, antiquis nullis, recentioribus numeris 119-122 notata; denique inter folia 40 et 41 est folium purum, recentius notatum numero 145.

Manus qua hae notae antique scriptae sunt, eadem illa videtur esse, quae folia Constitutionum numeris distinxit. Nullus quaternio notatus est.

Declarationes trium capitum primorum primae partis scripsit manus eadem quae capita haec Constitutionum scripserat. Similiter

una manus quae caput quartum primae partis et integras partes secundam et tertiam exaravit, videtur scripsisse quoque Declarationes illi capiti quarto et his partibus respondentes, exceptis forte Declarationibus partis tertiae ultimis, ac certe quibusdam additis manu Polanci.

Una manus Declarationes partis quartae scripsit exceptis Declarationibus capitinis septimi, quas omnes Polancus addidit, et Declarationibus Constitutionum de universitatibus, quas manus eadem quae Constitutiones, scripsit. Eadem illa manus prima Declarationes exscripsit partium sextae, septimae et octavae, fortasse etiam quintae, mutato solum calamo; Declarationes denique partium nonae ac decimae manus illa quae partem decimam, non nonam, conscripsit. Sunt etiam in parte nona multa addita manu Polanci, in parte decima declaratio A scripta manu, ut videtur, Joannis Philippi Viti.

S. Ignatii manu exarata sunt: in Declarationibus partis quintae unum, plura in sextae, non pauca in septimae, multo plura in octavae.

Has Declarationes fuisse initio a Constitutionibus sejunctas antiqua numerorum signa testantur, eademque indicant in unum codicem fuisse coagmentatas, cui Declarationes circa universitates insertae sunt.

Declarationes partium quatuor priorum ita inter se excipiunt, ut excipi diximus inter se tres partes Constitutionum primas, unde nulla ab alia posset integra separari; contra reliquarum senarum partium singulae a facie recta incipiunt, praecedentibus etiam uno vel pluribus foliis puris, exceptis iterum Declarationibus decimae partis, quae a tergo scriptae sunt folii 149, nulla intercapidine post Declarationes nonae partis relicta.

Indicia quibus probabiliter opinemur, etiam Declarationes in unum codicem tempore Ignatii Patris conjunctas esse, eadem sunt, quae de Constitutionibus diximus: testimonium Polanci in exemplo C; modus loquendi a prima congregatione usurpatus, quae non aliter de Declarationibus, quam de Constitutionibus loquitur, unde, nisi alia obstarent, videri posset utrasque unum codicem effecisse; denique notae numerorum antiquae.

De Ntro. B. P.

Est codex religatus pergamena, magnitudinis 0,212 × 0,258. Habet folia 22 notis numerorum signata, duo non signata, alterum initio alterum in fine; ultimum est purum. In primo, facie recta,

est inscriptio «De Nro. B. P. Ignacio acerca de la pobreça de la Comp^a», cui addita sunt deinde «y otras bisites *[sic]* de Nro. Sr. J.»

Est apographum (saeculi XVI exeuntis, vel XVII ineuntis) Ephemeridis S. Ignatii, praemissa brevi nota historica. FF. 16v-17v inserta deliberatio de paupertate (monumentum 17).

De rebus congr. I ad VIII

V. *Epist. P. Nadal IV*, 10, ubi est error, VII pro VIII.

E

Volumen magnitudinis 0, 230 × 0, 155, dorso coriacio cum inscriptione «Deliberat. | primor. Patrum | cod. cartac.» Monumenta sunt magnitudinis fere 0, 225 × 0, 150.

Folia recentissime notis numerorum notata sunt una serie 1-159. Sine numeris duo sunt folia pura, alterum initio, alterum in fine.

In f. 1r est scriptus a P. Josepho Boero (1814-1884) «Index rerum quae continentur in hoc volumine : N. I. Determinationes de Societate instituenda scriptae a P. Petro Fabro cum subscriptionibus originalibus S. P. Ignatii et sex sociorum. — N. II. Deliberatio primorum Patrum de constituenda Societate et de obedientia praestanda uni eorum eligendo. (Videtur scripta a P. Joanne Codurio). — N. III. Capita quaedam instituti Societatis inter primos Patres proposita, examinata et deliberata. (Non pauca inveniuntur scripta manu S. P. Ignatii). — N. IV. Examen Jacobi Morelli et Petri Fabri pro eorum admissione in Societatem. — N. V. Exemplar antiquum summarii Constitutionum. — N. VI. Ordinationes et regulae quaedam communes tempore S. P. N. Ignatii. — N. VII. Regulæ pro scholasticis bononiensibus datae a S. P. N.»

1. Fol. 2r «N. I. Anno 1539, die 4 Maji. Determinationes de Societate instituenda scriptae a P. Petro Fabro cum subscriptionibus S. P. N. Ignatii et Claudiī Iaīi, Codurii, Salmeronis, Fabri, Laynez et Caçres.» manu P. Boero.

FF. 3r-9v. Cf. monumentum 3, not. 1, p. 3.

FF. 7v, 8r pura ; f. 8v habet hunc titulum manu ignota scriptum : «Conclusiones factae a septem /2 vv. superaddita alia manu, ab octo 11e./ nemine discrepante», quibus addidit P. Sotuellus «manu P. Petri Fabri conscriptae 1539, 4 Maji». Deinde signum archivi : «A. VII. 2», 3 11e.

Folium 9, quod ultimum est antiqui codicilli, deperditum valde, retinet in facie versa inscriptionem seu titulum manu Ignatii Patris

appositum : «Determinationes Societatis», cui Sotuellus supposuit : «+ Manus S. P. N.»; signum + praepossum etiam est manu Sotuelli verbis S. Ignatii. Adscripsit quoque notationem Sotuellus : «Exemplum hujus scripti est in libro P. Natalis A, in capsula XXXI». Denique alias : «Determinationes Societatis anno 1539».

Fol. 10, recens et purum, cum f. 1, monumentum involvit.

2. Folia 11 et 18 nova sunt ac monumentum involvunt. In f. 11r legimus scriptum manu P. Boero : «N. II. Anno 1539. De-liberatio primorum Patrum ante quam dispergerentur in diversa loca de constituenda congregatione seu Societate et obedientia praestanda uni ex ipsis eligendo». In f. 18r est titulus monumenti tertii de quo postea.

FF. 12r-17v. Cf. monumentum 1, not. 1, p. 1.

3. Etsi folium 18, ut diximus, pertinet ad codicillum secundum, exhibet tamen titulum scriptum a P. Boero : «N. III. Anno 1549, Declarationes quaedam circa Constitutiones S. J. inter primos Patres propositae, examinatae et approbatae cum adnotationibus S. P. N. Ignatii». Titulum retulit P. Boero ad monumenta quatuor, quae nos distinximus in Constituta et annotata (monumentum 28-28^{ter}) et Declarationes in Examen (monumentum 35).

Fol. 19r continet titulum scriptum bis terve manu S. P. Ignatii : «Nuevas y antiguas. Determinaciones para transladar antiguas y después nuevas»; haec cancellata sunt. Deinde quadro inclusa et integra : «7. Determinaciones antiguas y nuevas» quibus addidit Sotuellus intra quadrum : «Manu propria S. P. N. Ignatii»; extra quadrum «Scripta sunt haec viuente adhuc P. Petro Codacio, de quo fit mentio numero 15, qui mortuus est anno 1549». Sequitur signum archivi antiquum : «A. VII. 7».

Folia 10-27 unum codicillum efficiunt nullis notatum numeris antiquis ; ff. 22-27 pura sunt. Folium 19 totum agglutinatum est alii folio recentiori ; utrum ab initio huic indici, an potius ipsi monumento «Determinationes antiguas», definire non possumus.

Folia 28 et 29, quae pura sunt, una cum foliis 52 et 53, etiam puris, amplectuntur codicillum, quo proprie continetur monumentum tertium, quod incipit f. 30r (antiquitus 1) manu S. Ignatii : «Determinationes antiguas»; desinit f. 38r (antiquitus 9) «a mayor alabança [alabanca ms.] y gloria de la su diuina magestad» manu librarii, «afirmatiue» manu S. Ignatii.

Folia 30-52 notata sunt numeris antiquis 1-23 ; tum interpositis tribus foliis, 53-55, chartae asperioris, duo sequuntur, 56-57, notata numeris 25-26 chartae politioris, ut erat illa cujus folia notata sunt numeris 1-23, quibuscum tamen unum codicillum non efficiunt,

sed sunt folia simplicia, quorum alterae partes resectae etiam nunc initia notationum exhibent, quae certe scripserat S. P. Ignatius. Dicimus esse initia notationum, quia optime haec quinque apparent: «ad»; «ad 16^m»; «ad 17^m»; «ad»; «ad 2». Quandonam haec resecta sint, prorsus ignoramus. Etiam folia 54-55 resecta sunt, et in f. 54 quidem nullibi vestigium scripti alicujus appetit; ast in f. 55, est antiqua series numerorum 1-10 in margine resecto, praeterea nihil. Cf. monumentum 28^{ter}, p. 209, not. 1.

4. Folium 58 purum est, unaque cum f. 74, puro quoque, involvit monumentum quartum. Hoc incepit f. 59r (antiquitus 1), desinit f. 68v (antiquitus 10). Cf. monumentum 28^{bis}, p. 196, not. 1.

Folia 63v, 66v, integra folia 69-72 et 73r pura sunt; fol. 73v continet titulum: «6 vel G Capita quaedam instituti inter primos Patres proposita, examinata et rejecta aut approbata» scriptum manu ignota.

In fol. 68v, finito monumento, est computatio quaedam: 125, ju 9, b 5 (scuti, julii, baiocchi), huc non pertinens.

5. FF. 75r-101v. Cf. monumentum 28, p. 186, not. 1.

6. Folia 102 et 118 sunt duplex folium purum, quod monumentum sextum hujus codicis continet. Caetera folia sexdecim, 103-117 (in his 116^{bis}) notata numeris antiquis 1-16 in dextro angulo summo; ex his folia 104, 106-112 (antiquitus 2, 4-10) notata sunt praeterea numeris 1-8 in angulo dextro infimo, qui numeri scripti videntur manu S. Ignatii (simili modo ac loco notati sunt codices Ephemeridis et Exercitiorum). Folia tamen 103 et 105 ad ignatianam certe aetatem pertinent, cum illud manu Ferronii, hoc partim manu Ignatii exaratum sit.

Pura sunt folia 103v, 105v, 110v, 111-112, 116v, 117-118. In f. 117v est antiqua notatio «X [IX pr.] 2». Cf. monumentum 35, p. 248, not. 1.

7. Monumentum septimum examina continet duorum Societatis candidatorum, Jacobi Morelli et Petri Fabri de Hallis, illud in f. 120r, hoc in f. 121r et v. Sunt utriusque autographa, quantum conjicere licet, praeter ultimos versus examinis Petri Fabri, qui sunt Hieronymi Domenech. Involvuntur dupli folio; quorum primum hunc titulum manu P. Boero exhibit: «Examen Jacobi Morelli et Petri Fabri pro eorum admissione in Societatem». Extremum folium continet titulum monumenti sequentis.

8. Est autem titulus ejusmodi: «N. V. Exemplar antiquum summarii Constitutionum». Sequuntur quaterniones duo juxtapositi, quorum folia prima undecim, 123-133, scripta sunt, quinque reliqua pura, praeter ultimum, quod in facie versa notationem habet

archivi: «IX. 8». Paginae rectae, tam scriptae quam purae, ornatae sunt simplici quadro ad inscripta excipienda. Titulus in f. 123r scriptus est manu Polanci: «Sumario d'alcuna parte delle Constitutioni, cioè quelle che tocano alli particolari della Compagnia». Ut titulus sic summarium, quod sequitur, italicum est. Incipit in f. 123r «La somma sapientia et bontà»; desinit in f. 133v «tutti tengano quel riguardo che conuiene per quanto la ragione l'obliga et la charità. Laus Deo». Scriptum est ignoti librarii; emendatum locis compluribus manu Polanci. Distinctae sunt paragraphi, nullis tamen notis numerorum signatae.

9. Folium duplex signatum numeris 139 et 154, complectitur monumenta tria quae P. Boero complexus est sub titulo scripto in f. 139r: «N. VI. Ordinationes antiquae S. P. N. Ignatii». Primo monumento titulus est: «Ordine del nostro Padre Maestro Ignatio» et continetur duernione, in foliis 140r-141r. Incipit, post titulum: «Ogni rettore, ogni ministro»; desinit «uerso gli altri che più ne hanno bisogno». Quibus addidit Nadal: «et non essercitarà nullo ministro o maestro di nouitii [5 vv. add. marg.] senza expressa licentia del suo superiore, et questo lo farà con molta consideratione». In f. 141v alia manu: «+ Ordine di nostro Padre Maestro Ignacio»; et alia manu: «IHS. Está en romançé». Alia manu «18».

Alterum monumentum continetur sex foliis, 142r-147v, unius sexternionis. Initio habet «Pag. 15» et notam Sotuelli «tempore S. P. /1 v. add. alia manu/ Ignatii, infra pag. 12». Huic titulus est «Regole comuni a tutti quelli di casa». Incipit f. 142r: «Alcune spetialmente sono ordinate»; desinit f. 147v «Dirà, Padre, il tal sta quà».

Tertium est in duobus foliis, 148v-149r, sexternionis ejusdem; titulum habet: «Regola di casa»; incipit «Niun sacerdote vadi a casa doue sia donna»; desinit «senza consultare similmente col superiore».

Sequuntur folia quatuor, 150-153, pura; in f. 153v est signum «IX. 5».

10. Folium 154r, etsi, ut diximus, involvit tria monumenta, continet in facie recta titulum sequentis a P. Boero exaratum: «N. VII. Regulae scholasticorum bononiensium». Cf. monumentum 36, p. 258, not. 1.

Ephemeris S. P. Ignatii

1. Est volumen magnitudinis 0,310 × 0,230; folia vero autographa 0,295 × 0,222, translationis italicae 0,275 × 0,227. Codex est splendide compactus filis argenteis ac tela serica argentoque contexta. Ejusmodi ornatum faciendum curavit cardinalis Alvarus.

Cienfuegos S. J., id quod in foliolo huic codici apposito sic enarratur: «A dì 19 Agosto 1724 per consenso di nostro Padre si prestò per mezzo del P. Bonucci all'eminentissimo Cienfuegos il libro in cui il Santo Nostro Padre di mano propria registrò molte rieulationi hauute, hauendo S. E. desiderato e chiesto di uederlo. Al principio di decembre S. E. lo restituì coll'aggiunta della presente pretiosa coperta ». Hic ornatus in refectione codicis nuperrima integer conservatus est.

Duo folia, alterum initio, alterum in fine, pura sunt, nec numeris notata.

Ephemeris S. Ignatii in partes duas divisa est: prima continetur foliis quatuordecim, quae notata sunt numeris 2-15 (antiquitus 1-13, folium 15 non notatur antiquo numero); altera foliis duodecim, quae notantur numeris 16-27 (antiquitus 1-8, foliis quatuor ultimis sine numero antiquo).

Fol. 1r habet inscriptionem hujusmodi: «Jhs | Autographum Ephemeridis | Sti. P. N. Ignatii | in quam referebat interna mentis sensa | dum Constitutiones conderet. | Compactum simul cum versione italica | anno 1658 | VIII. 15», scriptam manu Sotuelli.

Sequuntur folia 2-15, quorum tredecim scripta sunt et notata etiam manu S. Ignatii numeris 1-13; folium 15 est purum. Folia duo, 2-3 (antiquitus 1-2), sunt unum folium duplex seu duernio; reliqua, 4-15, (antiquitus 1-13 et [14]) sunt sexternio. Folia haec quatuordecim continent sensa dierum quadraginta, a die 2 Februarii ad 12 Martii 1544, utroque die connumerato. Folia 2-9r incipiunt signo crucis (+).

Sequuntur folia 16-28, quorum duodecim, 16-27, scripta omnia sunt; fol. 28 purum est, praeter faciem versam in qua manus antiqua sed ignota scripsit: «Consolaciones y visitas spirituales de N. Sto. Pe. Ignatio». Ex loco et ratione qua notatio haec scripta est, conjicimus illam esse antiquorem inscriptione P. Sotuelli. Folia a S. Patre scripta 16-27, sexternio sunt; folium 28 videtur additum fuisse, probabiliter tanquam involucrum Ephemeridis, prius quam a Sotuello in formam codicis colligarentur. Hae notationes ad dies trecentos nonaginta duos pertinent, seu a die 2 februarii 1544 ad 27 Februarii 1545, utroque die computato².

Folia 29-44 (nulli sunt numeri antiqui) continent translationem italicam partis primae Ephemeridis, quam transcripsit librarius

² Matr. scribit, in parte Ephemeridis altera contineri «notas dierum undecim et trecentorum» (p. 349, annot. a, et p. 363 post ultimum textum). Qua ratione hos dies editor computaverit, non reperimus.

aliquis, fecit vero Joannes Visetus, clericus leodiensis, id quod ipse in fine, f. 41v, testatur his verbis: «Et perchè io Giouanni Viseto, chierico leodiense, le cose sopradette et scritte ho tradotto et interpretato di lingua spagnola in italiano fedelmente, per ciò in fede mi sonno sottoscritto et l'apostille per essere tralasciate dal scrittore ho aggionto di mano propria».

Folia 42-44 pura sunt; haec una cum praecedentibus 29-41, efficiunt unum codicillum sexdecim foliorum. In f. 44v notatio est: «Ho dati li originali al archiuio nostro, doue stanno» manu antiqua et ignota.

Translatio italica secundae partis est in ff. 45-56 (antiquitus 1-12) scriptoris et auctoris eorumdem. Testimonium Viseti in f. 56r est hujusmodi: «Et perchè io Giouanni Viseto, chierico leodiense, le cose predette et scritte ho tradotto et interpretato di lingua spagnuola in italiano fedelmente, per ciò in fede mi sono sottoscritto et li numeri corretti ho corretto et emendato per esser errore del scrittore».

Est haec altera pars unus codicillus foliorum duodecim.

Sequuntur duo foliola, quorum alterum historiam compositi eleganter libri enarrat, quam supra exscripsimus; alterum lacerum est, neque forte hoc pertinens, continet duas notationes; prima est: «N. 6. Plures numeri ex eodem 2º quinterno orationis 22. 23. 24. 25. 27 30. 31. 32: 33:». Alteri aliquid deesse videtur (ex lacerata charta) ait enim: «fuit orationis instator, amator, loquentes».

2. Ephemeridis folium singulare. Invenitur in codice quodam bibliothecae olim regiae matritensis. Codex est magnitudinis $0,300 \times 0,225$, pelle religatus, aurato ornatus; in dorso: «Cartas | de | Jesuitas»; folia habet fere 75, partim notata, partim non notata numeris. Intra codicem schedula est hujusmodi: «n. 692 | Cartas de Jesuitas | Manuscrito que contiene varias de San Ignacio | de Loyola, cuyas firmas han sido cortadas. | Tomos en folio pasta | Sala 2ª | Est. let. E | Plúteo 4º». Pleniorum codicis descriptionem habes in *Monum. Xaver.* I, xv-xvii.

Folium Ephemeridis S. Ignatii est vigesimum secundum in codice, magnitudinis $0,295 \times 0,210$, longitudinis ergo ejusdem ac folia Ephemeridis codicis nostri, amplitudinis paulo minoris. Nullum est dubium quin folium hoc, utraque facie scriptum, holographum sit S. P. Ignatii, id quod et nosmetipsi oculis nostris vidi-
mus, et testimonium ipsi folio adjunctum, fidem facit. Hocce testi-
monium ita sonat: «Este papel es un traslado bien y fielmente
sacado de otro medio pliego de papel escrito todo de mano de
nuestro P. Ignacio de Loyola (la qual mano yo conozco) el qual

papel estaua en el collegio de la Compañía de Alcalá, y paresce ser parte de un quaderno en que nuestro Padre escreuía las uisitaciones de nuestro Señor al tiempo que hazía las Constituciones, del qual se haze mención en su uida, y por ser esto uerdad, lo firmé de mi nombre. — En Madrid, 23 de Febrero 1596. Pedro de Ribadeneyra. — Juan Garzía. — García de Alarcón. — Bartolomé Pérez. — Francisco Antonio. — Francisco de Porres».

Sunt sex Patres, non septem, ut ex errore affirmat prima notatio (post nomen *Christoual de Castro*) in *Monum. Xaver.* I, xxvi; suspicamur numerasse notatorem duos pro uno García de Alarcón, cuius nomen duobus versibus distribuitur.

Epp. Ext. 7, I (olim *Epist. cardin.*)

V. *Monum. Ignat.* ser. 1^a, I, 45.

Epp. NN. 48

Est volumen religatum, dorso et angulis ex pergamina, magnitudinis $0,300 \times 0,205$. In dorso: «Epp. NN. 48 | Epist. Gen. | ad diversos | 1737 | 1750. | VIII». Constat quatuor fasciculis inaequalis magnitudinis: ff. 01,02 et 1-137a. $0,260 \times 0,185$; ff. 137c-286. $0,300 \times 0,220$; ff. 287-289. $0,230 \times 0,170$; ff. 289a-372b. $0,280 \times 0,200$.

Epp. NN. 98

Est volumen religatum tela nigra cum dorso et angulis e pergamina, magnitudinis $0,322 \times 0,233$. Singula folia sunt inaequalis magnitudinis. Constat ff. 138.

Historica de Soc. Iesu

V. *Monum. Ignat.* ser. 1^a, I, 37.

Hist. Soc. 32

Est volumen religatum, dorso et angulis ex pergamina, magnitudinis $0,210 \times 0,228$. In dorso «Hist. Soc. 32 | Vota, prof. et coadjutorum. 1541-1572». Constat ff. 83 recens notatis numerorum signis.

Continet quae indicantur in dorso, catalogos professorum et coadjutorum Societatis Jesu, ab anno 1541 ad 1572.

Hist. Soc. 147

Est volumen religatum, totum e pergamina, magnitudinis $0,425 \times 0,278$. In dorso: «Hist. Soc. 147 | Professi | 4 | voto-

rum | 1541-1705». Constat ff. 224 recens notatis numerorum signis.

Continet indicata in dorso, Societatis professos quatuor votorum ab anno 1541 ad 1705.

Instit. 7

Est codex recens compactus, antiquitus tamen e codicillis plurimis jam scriptis conflatus, magnitudinis $0,305 \times 0,240$. In dorso inscriptiones: «Instit. 7 | Adumbratio | Constitutionum». Omnia in hoc codice sunt hispane scripta, nisi aliud monebimus.

Praeter duo folia recentissima, pura nec signata numeris, alterum initio, alterum in fine, habet folia 176, signis recentibus notata: quibusdam locis sunt etiam signa antiqua, prout dicemus.

FF. 1r-18v et 23r-91r, antea 1-36 (notae eaedem antiquae ac recentes, exceptis foliis 19-22, quae numeris antiquis carent, etsi numerari debuerunt, quando folium 23 hac nota signatum est) et 39-93, continent exemplum Constitutionum antiquum, quod vocamus *a*. Folia tertiae partis notata fuerunt prius numeris 1-10.

Folia scripta manu Polanci: 1r-4v (circa medium folium incipit librarius I), 13^a-14v (circa medium redit scriba I); 23r-36v (37-40 scriba I); 41r-46r (46v-48r scriba II); 48v-49v (50r et v scriba I); 50v-51r (f. 51r medio 53v scriba I); 54r-55r (55v-56v scriba III); 57r-60r (excepta formula votorum simplicium post biennium nuncupandorum in f. 59v, scripta a librario II; f. 61r et v scriba III; ff. 61v-62r «Por evitar... si no fuese ad tempus» scriba II; ff. 62r a verbis «por algunas necesidades» - 64r scriba I; ff. 65r- 67v scriba IV); 67v-68r (f. 69r et v scriba IV); 70-91 (exceptis paucis in f. 70r et v, scriptis a librario II «Mírese... fundada en mentiras»).

FF. 19r-22r exemplum primae partis Constitutionum hic non pertinens, quia multo magis quam praecedentia et sequentia ad *Autographum* accedit, manu Polanci. Vide *Proleg.* vol. II.

Folia 65r-69r (antea 67-71) pertinentia ad partem septimam, antiquitus jam male composita sunt, ut ostendunt numeri 67-71; hi enim respondent antiquioribus 6, 1, 2, 3, 5 (antiqua nota 4 non adest), quem antiquorem ordinem res ipsae postulant: a folio enim 1 incipit caput primum Constitutionum de missionibus; folia 5 et 6 continent harum Constitutionum Declarationes, quae deinde factae sunt caput secundum Constitutionum.

FF. 92r-116v et 120r-126v sunt Declarationes Constitutionum, quae fere nunquam sunt Declarationes textus Constitutionum praecedentis, saepe etiam ordine praepostero congestae. FF. 92r-93v, 120r et v. continent Declarationes primae partis scriptas manu Po-

lanci. (Ultima declaratio in f. 93v est ultima capitinis primi, signata littera E; prima in f. 120 est prima capitinis secundi, signata littera F; series litterarum continuatur ab uno in aliud caput). FF. 94r-95v et 121r-122r (uterque numerus est in uno folio) Declarationes capitum de universitatibus manu librarii I scriptas, emendatas manu Polanci. (Folium 95v desinit: «Con esto no mudará los lectores principales, ni officiales, como»; folium 121r incipit: «el canceller, sin auisar el prouincial»). FF. 96r-99r (antiquitus 1-4) alium textum Declarationum primae partis, scriptum manu scribæ (Joannis Philippi Viti?) emendatum manu Polanci; ff. 100r-103r (antea 9-12) Declarationes tertiae partis manu librarii IV, emendatas manu Polanci; ff. 104r-108v (antea 13-17) Declarationes quartae partis (scriptas manu Viti?) emendatas manu Polanci; ff. 109r et v (antea 18, prius 21) Declarationes quintae partis (scriptas a Vito?) emendatas manu Polanci; ff. 109v-112r (antea 18-20, prius 21-23, folio 112 nulla est antiqua notatio) Declarationes partis sextae, scriptas (partim a Vito?) partim a Polanco, emendatas manu Polanci; ff. 113r-114r alium textum Declarationum quintae partis scriptum et paucis locis emendatum manu Polanci: ff. 115r-116v (antea 23, folio 116 deest antiqua notatio) Declarationes partis octavae, scriptas (partim a Vito?) partim a Polanco, emendatas a Polanco; ff. 125r-126v et 123r Declarationes partis quartae scriptas et emendatas manu Polanci. (Ultima declaratio folii 126v notata est litteris «gg» respondebatque *Const. IV*, 6, N; prima vero folii 123r notata est litteris «hh», respondebatque *Const., IV*, 6, O). Fol. 124r (antea 1) alium textum Declarationum partis octavae, qui continuatur in folio 131r (antea 2) scriptum partim a Polanco, partim a librario II, emendatum a Polanco.

FF. 117r-119r continent translationem italicam aliquorum locorum partis octavae tam Constitutionum quam Declarationum, ex capitibus secundo, tertio, quarto et quinto. Mundissime scriptae sunt (manu Viti?); in folio 118r ad finem est additum Polanci «o vero si cognosca, s'alcuno era nominato».

FF. 127r-128r (antea 1-2) Constitutiones contra ambitum, scriptas manu Ferronii, emendatas manu S. Ignatii.

FF. 129r-130r continent translationem latinam aliquorum locorum octavae partis, eorumdem quorum translatio italica est in ff. 117r-119r; folia 129r-130r scripsit P. Martinus de Olave.

FF. 132r-171v continent Constitutionum sive partes, sive partium fragmenta, ita distributa ut quae ad partem eamdem pertinent, una conjuncta sint.

FF. 132r-133r sunt capita primum, secundum et pars tertii se-

cundae partis ; tum in fine Declarationes duae «sobre el modo de despedir». Omnia manu Polanci.

F. 134r est initium capitinis primi partis tertiae, manu Polanci.

FF. 135r-142v (antea 19-26) est integra pars quarta, constans capitibus novem, (scripta manu Viti ?) emendata manu Polanci.

FF. 143r-144r est continuatio textus cuiusdam quartae partis, quae incipit a foliis 145r-148v (sine numeris antiquis), omnia manu Polanci, praeter partem folii 146v, quam scripsit scriba II «pero no son tenidos... quanto a los que se resciben» a medio capite tertio ad initium capitinis quarti.

FF. 149r-152v (antea 1-3, folium 152 caret numero antiquo) sunt Constitutiones universitatum scriptae manu librarii I, ejusdem qui scripsit Declarationes ff. 94r-95v et 121r, emendatae manu Polanci.

FF. 153r-158v (antea 1-6) monumentum «Para fundar collegios» scriptum manu librarii V, emendatum manu Polanci.

FF. 159r-162r (antea 27-30, prius 31-34) quinta pars Constitutionum (scripta manu Viti ?) emendata manu Polanci, constans prius capitibus septem.

FF. 163r-164v alijs textus quintae partis, scriptus partim manu Polanci, partim manu scribæ I, emendatus manu Polanci.

F. 165r initium capitinis primi partis "sextæ, scriptum manu Polanci.

FF. 166r-171v (antea 31-34, prius 35-38, folia 170-171 carent numeris antiquis) pars sexta, scripta manu librarii I ff. 166r-169r, manu Polanci ff. 170r-171v, emendata ubique a Polanco.

FF. 172r-174v regulae examinatoris, manu scribæ I, emendatae manu Polanci.

F. 175 fragmenta Constitutionum et Declarationum quintae partis (manu Viti ?), cum tribus annotationibus Polanci.

F. 176 purum.

Instit. 18, Miscellanea de Constitutionibus

Descriptus est hic codex in *Epist. P. Nadal IV*, 32-34 ; quoniam vero illic describuntur ea præsertim quae Natalem respiciunt, nostrum esse ducimus reliquas partes accuratius describere, quarum monumentis in hac Constitutionum editione frequenter utimur.

Volumen magnitudinis 0,230 × 0,150, religatum, dorso et angulis ex pergamina. In dorso inscriptus est titulus : «Instit. 18 | Miscellanea | de | Constitution.» Constat ff. 494, notis numerorum stylo lapideo recens signatis.

Fol. 1r. Titulus est scriptus manu P. Boero (+ 1884): «Miscellanea intorno alle Costituzioni. Sono abbozzi e copie di varie parti delle Costituzioni, scritti al tempo dal S. Padre».

Continentur in codice quae sequuntur.

1. FF. 2r-7r «Indice del Examen general... de letrados... de coadiutores spirituales y temporales... de escolares antes de sus estudios... de escolares acabados sus estudios... de indiferentes».

2. Fol. 7r «Indice de algunas cosas passado el Examen».

3. Fol. 7v-8r «De la instrucción para [par ms.] el examinador».

4. FF. 8r-9v «Indice de las determinaciones antiguas y nuevas... de otras determinationes».

5. FF. 10r-11r «Indice de las Constitutiones firmadas».

6. Fol. 11r et v «Indice de la fundación de los collegios».

7. Fol. 12r «Indice de la instrucción de muchachos y personas rudes».

8. Fol. 12v «Indice de otras Constituciones cerca de officios o dignidades».

9. FF. 12v-13v «Indice de Declaraciones».

10. Fol. 13v «Indice de lo que tocca a las missiones... Declaraciones circa las missiones».

11. FF. 14r-21r. Textus latinus prooemii et primae partis Constitutionum; secundae partis est solus titulus. Incipit «Prooemium Constitutionum. 1. Quamuis summa sapientia»; desinit «Caput primum. Qui dimitti possint et per quos».

12. FF. 22r-73v (antiquitus 1-52). Exemplum antiquissimum Examinis. Incipit «IHS. Lo que ante todas cosas se deue proponer al que ha de ser instruido y examinado»; desinit «antes más dañosas sin las primeras». Textus hic edetur in vol. II.

13. FF. 74r-78r. Instructio examinatoris candidatorum Societatis Jesu. Incipit «Sumaria instrucción para el examinador»; desinit «está declarado de letrados y coadiutores».

FF. 79-81. pura sunt.

14. FF. 82r-95v. Textus latinus compendii Examinis. Incipit «Compendium Examinis omnibus qui in Societatem admitti petunt, proponendi»; desinit «Examinetur de reliquis iuxta aliquod examen ex praedictis, prout magis conuenire videbitur».

15. FF. 96r-97v. Textus latinus aliquot Declarationum Examinis. Incipit «Ex Declarationibus in Examen»; desinit «nihil vltierius tentando».

16. FF. 98r-148r. Textus latinus compendii Constitutionum. Incipit «Compendium Constitutionum. Ex prohemio»; desinit «Vnde legere singulis mensibus uel audire easdem oportebit».

17. FF. 149r-187v. Textus latinus compendii Declarationum in Constitutiones. Incipit «Ex proemio in Declarationes»; desinit «in locis sani ac puri aeris teneantur et non in contrariis».

Fol. 188 purum.

18. FF. 189r-191v. Examinis caput primum imperfectum. Hispane.

FF. 192-194 pura.

19. FF. 195r-214v. Examinis textus hispanus imperfectus et male compactus: duo priora capita et pars tertii sunt in ff. 195r-200v, tum in ff. 207r-214v, quo finito redeundum est ad ff. 201r-206v, ubi desinit textus his verbis «Del 4º Examen para scholares, y primo antes que se admittan por tales», qui titulus est capitinis septimi.

20. FF. 215r-234v. Examinis ejusque Declarationum textus latinus mutilus. Folia 215-222 signata sunt antiquis numeris 1-8.

FF. 235-238 pura sunt.

21. FF. 239r-264v. Summarium Constitutionum latinum; duo exempla; singula constant capitibus quaternis, quibus iidem fere tituli praeponuntur, etsi capita ipsa non parum inter se differunt. In utroque, sed maxime in primo sunt addita multa Polanci. Utrumque incipit «Quae ex Constitutionibus communes sunt»; primum desinit «Nemo noctu dormiat, fenestram apertam reliquendo, nec sine stragulo»; alterum «prout ab utroque ratio et charitas exigit». Sequitur formula votorum simplicium.

FF. 265-267 pura.

22. FF. 268r-275r. Tertium summarium latinum quatuor etiam capitibus constans, at brevius et politius. Incipit et desinit ut primum. Sequitur forma votorum simplicium.

23. FF. 275v-277r. Constitutiones versantium in probationibus. Latine. Incipit «Quae ex Constitutionibus sunt obseruanda»; desinit «iuxta superioris arbitrium».

24. FF. 277v-279v. Constitutiones scholasticorum. Latine. Incipit «Constitutiones scholasticis obseruandae»; desinit «quid superfluum ne scribant».

Fol. 280 purum.

25. FF. 281r-287v. Aliud Constitutionum summarium italice scriptum, a praecedentibus diversum. In f. 281 solus titulus «Constitutiones». Incipit «ihs. Instruzione cauata delle Constitutione... La somma sapientia et bontá»; desinit «ne mai manchi la essecutione di quelle. Deo gratias».

FF. 288-289 pura.

26. FF. 290r-332r. Declarationes Constitutionum, hispane. In

f. 290 solus titulus est «Declaraciones». Incipit «Jhus. Proemio de las Declarationes»; desinit «hará este voto simple con los otros de que se ha hablado». Nota tamen folia 316-319 esse omnino pura; Declarationes priorum partium quinque esse scriptas alia manu a quinque sequentibus; in illis primis nullas esse numerorum notas antiquas, in ultimis esse 1-13. In ultimo folio est quiddam additum manu Polanci.

Fol. 333 purum.

27. FF. 334r-430^{bisv}. Quaterniones sex manu P. Nadal perscripti, de quibus vide *Epist. P. Nadal*, IV, 32.

28. FF. 431r-434v. Industriae ad conversionem infidelium fo-vendam. Scriptum manu librarii (Joannis Philippi Viti?), adscriptis ad marginem compendiis rerum manu Polanci. Incipit «IHS. Quae ad finem Societatis... In primis quae pertinent ad conuersionem infidelium»; desinit «Domino commendarent, et in missarum sacrificiis eos iuuarent». Est locus singularis «de indis ad Societatem admittendis» (verba Polanci) et sive Goae instituendis sive in Europea collegia mittendis.

29. FF. 435r-444v. Regulæ collegiorum. Hispane. Editæ in *Monum. Paed.* pp. 657-667, sumptae ex alio codice. Vide ib. p. 656, annot. 1.

30. FF. 445r-449v. Monita peregrinantibus. Incipit «Ihs. Auisos de peregrinos; son de Portugal [3 vv. *Natalis*]. El fin de la peregrinación»; desinit «mercede que recibe del Señor en la tomar uoluntariamente».

31. FF. 450r-452v. Constitutiones scholasticorum. Latine. Incipit «Jhus, Maria. Constitutiones scholasticis obseruandæ. Qui in scholasticos admittuntur»; desinit «diuinae prouidentiae quod superest relinquendo».

32. FF. 453r-454r. Constitutiones professorum. Latine. Incipit «+ Quae ad professos pertinent ex Constitutionibus. Professos in vita diu probatos»; desinit «a relaxatione nimia caueant». Sequitur «Formula votorum solennium, quae professi Societatis emittunt»; est eadem prorsus formula, quae habetur in Constitutionibus, V, 3, 3.

33. FF. 454r-455r. Constitutiones coadjutorum. Latine. Incipit «Constitutiones ad coadjutores pertinentes. Qui in domibus versantur et Societatem adiuuant»; desinit «et in Societatis corpus cooptati sunt». Sequitur «Formula votorum quae coadjutores spirituales emittunt». Convenit de verbo ad verbum cum formula, quae est in Constitutionibus V, 4, 2.

Fol. 455v purum.

34. FF. 456r-460r. Constitutiones scholasticorum, ut supra, n. 31. Hoc exemplum continet addita nonnulla Polanci, quae in primo illo sunt in textu scripta ab ipso librario.

35. FF. 461r-462v. Constitutiones professorum, ut supra, n. 32. Exemplum cum additis Polanci, quae in primo exemplo scripsit in textu librarius ipse.

36. FF. 463r-464r. Constitutiones coadjutorum, ut supra, n. 33. Exemplum quoque hoc habet addita Polanci, quae in primo exemplo librarius ipse in textu scripsit.

Fol. 465 purum, item 466r.

37. Fol. 466v. Regulae ingredientibus primam probationem. Scripta manu librarii cum additis Polanci. Incipit «Quaedam regulae his proponendae 2^o die»; desinit «post abscisam barbam, si eam babuerit, ad refectorium commune cum aliis fratribus ingredietur».

38. FF. 467r-470r. Constitutiones versantium in probationibus, fere ut supra, n. 23; hoc tamen exemplum continet plura capita, quam primum, et addita Polanci non pauca, quorum quaedam scripsit in primo ipse librarius, quaedam ab illo absunt. Incipit «Quae ex Constitutionibus... Omnes qui Societatem ingrediuntur»; desinit «Ex Regulis. Qui se in modo concionandi exercent, tonos addiscant», quae addita sunt a Polanco.

39. FF. 471r-476v. Constitutiones scholasticorum. Differt a nn. 31 et 34. Hae sunt ordine extractae ex prooemio et capitibus decem primis quartae partis. Latine. Incipit «Constitutiones, quae ad scholasticos pertinent, ex 4 parte. Cum scopus»; desinit «melius in diuino obsequio conseruentur et progrediantur».

FF. 477-478 pura.

40. FF. 479r-490v. Sunt canones 78 congregationis generalis secundae. Incipit «Canones secundae congregationis generalis Societatis Jesu, quae 3^a Julii 1564 inchoata est, terminata uero 3^a Septembris. Primus. Constitutiones circa procuratores»; desinit «id curet facere R. P. N. praepositus generalis». Sequitur «Formula acceptandorum collegiorum data a R. P. N. Magistro Laynez» sed mutila; desinit enim paulo post initium, illis verbis «Sed qui diuino instinctu et Dei obsequio».

41. FF. 491r-493v. Est formula illa Lainii integra. Incipit «Formula acceptandorum collegiorum data a Rdo. P^e Nro. Mag^{tro}. Laynez, generali praeposito Societatis Jesu, de qua fit mentio canone 50 congregationis 2^{ae}. Consideratis operibus»; desinit «et dispositionem messis in populo».

Fol. 494 purum.

Instit. 38^a

Olim *Regulae antiqu.*; cf. *Monum. Ignat.* ser. 1^a, I, 37, Codex 16.

Est volumen pergamena religatum, magnitudinis 0,238 × 0,170. In dorso habet inscriptionem antiquam «Regulae antiquae» et signum novum «Instit. 38^a». Coniuncti sunt quatuor diversi codicilli: primus (prius erat unicus) est antiquus liber regularum domus romanae tempore S. Ignatii; constat foliis 1-85, formae 0,232 × 0,165; secundus sunt regulae collegii neapolitani, temporis ejusdem fere, constat foliis 86-109, formae 0,200 × 0,130; tertius est «Aduertencias del gouierno del N. B. P. por el P. Po Ribadeneira» seu caput tertium libelli hujus auctoris editi in *Monum. Ignat.* ser. 4^a, I, 441-471, constat foliis 110-115; quartus «Avisi per li nostri principalmente» de ratione tradendae doctrinae christiana, complectens folia 116-129. Magnitudo tertii et quarti codicilli est 0,210 × 0,140.

Est error in ff. 110r et 115v in anno 1550, si annus tempus indicat quo Ribadeneira libellum confecit. Dicit enim ipse in præfatione, scriptum esse non solum edita jam ab ipso Vita S. Ignatii, sed mortuis etiam omnibus qui cum Sancto Patre familiariter egerant.

Instit. 178. I (olim Collectanea de Instit. I).

V. *Epist. P. Nadal IV*, 32-34; *Monum. Paed.* 16, V; *Po. Compl.* I, xxx.

Instit. 194 (olim Brevia et rescripta antiqu.)

V. *Monum. Ignat.* ser. 1^a, I, 35.

Instit. 221 (olim Collecta per P. Natalem).

Ib., I, p. XLVII.

Instit. 222

Satis accurate descriptus est codex in *Epist. Nadal IV*, 34-37 (cod. *Instit. 222* vocabatur olim *Vatic. I*); sed quoniam, refecto nuper codice, monumenta ipsa meliore ordine concinnata sunt, ejusque usus in hoc opere frequens est, illum denuo describimus.

Volumen magnitudinis 0,225 × 0,150, recens refectum et compactum, dorso et angulis ex pergamena. In dorso habet: «Instit. | 222 | Constitutiones | Bullae». Praeter folia duo novissima, alterum initio, alterum in fine, omnino pura, habet folia distincta

numeris recentissimis 1-298. Est alia series numerorum, quam dicemus priorem, stylo lapideo ante refectum codicem facta. Hoc modo notata erant folia 307. Antiquae notae modo sunt, modo absunt. Omnes numerorum notae, ubi fuerint, notabuntur.

Fol. 1r. «Volume in 8º nell */sic/* contien le Costituzioni e bolle de la Compagnia di Gesù, alcuni fogli si vedono tagliati e */I v. obl./* molti atti sono in lingua spagnuola». Caeterum purum.

Fol. 2r (prius 1 obl.) «Constitutiones Societatis Jesu, earumque Declarationes. Accedunt acta in congregatione generali a die 3 Julii 1558». Caetera pura.

Fol. 3r (prius 1) scriptum olim fuit, quae vero scripta erant, non cancellata sed lotione sublata videntur; reliqua sunt verba aliqua nullum sensum neque sententiam referentia. Sunt versus duo scripti a P. Nadal: «fol. 9 rector non potest definire 17; ac (?) decla 40 par sec (?) fol, generalis decr. 115» caet.

Omnia hujus codicis monumenta quae sequuntur sunt apographa.

1. FF. 4r-28r (prius 46-72). Textus hispanus Examinis, ejusque Declarationum; incipit «Jhus. Primero Examen y general que se ha de proponer»; desinit «en arbitrio de otros de fuera de la Compañía. Laus Deo». Examen una manu, Declarationes alia scriptae sunt; imo in his tertia manus in fine accedit. In margine sunt complura addita manu librarii (Joannis Philippi Viti?), unum manu Natalis.

2. FF. 29r-108r (prius 74-154, antiquius 1-29 in tribus primis partibus, et decem primis capitibus partis quartae; 30-71, in partibus sex ultimis, 5^a-10^a; folia 58-66, quae sunt de universitatibus in quarta parte, nullas habent notas numerorum antiquas). Continent textum Constitutionum hispanum. Incipit «ihs. Prohemio de las Constitutiones. Aunque la summa sapientia»; desinit «y ansí aya de leerlas o oyrlas leer cada mes». Priores novem partes una scripsit manus, eadem illa, ut videtur, quae in Autographo scripsit capita de universitatibus. Decimam vero ille qui Declarationes Examinis exaravit. Addita et emendata complura sunt manu Polanci; nonnulla manu Philippi Viti?; semel est manus Natalis (f. 54v).

3. FF. 109r-180v. Prius erant 168-240, evanuit fol. prius 196; antiquius 1-26 et 28-64³; interjectum est folium sine numero anti-

³ Hic numerus 64 in errorem induxit descriptorem codicis in *Epist. P. Nadal IV*, 36, n. 28º. Ait enim has Declarationes habere paginas 64. Primum quidem dixit paginas pro foliis; omisit deinde computare fol. 127 (prius 186) et 137-143 (prius 197-203) seu folia octo, quae nullis numeris antiquis notata sunt. Unde pro paginis 64, dic folia 72 seu paginas 142. Folium 136, prius 195, quod notari debuit n. 27, rationem non mutat, quia

quo (f. 127, prius 186), nullo numero antiquo notatum est folium 136, prius 195, etsi unam seriem cum praecedentibus efficit, debuitque notari numero 27; Declarationes circa universitates, ff. 137-143, prius 197-203, insertae quoque sunt sine ulla numeris, et postquam reliqua folia numeris jam notata erant.

Sunt in his foliis Declarationes Constitutionum hispanae. Incipit «Proemio de las Declarationes y ausos», desinit «que se ha hablado». Declarationes priorum septem partium videtur scripsisse fere omnes Joannes Philippus Vitus, praeter illas de universitatibus, quas ille ipse exaravit, quem Constitutiones etiam scripsisse diximus. Reliquarum partium scriptor idem fuit ac Declarationum Examinis. Subinde apparet tertia manus ignota. Quaedam etiam sunt manu Polanci. Natalis vero, praeter alia pauca (v. g. 126r), esse videntur signa complura numerorum, quae praesertim in tribus primis partibus ad marginem inveniuntur.

4. Fol. 181r et v (prius 241). Formula votorum simplicium, quae professi emittunt post professionem. Scripta videtur manu Philippi Viti. In margine est notatio Natalis: «Emendetur iuxta formulam quae aedita est decreto in prima congregatione generali».

5-9. FF. 182r-184r (prius 156-158). Sunt a) tria monita ingredientibus probationem; b) directoriorum tituli: «Para dar exercitios-Para examinar-Para decir missa-El rosario-La doctrina christiana»; cf. *Exercitia* p. 753; c) monita et dubia; d) constitutio de mensa praepositi; e) ministeria quaedam vitanda, quaedam non fuigenda. Hispane. Haec omnia complexus est editor *Epist. P. Nadal*, IV, 35, n. 18º, sub titulo «Varia puncta Constitutionum agitantur».

10. FF. 184v-185r (prius 158-159). Responsa S. Ignatii circa habitum, chorum et peregrinationes. Hispane. Locus desumptus ex Memoriali Consalvii de Camara, quem vide in *Monum. Iguat.* ser. 4ª, I, 219-220.

11. FF. 185v-186r (prius 159-160). «Documento para todas conuersiones» caet.; scriptum videtur manu Viti, hispane. Editum in *Exercitia*, 577 et 699. In margine scripsit Nadal: «Está en el principio de los exercitios notados de mano de N. P. Ignatio».

12. FF. 186v-188r (prius 160-162). De vita spirituali pronuntiata quaedam S. Ignatii praesertim circa obedientiam, hispane. Incipit «Jhs. S. Más amaré», desinit «a lo que te mandarán». Edita in *Monum. Iguat.* ser. 1ª, XII, 659-663.

sequentia folia ita notantur, quasi numerus ille omissus non esset; nam post numerum 26 (in penultimo folio partis quartae, omissis universitatibus) ponitur n. 28 in primo folio partis quintae.

13. FF. 188v-189v (prius 162-163). Triplex obediendi ratio. Incipit «Tres *sic* modi de perfettione circa l'ubidienza», desinit «ch'al particolare»; italice. Res aliter atque in praecedentibus proponitur. Editum ib., pp. 664-665.

14. FF. 189v-190v (prius 163-164). Apographum epistolae S. Ignatii ad Joannem Baptistam Viola, editae in *Monum. Ignat.* ser. 1^a, I, 228. Hoc apographo neque tempus neque persona, cui datur epistola exprimitur. Tribuitur autem in ipso codice auctori S. Ignatio, et parum omnino differt ab exemplo edito. Incipit «La summa gracia... Vna vuestra receui y no la entiendo»; desinit «perder tiempo. Cesso rogando... De Roma etc.»

15. Fol. 191r et v (prius 165). De modo exercendi subditos. Incipit «Ordine del nostro Padre M. Ignatio. Ogni rettore» etc., desinit «n'hanno di bisogno». Italice omnia.

16. Fol. 192r (prius 166). Monita septem S. Ignatii. Incipit «Jamás contradecir», desinit «et non sia uariabile». Praeter pauca verba italica in fine, efferuntur hispane omnia. Horum monitorum translatio latina triplex edita est in *Monum. Ignat.* ser. 1^a, XII, 678-681; tertia est ligata versibus.

17. FF. 192v-193v (prius 166-167). De modo agendi cum proximis. Incipit «Jesus. Annotationi del P. M. Ignatio per negociare et conuersare in Domino», desinit «in publico». Omnia italice. Hispane edita sunt partim in *Monum. Ignat.* ser. 1^a, XII, 676-678.

18. Fol. 193v (prius 167). Apographum directorii ignatiani Exercitiorum. Incipit «Para dar exercicios. 1. Puédense mostrar»; desinit «eleuación de mente», hispane. Editum est in *Exercitia*, 778.

19. FF. 194r-231r (prius 250-265 et 274-294). Acta congregationis generalis Societatis Jesu primae. Incipit «Acta in congregatione generali Societatis nostrae post electionem preepositi, incipiendo tertia die Julii 1558. In primis actum est de quibusdam rebus pertinentibus ad 7^{um} caput Constitutionum et Declarationum octauae partis»; desinit «licebit sub censuris etc.» Decreta post electionem sunt centum nec dividuntur in titulos desinuntque verbis «die X^a Septembris praedicta», quae sunt in impressis decreto 148, in aliis actis, titulo 7, decreto 4. Sequuntur, f. 210, quae electionem preecesserunt, inter haec canones duodecim ad preepositi electionem observandi, tum decreta viginti (eadem atque impressa); tertio historia electionis, quarto formula electionis duplex, altera longior, altera brevior.

In iis quae electionem preecesserunt (a f. 211) multa sunt in margine observata Natalis.

20. FF. 231v-232r (prius 295-296). Epistola Pii IV ad Maximi-

lianum imperatorem, 29 Decembris 1564. Incipit «Ad aures nostras», desinit «curationi uacare animarum potuerint». Societatem Jesu a calumniis defendit.

21. FF. 232v-233v (prius 296-297). Epistola Pii IV ad Othonem cardinalem augustanum, 28 Decembris 1564. Incipit «Posteaquam renunciatum»; desinit «salutis animarum studio». Est de eodem argumento⁴.

22. Fol. 234r et v (prius 307). Observata quaedam circa bina exemplaria actorum congregationis primae generalis. Incipit «Jhus. Las [†]diferencias y dificultades», desinit «así en el libro como en el quadernillo»⁵.

23. Fol. 235r et v (prius 2). Sententia absolutionis in favorem S. Ignatii sociorumque, data 18 Novembris 1538. Incipit «B. Conuersinus... Cum reipublicae christianaे», desinit «permanserint etc.» Edita in *Monum. Ignat.* ser. 4^a, I, 627. Nullum est discrimin alicujus momenti; maximum omnium est illud *etc.* in fine hujus apographi, quod ab archetypo abest.

24. FF. 236r-243v (prius 3-10). Bulla Julii III «Exposcit debitum», data 21 Julii 1550. Sequitur testimonium Francisci Lamberti de transsumpto harum litterarum publica auctoritate facto, 8 Octobris 1550.

25. FF. 244v-247r (prius 11-14). Breve Pauli III «Cum inter cunctas» datum 3 Junii 1545; praecedit et sequitur testimonium cardinalis de Carpi de brevi eodem, 9 Junii 1545.

26. FF. 248r-249r (prius 15-16). Breve Pauli III «Exponi nobis» datum 5 Junii 1546.

⁴ In *Epist. P. Nadal* IV, 37. ponuntur sub n. 43 initium epistolae ad Maximilianum et finis epistolae ad Othonem, quasi ad unam eamdemque epistolam pertinerent. Error est etiam in mense Novembri pro Decembri.

⁵ Nota hoc folium 234 fuisse prius 307, sequens vero 235 fuisse prius 2; jam numerus 307 est omnium priorum maximus. Itaque quod dicit editor *Epist. P. Nadal*, IV, 34, initio descriptionis codicis 64 «Inc. 'Conversinus electus'; Des. «quadernillo» referendum est ad initium et finem codicis. Post hunc recentissime restitutum numerantur tantum folia 298; sublata ergo sunt folia novem, desunt autem quae prius notata erant numeros 19, 31, 67, 68, 73, 112, 191, 303, 304, 305, 306, seu folia undecim. Discrimen inde oritur quod in nova computatione duo folia sunt, 1 et 2, quae in priore nullo signo notabantur. Caeterum omnia monumenta quae in *Epist. P. Nadal* IV, 34-37 enumerantur, inveniuntur etiam nunc in codice praeter tria folia, quae p. 35 ita describuntur: «8º Tria folia mutila cum scriptura ignotae manus, quae forsitan est Natalis, ait P. Gaillard». Itaque sex forte erant pura aut alio translata sunt.

27. FF. 249v-251v (prius 16-18). Testimonium Jacobi Giner, vicarii generalis S. Thomae a Villanova, archiepiscopi valentini, de litteris cardinalis de Durantibus (quae hic etiam sunt) circa indulgentiam plenariam a Paulo III concessam, instante S. Francisco Borgia, duce Gandiae. Instrumentum cardinalis de Durantibus est signatum die 2 Januarii 1547, Jacobi Giner die 16 Martii anni ejusdem. De his litteris Durantum videtur loqui Andreas de Oviedo in epistola ad S. Ignatium data 20 Martii 1547. *Epist. Mixtae I*, 350.

28. FF. 252r-262v (prius 20-30). Bulla Pauli III «Licet debitum», 18 Octobris 1549, cum testimonio Francisci Lamberti, 8 Octobris 1550.

29. FF. 263v-266v (prius 32-35). Breve Julii III «Sacrae religionis» 22 Octobris 1552. Praecedit ac sequitur testimonium Othonis cardinalis augustani, 22 Novembris 1552.

30. FF. 268r-272r (prius 37-41). Breve Pii IV «Exponi nobis» 19 Augusti 1561. Praecedit et sequitur testimonium Othonis cardinalis augustani, 30 Septembris 1561.

31. FF. 273r-274r (prius 42-43). Viva vocis oracula sex concessa Societati die 10 Martii 1561. Incipit «Beatissimo Padre. Come per l'informatione», desinit «et semel pro semper». Italice, praeter binas declarationes latinas in fine⁶.

32-33 Fol. 274r et v (prius 43). Duo monumenta Jacobi Laynez, generalis Societatis Jesu: primum mittit sociis in Bohemia versantibus, facultatem communicans praedicandi et celebrandi, etsi haeretici adsint, 3 Augusti 1558; alterum S. Petro Canisio, provinciali Germaniae cum facultate benedicendi ornamenta caet., 11 Augusti 1558. Cf. *B. Petri Canisii Epist. et Acta II*, 298, 463.

34-36. Fol. 275r et v (prius 44). Tria monumenta alia Jacobi Laynez, vicarii generalis Societatis: primum dat commissariis, provincialibus caet. totius Societatis; est facultas concessa tonsuram habentibus contingendi calices etc., sacerdotibus medicis, curandi; vota simplicia religionis in vota Societatis commutandi. In altero est facultas ordinandi extra tempora; inscribitur omnibus Societatis alumnis. Tertium accedit monumentum nulli inscriptum, in quo est facultas dispensandi circa aetatem promovendorum ad sacros or-

⁶ Prima notatio seu declaratio habet: «Die 12 Martii declarauit cardinalis Alexandrinus, quod superiorem Germaniam intelligit reliqua praeter Flandriam et regi Philippo subjectas prouincias in quibus sunt inquisitores». Emenda igitur *Epist. P. Nadal IV*, 35, n. 10°, legens «praesertim pro Germania» loco «pro Germania sup. et Flandria»; nam neque pro sola Germania omnia conceduntur et cum ponitur, Germania superior, excluditur Flandria.

dines. Tempus autem horum trium monumentorum ita in fine exprimitur: «Fuerunt obtenta haec sub pon. PP. Pauli 4». Cf. *B. Petri Canisii Epist. et Acta* II, 298, 299, 300.

37. Fol. 376r (prius 45)⁷. Sunt tres notationes sumptae ex brevibus duobus Pii IV cancellatae, de privilegio aedificandi intra cannas, de gradibus concedendis ac de exemptione a decimis. Nadal apposuit primae notationi: «extat breue inferius», et alteri «extat breue superius exscriptum». Illud breve est quod modo sequitur cum testimonio Flavii Ursini; alterum est de quo supra ad ff. 268-272, quae res signum est, saltem haec duo diplomata hoc ipso ordine penes Natalem fuisse.

38. FF. 277r-279r (prius 242-244). Breve Pii IV «Etsi ex debito» 13 Aprilis 1561. Praecedit et sequitur testimonium Flavii Ursini, episcopi murani de brevi eodem, datum Romae, die 30 Septembris 1561.

39. FF. 279v-280v (prius 244-245). Breve Pii IV «Exuberans et indefessus» 15 Junii 1563.

40. FF. 281r-282v (prius 246-247). Facultates a cardinali alexandrino, summo inquisitore, concessae anno 1559, die 30 Januarii, libros quosdam (quos nominat) purgandi et retinendi etc.; «die veneris sacte» [sic] seu 24 Martii, absolvendi symoniacos et impriendi Constitutiones Societatis Jesu; die pentecostes, seu 14 Maji, de absolvendis vel von absolvendis habentes in Gallia et Germania libros prohibitos; anno 1560, die 2 Martii, absolvendi a censuris etc. et legendi libros haereticos etc.; die 20 Maji, de re simili.

41. Fol. 282v (prius 247). Facultates concessae a summo pontifice, 21 Januarii 1561, de dispensatione a cibis quadragesimalibus; damnati ad triremes a quovis casu absolvantur; de reconciliandis qui fidem negaverint.

42. FF. 282v-283v (prius 247-248). Facultates concessae a cardinali alexandrino circa commentaria ad Virgilium etc., biblia germanica, Erasmi Scholia etc. Quaedam nominatum concessa Patri Canisio. A folio 281 omnia latine.

43. FF. 283v-284r (prius 248-249). Alia duo quae concessit pro Germania cardinalis alexandrinus circa libros prohibitos. Italice scriptum.

44. Fol. 284r (prius 249). Petitio et concessio facultatis ad absolvendum eos qui libros prohibitos legerint. In margine notatur,

⁷ Folia 274-276 (prius 43-45) sunt agglutinata tribus foliis resectis, quae retinent initia verborum scripta manu Natalis. Suntne haec tria folia de quibus *Epist. P. Nadal* IV, 35, 8°?

librarii ejusdem manu, concessam facultatem rectori collegii nostri lauretani a cardinali alexandrino. Italice.

45. Fol. 284r et v (prius 249). Apographum litterarum cardinalis ejusdem, quibus praeposito generali Societatis Jesu potestas datur imprimendi Constitutiones; die 31 Martii 1559. Incipit «Nos Michael Gisilerius *sic* ... fidem facimus et attestamus quod praeposito generali Societatis Jesu licentiam et facultatem ut imprimi faceret»; desinit «Pauli PP. quarti anno quarto. F. M. G. cardinalis Alexandrinus. Joannes Matheus Robertus, secretarius». Hujus concessionis mentio fit supra, in folio 281v.

46. FF. 284v et 294r (prius 265 et 298). Apographum aliarum litterarum cardinalis ejusdem, quibus Jacobo Lainio, generali, Alfonso Salmeroni et Hieronymo Natali et aliis Romae commorantibus e Societate Jesu, qui generali videbuntur, fit facultas legendi libros haereticorum etc. Incipit «Michael Ghisilerius *sic* ... tibi, Rdo. Patri Mtro. Jacobo Laynez»; desinit «Die XIII^a mensis Nouembris M. D. LXIII».⁸

47. FF. 285r-286v (prius 266-267). Facultas doctorandi scholares tum Societatis Jesu, tum collegii germanici. Non est integrum monumentum. Incipit «Motu proprio etc. Attendentes proinde», desinit «Datum Romae apud Sanctum Petrum, sexto decimo calendas februarias. Anno primo». Nec pars est brevis Pii IV de quo supra ad ff. 268r-272r.

48. FF. 287r-289r (prius 268-270). Transsumptum publicum facultatis praedicandi et confessiones audiendi factae Ignatio et sociis a cardinali Vincentio Carafa, die 3 Maii 1538. Edita est facultas in *Monum. Ignat.* ser. 4^a, I, 548. Hoc autem transsumptum datur hic auctoritate Petri Pauli Parisii, episcopi nuscani, die 18 Septembris 1539. Verbum in fine, quod in archetypo legi non potuit, est

⁸ Ut ex foliorum notatione colligitur, hoc monumentum in duas partes divulsum est, idque non ultima refectione primum, sed in priore etiam. Imo librarius ipse videtur jam inde ab initio perperam illud transcripsisse. Nam in imo folio 284v ultimus monumenti versus desinit verbis «licentiam in Domino concedimus et impartimur». Tum separatim manu eadem: «Reliqua uide in fine +», quae verba ad monumentum ipsum non pertinere per se patet. Hoc vero signum crucis apparet denuo in folio 294 (prius 298); ac re vera ibi est continuatio litterarum his verbis: «diuinam interim Dei omnipotentis bonitatem deprecantes, vt sic hac [haec ms.] tibi a nobis concessa facultate utaris» etc. Ex his emendabis descriptionem hujus partis nostri codicis quae est in *Epist. P. Nadal* IV, 36, n. 33º: illud initium «Ut possint absolvere» invenitur in facultatibus concessis die veneris sancto, f. 281v; verba autem «Reliqua vide in fine» id quod diximus significant.

in hoc apographo «nostras» ac bene cohaeret cum littera s, quae bene, et a, quae partim legitur in archetypo.

49. Fol. 290r (prius 271). Supplicatio Joannis Coduri, oblata Paulo III, pro se ac sociis, 5 Novembris 1540. Italice. Edita ex hoc loco in *Epist. PP. Broet...* 418.

50. FF. 290v-291r (prius 271-272). Epistolium missum Simoni Rodericio a P. Ignatio de facultatibus Societati concessis, 1º Novembris 1542. Editum est in *Monum. Ignat.* ser. 1^a, I, 232⁹.

51. Fol. 291r (prius 272). Conceduntur facultates quaedam generali Societatis, quas possit ille sociis communicare. Incipit «Martedì a 17 di novembre, 1551 »¹⁰; desinit «a 20 di nouembre 1551, Joanne de Polanco... Philippo fiamengo».

52. FF. 291v-292r (prius 272-273). Litterae patentes Hippoliti cardinalis ferrariensis, quibus testatur, die 22 Junii 1561, se praesente abrogasse eo ipso die Pium IV decretum Pauli IV de generali triennali, ac voluisse hunc esse ad vitam secundum Constitutiones. Incipit «Hippolitus... Cum hodie», desinit «sigillo nostro obsignari jussimus Romae... die vigesima secunda Junii »¹¹... Hippolitus cardinalis ferrariensis». Pro sigillo scriptum est verbum *Sigillum*. Editum in *Lainii Monum.* VIII, 747.

53. Fol. 292v (prius 273). Litterae patentes cardinalis alexandri pro absolutione reservatorum, datae mense Julio (deest dies) anni 1564. Incipit «Michael Ghislerius... fidem facimus et attestamur», desinit «sigillo nostro consueto subsignatas dedimus... Alexandrinus». Pro sigillo scriptum verbum *Sigillum*. V. infra, ad f. 298v.

54. Fol. 293r et v (prius 155). Memorat quatuor vivae vocis oracula, primum de legendis libris haereticorum, anni 1540; alterum extendens facultates primis decem sociis concessas, reliquis sociis 1542; tertium indulgentiam per cardinalem de Durantibus concessam, anno 1547; quartum de confirmatione facultatum etc. per Julium III anno 1550. Tertium est cancellatum et ad marginem habet notatiunculam Natalis.

⁹ Eo loco ponitur hoc monumentum quasi esset epistola separata. Videtur potius epistolium (*hijuelas* vocabant) adjunctum epistolae praecedenti. Nam et deest consuetum Ignatio initium epistolae, et in praecedenti indicatur aperte ubi dicitur «De las gracias que con esta van vsaréis» caet.

¹⁰ Lectio est hoc loco anceps, praevaleatne 1551 an 1561, tertium enim signum emendatum est; at in fine distinete legitur 1551. Agitur autem de duodecim e nostris Florentiam, tribus Bononiam et Tridentum proficiscentibus; id vero accidit 1551. Cf. *Monum. Ignat.* ser. 1^a, III, 715 et 718. Corrigere ergo *Epist. P. Nadal* IV, 36, n. 39º, ubi est 1561. Vide etiam infra ad fol. 297v.

¹¹ Est error in *Epist. P. Nadal* IV, 36, l. ultima, ubi dicitur 2 Jun.

55. Fol. 294r (prius 298). Initio est pars monumenti 46 (supra); deinde est scriptum Polanci (apographum) in quo narrat, quid apud cardinalem alexandrinum egerit die 25 Martii 1565. Incipit «Alli dì 25 Marzo parlai»; desinit «licenza per il P. Baptista et un altro spagnolo per uedere l'alcorano. Joanne de Polanco».

56. Fol. 294v (prius 298). Narratur concessam esse facultatem legendi libros haereticorum Patribus Petro Canisio etc. Ipsarum litterarum apographum est in ff. 295v-296r; v. infra.

57. FF. 294v-295r (prius 298-299). Est petitio in qua ponuntur nomina Patrum e provinciis Germaniae superioris, Rheni, Germaniae inferioris, Austriae, Franciae et Aquitaniae, quibus facultas legendi libros haereticorum concedi posse videtur. Subscribunt «Francisco /Borgia/, Joannes Polanco».

58. FF. 295v-296r (prius 299-300). Litterae cardinalium inquisitorum, 27 Septembris 1565, quibus facultas fit PP. Petro et Theodorico Canisio, Lanoy, Vinch et Costero, legendi libros prohibitos et recipiendi haereticos resipiscentes et ad Ecclesiam redeuntes. Incipit «Nos Johanes Michael Stae. Agathae Saracenus», desinit «anno eius sexto». Cf. *B. Petri Canisii Epist. et Acta*, V, 100.

59. FF. 296v-297r (prius 300-301). Est petitio facultatis absolviendi ab haeresi in foro interno tantum, in Germania, Flandria, Gallia et Italia. Neque summo pontifici neque cardinali alexandrino fit petitio, sed alii cui datur cura negotium procurandi apud alterutrum. Incipit «Perchè si ha esperienza»; desinit «diuina maestà il cuor». In margine legitur «Smus. Ds. N. fuit contentus, Tol arch. hiponens.»; in fine «F. M. G. card. Alexandrino».

60. Fol. 297r et v (prius 301). Facultas qua praepositus generalis per se vel per alium possit absolvere in foro interno ab haeresi et dispensare a jejunio etc.; item ut cardinalis Verallus adjungatur cardinali de Carpi ad videndas gratias, quibus indiget Societas. Tria obtinuit Salmeron, praesente Ambrosio Catherino, die 6 Maii 1551. Incipit «A dì 6 di Maggio»; desinit «Frate Ambrosio Catharino, vescovo di Minori ut supra. Alfonso di Salmerone, sacerdote della Compagnia di Jesù».

61. Fol. 297v. Aliud apographum narrationis polanciana, quae incipit «Martedì a 17 di nouembre 1551» ut supra in f. 291r. Hic utroque loco legitur «1551».

62. Fol. 298r (prius 302). Aliud apographum facultatum concessionum die 21 Januarii 1561, ut supra, f. 282v. Hic autem subscriptum est nomen «Jacobus Laynez», quod a primo apographo abest.

63. Fol. 298r et v (prius 302). P. Franciscus Borgia obtinet a summo pontifice extensionem facultatis legendi libros prohibitos, de qua supra, f. 294v.

64. Fol. 298v (prius 302). Aliud apographum facultatum de quibus supra, f. 292v, in litteris patentibus cardinalis Alexandrini. Hic exprimitur dies, qui est 24 Julii. Pro vocabulo *Sigillum* in fine est nomen «Hieronymus Rusticus, secretarius».

Opp. NN. 42

Est volumen magnitudinis 0, 215 × 0, 140, ligatus charta, dorso ex pergamina. Inscriptiones in dorso: «Opp. NN. 42», «Opuscula S. Fran. Xav. P. Cl. Aquav. Card Bellarm»; «MSS». Continet apographa scriptorum quorumdam primorum sociorum, et PP. Aquaviva, Spinelli, Bartholomaei Perez, Emm. Sa, Christophori Clavii, caet. Una est tantum S. Francisci Xav. epistola.

Opp. NN. 257

Est volumen religatum, dorso et angulis ex pergamina, magnitudinis 0,325 × 0,230. In dorso: «Opp. NN. 257 | Casus | Varii | consc | II» Constat ff. 253 et 28a, 48a, 52a, 59a-b, 85a, 86a-h, 97a, 11a-b, 117a, 212a, 253a b variae magnitudinis, recens notatis numerorum signis. Codex anno 1931 restauratus; singula fere folia velis holosericis obducta. Titulus antiquus: «Casus varii | Tom. II | Card. de Lugo».

Continet quae sequuntur:

1. Indicem duplarem materiae ff. 1-2; 3-4.
2. Titulum internum: «Portugal [hoc verbum cancellatum] Casus conscientiae varii | De Beneficiis, Cambiis, Contractibus matrimonialibus etc.» In cornu sinistro supra notatur: «Lustrationes | 28 Junij 1654».
3. Textum variorum casuum saeculi decimi sexti ab anno fere 1546.

Nota. Occurrunt inter alia nomina: Hoffaeus, Polanco, Natalis, Otello, Possevino etc.; ff. 9-93 est casus quidam «An episcopus aliquis» subscriptus ab Aegidio Foscharario, mag. s. palatii.

Opp. NN. 290

Est volumen religatum, dorso et angulis ex linteo nigro, magnitudinis 0,315 × 0,237. In dorso litteris aureis: «Disputationes | Theologicae | Variorum». Constat ff. 162 variae magnitudinis recens notatis numerorum signis.

Continet quae sequuntur:

1. Quaestiones disputatas de sanctificatione sabbati, ff. 1-2.
- Varios tractatus vel epistolas variorum: Natalis: Monarchia Siciliae, f. 3; de ratione conscientiae, ff. 4-5; 10-11; 12-13; Julius

Roscius ad P. Julium Mancinelli, 1584, ff. 18-26; Franc. Turrianus de interpretatione Cantici Canticorum ad Hier. Platum, ff. 51-68; Paragius Gaspar, ultima praefatio ad opus iuris, f. 69; de Soto, Relectio de meritis Christi, 1533, ff. 71-78; Taxaquetus Thom. Antonio Soldevillae de vocabulis περιούσιον et ἐπιούσιον, f. 121. Ant. Genua, 3-20 nov. 1553 11 lectiones de libr. I Phys. Aristotel, f. 123-155. Th. Peltanus, de Ratione studendi, ff. 156-157. Ribadeneira Petr., de la orden del studio de artes, f. 160. Palmio Ben., che cosa doveria leggere una persona occupata... in theologia per profitarsi in quella per predicare, f. 162.

Po. de Constit.

Codex refectus ac religatus, dorso et angulis ex pergamena, magnitudinis 0,230 \times 0,155; folia sunt fere magnitudinis 0,225 \times 0,150.

Praeter folia duo nova, alterum initio, alterum in fine, numeris non notata, habet folia 33, recens distincta numeris.

In folio primo novo titulus est: «Patris Polanco de Constitutionibus»; ultimum folium purum.

In foliis antiquis pura sunt 6v, 23v, 28r et v, 33v.

Foliis 11-14 est epistola autographa P. Pontii Cogordani, procuratoris demortuo Petro Codacio suffecti, scripta Romae die 29 januarii 1550. Ut videtur, missa non est, charta vero a Polanco usurpata, in ea facie quae libera erat, ad haec adversaria Constitutionum conscribenda, ex qua facie ortae sunt paginae codicis 11v, 12r, 13v, 14r.

Folium 15r continet etiam partem epistolae cuiusdam scriptam ignota manu, ubi agitur de Salmerone concionatore. Est autem fere integra translatio hispana epistolae italicae, scriptae a Francisco Mazzocco in oppido Belluno, die 22 Aprilis 1549, quae edita est in *Epistolae Mixtae II*, 174. Hoc quidem folio neque tempus neque locus est; est tamen hujusmodi consensus inter italicum et hispanicum textum, ut omne dubium excludat. Incipit «por hauer seýdo causa que el reuerendo Salmerón haya hecho el officio de euangelizar esta quaresma aquí, en lo que prometo a V. S. que así ha hecho el débito suyo»; desinit «pareciendo que agora se dé principio a conocer a Dios de veras».

In f. 24v est etiam alias epistolae initium, nullo nomine vel tempore addito. Reliqua folia scripta sunt manu Polanci, paucissimis exceptis.

FF. 1r-25v continent Constitutiones et Declarationes ad quatuor priores, ff. 26r-27r notationes aliquas ad varias Constitutionum partes spectantes. Fol. 27v, scriptum inverso folii capite, continet notationes alias circa Constitutiones antiquas, determinationes,

notas, quae in cod. *E*, ff. 19r-86r, inveniuntur (v. descriptionem codicis *E*).

FF. 29r-33r habent indices polancianos, quos invenies in monumento 29.

Po. de Instit.

Etsi hic codex satis diligenter descriptus est in *Polanci Complementis* II, xiv, Codex 40, et apud Astrain, I, xxii; accuratius tamen illa praesertim pars describenda est, quae autographa ipsius Polanci continet.

Est volumen magnitudinis 0, 295 × 0, 220, compactum, pergamena in dorso et in angulis munitum. In dorso habet: «P. Polanci | De instituto | Industriae | De humilitate». Folia habet recentia tria initio, tria in fine, omnino pura, nullisque numeris notata; tum folia antiqua numeris recentissimis signata 1-186, e quibus fol. 1 habet scriptum titulum manu Sotuelli: «Dubia circa bullas confirmationis Societatis manu Polanci»; tum signum archivi «A. X. /prius IX/ 3».

Tria distinguimus initio voluminis monumenta: primum est in ff. 3r-5v; alterum in ff. 6r-14v; tertium in ff. 17r-28v.

Fol. 2v alium titulum alia manu, antiqua illa quidem: «Circa le cose dell'istituto. P. Polanco manu propria».

Folia 3-5 nullum habent titulum; in f. 3r scripsit quidam, forte Sotuellus: «Manuscr. P. Polanci». Caetera omnia scripta sunt manu Polanci; sunt autem quaestiones 27 omnes uno ordine comprehensa et singulae suis signis «primero-27» notatae. Singulis praeterea adjungitur in margine nota quaedam compendiaria, quae cum primum usurpatur declarationem adjunctam habet hoc modo: «Comunes cosas por C»; «Pobreza-P»; «Obedientia-O»; «Collegios-Coll»; «Reglas» ubi non apponitur littera *R*, quae tamen in altera serie, de qua mox loquemur, saepe usurpatur.

In f. 6r titulus est initio: «Reglas de casa» manu Polanci, sicut caetera omnia quae sunt in ff. 6r-14v. Nullus praeterea titulus est in his foliis, nisi pro titulo sumatur illud quod est in medio folio 6v: «Siguense algunas cosas que de la Regla y Constituciones de la orden de S. Francisco se toman por la mayor parte». Folia quidem 15 et 16 pura sunt; at in 16v est titulus: «Circa l'istituto et le regole antiche. P. Polanco manu propria» scriptus ea ipsa manu qua scriptum esse diximus titulum in fol. 2v. Sunt autem sive regulae, sive quaestiones sive dubia 144, signata singula suis numeris «Primero-144», quibus etiam apponuntur signa illa compendiaria, quae paulo ante indicavimus.

Folium 17r habet initio titulum «Jhs. Las propriedades que debían tener las bullas». Monumentum hoc unum est ex his tribus habens praeter notas numerorum recentissimas 17-28, antiquas 1-12.

Sunt capita seu puncta 30, quae omnia ad Pauli III sive diplomata sive vivae vocis oracula referuntur: capita 1-25 ad bullas primam et secundam, annorum 1540 et 1544; capita 26-29 ad breve anni 1546 de coadjutoribus; caput 30 ad breve anni 1545 et ad vivae vocis oracula. De singulis fere omnibus capitibus plura pauciora quaeruntur, quibus responsa subjiciuntur.

Tria nunc primum in lucem prodeunt sub titulis tribus *Dubiorum series prima, secunda, tertia*, de quo titulo vide *Proleg. c. 2, a. 15, § 1*.

De caeteris monumentis quae in hoc codice sunt, illud tantum addendum, epistolam illam, quae est de instituto Societatis, editam in *Polanci Complementis I*, 498-526, cuius authenticitatem aliqui videntur in dubium revocasse, esse re vera, ut dicunt editores, castigatam manu Polanci, cuius manu, praeter alia quaedam, sunt verba illa: «hase accettado... esta mesma prouincia» (ib. p. 512, ll. 29-31).

Process. beatif. VIII

Cf. *Monum. Ignat.* ser. 4^a, II, xix-xxi.

Rom. I

Ib., ser. 1^a, I, 32.

Rom. III (Sentimenti)

Ib. p. 34.

Rom. 78b

Est volumen religatum, dorso et angulis ex pergamina, magnitudinis 0,425 × 0,330. In dorso: «Rom. 78b | Catalogus | Roman-Tusciae | Venet. Lombard. | 1559-1572» [*Revera 1546-1600*]. Constat ff. inaequalis magnitudinis notatis numerorum signis cerulei coloris 241.

Nota. Antiquissimus catalogus f. 207 manu P. Jacobi Laynez: circa annum 1546 de sociis in universitate pataviensi studentibus informatio. In f. 122 est catalogus defunctorum in Italia usque ad 30 Dec. 1600.

Praeter catalogos continet varia quaedam usque ad annum 1700.

Rom. 126

Cf. *Polanci Complementa I*, xxxi.

Rom. 143

Ib. p. xxxii.

INDEX OPERUM

QUAE IN HOC VOLUMINE USURPANTUR

Acta Sanctorum, v. PINIUS.

AICARDO, José Manuel, S. J. — Comentario a las Constituciones de la Compañía de Jesús, 6 vol., Madrid, 1919-1932.

ALCÁZAR, Bartolomé, S. J. — Chrono-Historia de la Compañía de Jesús en la Provincia de Toledo. Y elogio de sus varones ilustres, fundadores, bienhechores, fautores, e Hijos Espirituales... 2 vol., Madrid, 1710.

ALCIATI, Andreas, v. Corpus Iuris Canonici.

Archiv für Litteratur und Kirchengeschichte des Mittelalters, 7 vol., Freiburg i. Br., 1885-1893.

Archivo Agustiniano, año XX (1933), 336-339.

Archivum Historicum Societatis Iesu, 1 (1932) 304-306.

ASTRÁIN, Antonio, S. J. — Historia dela Compañía de Jesús en la Asistencia de España, 7 vol., Madrid, 1902-1925.

AUGUSTINUS, S. — De doctrina Christiana, PL. 34.

— Regula beati Augustini vna cum expositione Hugonis de Sancto Victore. Constitutiones fratrum eremitarum Sancti Augustini. Additiones thomae de Argentina generalis. Tabula una per capitula super constitutionibus. Tabula altera per alphabetum super additionibus. Magistri ambrosii coriolani generalis statuta quaedam... *[in fol. 1]* Impressum Venetiis per Gregorium de Gregoriis. Anno Domini M.CCCCCVIII die X Nouembris *[in fol. 89, quod est ultimum]*.

— Constitutiones Ordinis Fratrvm Eremitarvm Sancti Avgvstini nuper recognitae... Romae, Anno Dni. M.D.LI.

AUGUSTINUS (Pseudo). — Regulae clericis traditae fragmentum. Opera omnia 1, Parisiis 1679, in Appendice, col. 39.

BAINVEL, v. POULAIN.

BARTOLI a SAXOFERRATO. — Consilia, Quaestiones et Tractatus... Venetiis MDCII. (*Inter opera omnia tomus X*). In fol. 6 col. 2. Bar. a Saxoferrato Tractatus de Minoricis in libros IIII Distinctus.

BARTOLI, Daniello, S. J. — Della Vita e dell'Istituto di S. Ignatio fondatore della Compagnia di Giesù libri cinque... in Roma, 1650.

— Della vita... editione seconda, Accresciuta dall'Autore, in Roma, 1659.

BAUMGARTEN, P. M. — Die Katholische Kirche, III, Das Wirken der Katholischen Kirche, München, 1902.

BERWICK Y DE ALBA, Condesa de Siruela, Duquesa de. — Catálogo de las colecciones expuestas en las vitrinas del Palacio de Liria, Madrid, 1898.

BESSON, Julius, v. RAMIÈRE.

BOBADILLA, Nicolaus Alph. de, S. J. — Bobadillae Monumenta. Nicolai Alphonsi de Bobadilla, sacerdotis e Societate Jesu, gesta

- et scripta, ex autographis aut archetypis potissimum deprompta,
Matrii, 1913 (MHSJ).
- BOEHMER, Heinrich. — Studien zur Geschichte der Gesellschaft
Jesu... I Band, Bonn am Rhein. Verlag von A. Falkenroth,
1914.
- BOERO, Josephus, S. J., v. RIBADENEYRA, Vita del...
- BONAVENTURA, S. — Doctoris seraphici S. Bonaventurae S. R. E.
episcopi cardinalis Opera omnia... studio et cura PP. Collegii
a S. Bonaventura... Tomus VIII. Ad Claras Aquas (Quaracchi)
prope Florentiam, MDCCCXCVIII.
- BONIFATIUS VIII, v. Corpus Iuris Canonici.
- BRAUNSBERGER, Otto, S. J. — Beati Petri Canisii Societatis Jesu
Epistulae et acta, 8 vol., Friburgi Br., MDCCCXCVI-MCMXXIII.
- BROCKIE, v. HOLSTEN.
- BRUYNE, D. de, O. S. B., v. Revue Bénédictine.
- Bullarium diplomatum et privilegiorum sanctorum romanorum pon-
tificum Taurinensis editio... Augustae Taurinorum, 1857-1872.
- CAPPELLI, A. — Cronologia e Calendario perpetuo... Ulrico Hoepli,
Milano, 1906.
- CARLI, Laurentius, S. J., v. RIBADENEYRA. — Petri Ribadeneyrae...
Cartas de San Ignacio, v. IGNATIUS DE LOYOLA.
- CHERUBINI — Magnum Bullarium Romanum, A Beato Leone Magno
usque ad S. D. N. Benedictum XIII... Tomus primus, A B. Leone
Magno, ad Paulum IV... Luxemburgi, Sumptibus Andreae Che-
valier, Bibliopolae et Typographi, MDCCXXVII.
- CHRYSOSTOMUS, S. Joannes — Homilia 60 (al. 61) in Matth., PG.,
58, 583.
- CIACONIUS, Alphonsus, O. P., et OLDOINUS, Augustinus, S. J. —
Vitae, et res gestae pontificvm romanorvm et S. R. E. cardin-
alivm, Ab initio nascentis Ecclesiae vsque ad Clementem IX,
P. O. M..., 4 vol., Romae, MDCLXXVII.
- COQUELINES, Carolus. — Bullarum, Privilegiorum ac Diplomatum
Romanorum Pontificum Amplissima Collectio. Cui accessere
Pontificum omnium Vitae, Notae, et Indices opportuni... To-
mus Quartus. Pars Prima. Ab Hadriano VI ad Paulum IV,
scilicet ab anno 1521 ad 1559, Romae MDCCXLV, Typis et
sumptibus Hieronymi Mainardi.
- [Corpus Iuris Canonici] — Liber sextvs Decretalium D. Bonifacii
Papae VIII. Clementis Papae V. Constitutiones. Extravagantes
tvm viginti D. Joannis Papae XXII. tvm commvnes. Haec
omnia... Additionibus Praeclarissimi Iurisconsulti D. Andreae
Alciati illvstrata. Venetiis, MDCV.
- COULON, v. STEFFENS.
- [DELPLACE, Ludovicus, S. J.] — Synopsis actorum S. Sedis in causa
Societatis Iesu, 2 vol., Florentiae 1887, Lovanii 1895.
- De Disciplina Ordinis Cartusiani, v. LE MASSON.
- DITTRICH, Fr. — Regesten und Briefe des Cardinals Gasparo Con-
tarini (1483-1542)... Braunsberg, Verlag von Huye's Buchhand-
lung (Emil Beuder) 1881.
- DU CANDE, Carolus Dufresne, Dominus. — Glossarium ad scripto-
res mediae et infimae latinitatis... Editio nova locupletior et

- auctior opera et studio monachorum ordinis S. Benedicti a congregatione S. Mauri. Vol. 1-18, 1-4. Parisiis, M.DCC.XXXIII-VI.
- Epistolae Mixtae, ex variis Europae locis, ab anno 1537 ad 1556 scriptae, 5 vol., Matri, 1898-1901 (MHSJ).
- Epistolae P. Hieronymi Nadal Societatis Jesu, ab anno 1546 ad 1577, 4 vol., Matri, 1898-1905 (MHSJ).
- Epistolae PP. Paschasii Broëti, Claudii Jaji, Joannis Codurii et Simonis Rodericci, Societatis Jesu, ex autographis vel originalibus exemplis potissimum depromptae. Matri, 1903 (MHSJ).
- EUBEL, Conradus, O. M. Conv. — Hierarchia catholica medii aevi, 3 vol., Monasterii, 1898-1910.
- Fabri Monumenta. — Beati Petri Fabri, primi sacerdotis e Societate Jesu Epistolae, Memoriale et Processus ex autographis aut archetypis potissimum deprompta, Matri, 1914 (MHSJ).
- FEDER, Alfred, S. J. — Aus dem Geistlichen Tagebuch des hl. Ignatius von Loyola, Nach dem spanischen Urtext übertragen, eingeleitet und mit Anmerkungen versehen... 1922. Verlag Josef Kösel & Friedrich Pustet K.-G. Verlagsabteilung Regensburg.
- FERRERES, Juan B., S. J. — El Breviario y las nuevas rúbricas, 2 vol., Razón y Fe, Madrid, 1914.
- FINE, Eduardus, S. J. — Iuris regularis tum communis tum particularis quo regitur Societas Jesu Declaratio... Prati, 1909.
- FOUQUERAY, Henri, S. J. — Histoire de la Compagnie de Jésus en France des origines à la suppression, 5 vol., Paris, 1910-1925.
- S. Franciscus Borgia, quartus Gandiae dux et Societatis Jesu Praepositus generalis tertius, 5. vol., Matri 1894-1911. (MHSJ).
- FRANCO, Antonio, S. J. Imagem da virtude em o noviciado da Companhia de Jesus... de Coimbra, 2 vol., Evora-Coimbra 1719.
- GAGLIARDI, Achilles, S. J. — Ad Patres ac Fratres Societatis Jesu De plena cognitione Instituti, Brugis, editio tertia, sine anno; prima anno 1841.
- GODET, Marcel. — La Congrégation de Montaigu; 1490-1580... Paris, Librairie ancienne Honoré Champion, 1912.
- GÓNGORA, Diego Ignacio — Fundador magnífico y magnífica fundación del Colegio de Santo Tomás de Aquino de la M. N. y M. L. ciudad de Sevilla... por D. Fernando de Góngora su hijo... *Hic titulus est in p. [xix]; in p. [iii]: Historia del Colegio Mayor de Sto. Tomás de Sevilla. Publícalo por primera vez con un prólogo del Emmo. y Rmo. Señor D. Fr. Zeferino, cardenal González, el Exmo. Señor D. Enrique de la Cuadra y Gibaja, Tomo I, Sevilla, 1890.*
- GROTEFEND, Dr. H. — Zeitrechnung des Mittelalters und der Neuzeit, 2 vol., Hannover, 1891-1892.
- Taschenbuch der Zeitrechnung des Mittelalters und der Neuzeit, Hannover 1915.
- HANSEN, Joseph. — Rheinische Akten zur Geschichte des Jesuitenordens, 1542-1582, Bonn, 1896.
- HERMAN, J. B., S. J. — La Pédagogie des Jésuites au XVI^e siècle... Louvain, Bureaux du Recueil; Bruxelles, A. Dewit, Libraire-Éditeur; Paris, A. Picard et Fils, Éditeurs, 1914.

- HOLSTEN, Lucas. — Lucae Holstenii vaticanae basilicae canonici et bibliothecae praefecti Codex Regularum monasticarum et canonicarum... Collectus olim a S. Benedicto Anianensi Abbe... Observationibus critico-historicis a P. R. P. Mariano Brockie... illustratus: eoque pie defuncto Ab alio ejusdem Coenobii, Nationis et instituti Asceta ulterius continuatus... Augustae Vindelicorum, Sumptibus Ignatii Adami et Francisci Antonii Veith Bibliopolarum, anno MDCCCLIX, 6 vol.
- HURTER, Hugo, S. J. — Nomenclator litterarius recentioris theologiae catholicae, 5 vol., Oeniponte, 1892-1913.
- IGNATIUS de Loyola, S. — Exercitia spiritualia... Textus hispanus et versio litteralis Autographi hispani, auctore A. R. P. Joanne Roothaan praeposito generali Societatis Jesu. Ex editione quarta romana anni 1852. Taurini-Romae, Marietti, 1928.
- Cartas, 6 vol., Madrid, 1874-1889.
- Primum ac Generale Examen, Romae, 1558. Declarationes in Examen.
- Constitutiones Societatis Iesu, Romae, 1558.
- Declarationes et Annotationes in Constitutiones Societatis Iesu, Romae, 1559.
- Constitutiones et Declarationes Examinis generalis Societatis Iesu, Romae, M.D.LXX.
- Constitutiones Societatis Iesu cum earum Declarationibus, Romae, M.D.LXX.
- Constitutiones Examinis Generalis Societatis Iesu, Romae, M.D.LXX.
- Constitutiones Societatis Iesu, Romae, M.D.LXX.
- Constitutiones et Declarationes Examinis generalis Societatis Iesu, Romae, M.D.LXXVII.
- Constitutiones Societatis Iesu cum earum Declarationibus, Romae, M.D.LXXVII.
- Constitutiones Societatis Iesu cum earum Declarationibus, Romae, MDLXXXIII.
- Constitutiones Societatis Iesu, Romae. M.D.LXXXIII.
- Constitutiones Societatis Iesu Latinae et Hispanicae cum earum Declarationibus, Romae, M.DC.VI.
- Constitutiones Societatis Iesu Latinae et Hispanicae cum earum Declarationibus, Matriti, MDCCXCII. *Hanc editionem curavit P. Joannes Josephus de la Torre S. J.*
- Constitutiones Societatis Iesu cum declarationibus, Romae, MDCCCCVIII.
- Constituciones de la Compañía de Jesús, y sus Declaraciones, Reproducción fototípica del original, Roma, Stabilimento Danesi, M.CM.VIII.
- Institutum Societatis Iesu, 2 vol., Pragae, 1705.
- 2 vol., Pragae M.DCC.LVII.
- 2 vol., Romae, 1869-1870.
- 3 vol., Florentiae, 1892-1893.
- KATTERBACH, Bruno, O. F. M. — Specimina Supplicationum ex Registris vaticanis... Pars I, Prolegomena et Tabulae, Romae, Ex Bibliotheca Apostolica Vaticana, MCMXXVII.
- Studi e Testi 55. Sussidi per la consultazione dell' Archivio Va-

- ticano volume II... Referendarii utriusque Signaturae a Martino V ad Clementem IX et Praelati Signaturae supplicationum a Martino V ad Leonem XIII, Città del Vaticano, Biblioteca Apostolica Vaticana, MCMXXXI.
- KIRCH, Conradus, S. J. — Enchiridion fontium Historiae ecclesiasticae, Friburgi Br., Herder, 1914.
- KLEISER, Alfons, S. J. — Ein Seeleneroberer, Lebenserinnerungen des ersten flämischen Jesuiten Cornelius Wischaven... 1930, Ferdinand Schöningh, Verlag, Paderborn.
- LA TORRE, Joannes Iosephus de, S. J. — v. Ignatius de Loyola, S., Constit..., Matriti.
- LANCIUS, Nicolaus, S. J. — De Praestantia Instituti Societatis Iesu, Cracoviae, 1890.
- LE MASSON, R. P. D. Innocentius. — Disciplina Ordinis Cartusiensis, Monstrolio, 1894.
- LETURIA, Pedro, S. J. — Nuevos datos sobre San Ignacio, Bilbao, 1925.
- LIGORIO, S. Alphonsus M. de. — Theologiae Moralis, Editio nova... cura et studio P. Leonardi Gaudé e Congregatione Sanctissimi Redemptoris, 4 vol., Romae, 1905-1912.
- Litterae apostolicae, quibus institutio, confirmatio, et varia priuilegia, et indulta Societatis Iesu a Sede Apostolica concessa continentur... Romae, in aedibus Societatis Iesu, 1559.
- Litterae Apostolicae, qibus institutio, confirmatio et varia Priuilegia Societatis Iesu continentur... Romae in Collegio Societatis Iesu, M.D.LXVIII.
- Litterae [sic] Apostolicae, quibus institutio, confirmatio et varia priuilegia continentur Societatis Iesu... Romae in Collegio eiusdem Societatis M.D.LXXVIII.
- Litterae... M.D.LXXXVII.
- Litterae... Neapoli, in Collegio eiusdem Societatis, Ex Typographia Tarquinii Longhi 1598.
- Litterae... Romae, in Collegio Rom. eiusdem Societatis. Anno Domini MDCVI.
- Litterae... M.DC.XV.
- Litterae Quadrimestres, ex universis, praeter Indiam et Brasiliam, locis, in quibus aliqui de Societate Jesu versabantur, Romam missae, 7 vol., Matriti, 1894-1925, Romae 1932 (MHSJ).
- MANAREUS, Oliverius, S. J. — De rebus Societatis Iesu commentarius, Florentiae, 1886.
- MANSI, Ioannes Dominicus. — Sacrorum Conciliorum... Collectio, t. xxii, Venetiis, 1778.
- MARTINDALE, C. C., S. J. — In God's Army, I, Commanders-in-chief, London, 1915.
- MIR, Miguel. — Historia interna documentada de la Compañía de Jesús..., 2 vol., Madrid, 1913.
- MIRAEUS, S. — Codex Regvlarvm et Constitutvionvm clericalium... Antverpiae, Apvd Caesarem Ioach. Trognaesum, Anno M.DC.XXXVIII.
- Monumenta Ignatiana, ex autographis vel ex antiquioribus exemplis collecta. Series prima, Sancti Ignatii de Loyola epistolae et instructiones, 12 vol., Matriti, 1903-1911 (MHSJ).

- Series secunda, *Exercitia et Directoria*, 1 vol., Matri, 1919 (MHSJ).
- Series quarta, *Scripta de Sancto Ignatio de Loyola*, 2 vol., Matri, 1904-1918 (MHSJ).
- Monumenta Paedagogica Societatis Jesu*, quae primam rationem studiorum anno 1586 editam praecessere, Matri, 1901 (MHSJ).
- Monumenta Xaveriana*, ex autographis vel antiquioribus exemplis collecta, 2 vol., Matri, 1899-1912 (MHSJ).
- MORONI, Gaetano — *Dizionario di erudizione storico-ecclesiastica da S. Pietro sino ai nostri giorni...* Vol. 1-103, 1-6, Venezia, MDCCXL-MDCCCLXXIX.
- NADAL, v. Epist. P. Nadal.
- Hieronymus, S. J. — *Scholia in Constitutiones et Declarationes S. P. Ignatii...* Prati in Etruria, MDCCCLXXXIII.
- ORLANDINI, Nicolaus, S. J. — *Historiae Societatis Jesu Pars prima, sive Ignatius...* Antverpiae, M.DC.XX.
- OZWALD, Augustinus, S. J. — *Commentarius in decem partes Constitutionum Societatis Jesu...* 1902, Rurae mundae.
- PASTOR, Ludwig. — *Geschichte der Päpste seit dem Ausgang des Mittelalters*, 16 vol., Freiburg in Breisgau, 1891-1931.
- PINUS, Joannes, S. J. — *Acta Sanctorum Julii*, t. VII, Antverpiae, M.D.CCXXXI.
- POLANCO, Joannes Alphonsus de, S. J. — *Vita Ignatii Loiolae et rerum Societatis Jesu historia...* (Chronicon) 6 vol., Matri, 1894-1898 (MHSJ).
- Polanci Complementa. — *Epistolae et commentaria P. Joannis Alphonsi de Polanco e Societate Jesu addenda caeteris ejusdem scriptis dispersis in his MONUMENTIS...* 2 vol., Matri, 1916-1917 (MHSJ).
- Pontificale romanum, Clementis VIII ac Urbani VIII jussu editum et a Benedicto XIV recognitum et castigatum, Romae, 1890.
- POULAIN, Augustin, S. J. — *Des Grâces d'Oraison*, Traité de Théologie mystique; Dixième édition. Précedée d'une Introduction par J.-V. Bainvel professeur de Théologie à l'Institut catholique de Paris et augmentée d'un Appendice sur le Discernement des esprits, Paris, Gabriel Beauchesne, MCMXXII.
- PRAT, J. M. — *Histoire du Père Ribadeneira*, Paris, 1862.
- PRIERAS, Sylvester, O. P. — *Sylvestrinae Summae quae Summa Summarum... nuncupatur...* Lugduni, M.D.LXXII.
- PROU, Maurice. — *Manuel de Paléographie latine et française*, Paris, 1924.
- RAMIÈRE, Henricus, S. J. — *Compendium Instituti Societatis Jesu, praepositorum generalium responsis et auctorum sententiis illustratum...* editio tertia quam emendavit et recentioribus decretis auxit, novissimaeque Compendii Privilegiorum recensioni accommodavit P. Julius Besson, sacerdos ejusdem Societatis, Tolosae... 1896. Autographice bis prius editum, 1855 et 1880.
- Revue Bénédictine, Octobre 1930. — D. De Bruyne, La première règle de S. Benoit.
- Ribadeneira. — *Patris Petri de Ribadeneira, Societatis Jesu sacerdotis, Confessiones, epistolae aliaque scripta inedita*, 2 vol., Matri, 1920-1923 (MHSJ).

- RIBADENEYRA, Pedro de, S. J. — Tratado en el qual se da razón del instituto de la religión de la Compañía de de Jesús. Año 1605. Impresso en el Colegio de la Compañía de Jesús de Madrid.
- Obras del Padre Pedro de Ribadeneyra de la Compañía de Jesús, agora de nuevo reunidas y acrecentadas... En Madrid, en la imprenta de Luis Sánchez]. Año del Señor M.DC.V. *Vita S. Ignatii est in paginis 1-226, columnis duabus. Non est titulus totius Vitae, sed singuli libri suam habent inscriptio-nem, v. g. « Libro primero de la vida del bienaventurado Padre Ignacio de Loyola, fundador de la Compañía de Iesvs ». Hanc afferimus nomine Vida.*
- Vita Ignatii Loiolae, qvi Religionem Clericorum Societatis Jesu instituit, Madriti, M.D.LXXXV.
- Vita del P. Ignatio de Loyola... tradutta... da Giovanni Giolito de' Ferrari, in Venetia 1586. *Editionem novam curavit et brevi praefatione munivit P. Josephus Boero, S. J., a. 1863, Romae.*
- Petri Ribadeneirae e S. I. De Ratione Institutii Societatis Iesu ex hispano in latinum conversa a P. Laurentio Carli ex eadem Societate, Romae, Typis Civilitatis Catholicae, MDCCCLXIV.
- RIBERA, Francisco, S. J. — Vida de Santa Teresa de Jesús... Nueva edición... por el P. Jaime Pons, ambos de la Compañía de Jesús, Barcelona, Gustavo Gili, 1908.
- RODRIGUES, Francisco, S. J. — Historia da Companhia de Jesus na Assistência de Portugal, tomo I, Volume I Origens, Formação, Ministério; Volume II, Tribulação, Colégios, Missões; Pórtico, 1931.
- RUIZ AMADO, Ramón, S. J. — Don Miguel Mir y su Historia documentada de la Compañía de Jesús, Estudio crítico, Barcelona, Librería religiosa, 1914.
- SACCHINUS, Franciscus, S. J. — *Historiae Societatis Iesv pars II., sive LAINVS. Antverpiae, M.DC.II.*
- Pars III, sive BORGIA. Romae, M.DC.II.
- Pars IV, sive EVERARDUS... Romae, M.DC.LII.
- Pars V, sive CLAVDIVS. Tomvs prior... Res extra Europam gestas, et alia quaedam suppleuit Petrvs Possinvs ex eadem Societate. Romae, MDCLXI.
- Sancti Benedicti Regula Monachorum. Editionem critico-practicam adornavit D. Cuthbertus Butler abbas monasterii S. Gregorii Magni de Downside, Friburgi Brisgoviae, M.CMXII, B. Herder.
- SCHURHAMMER, Georg., S. J. — Die Zeitgenössischen Quellen zur Geschichte Portugiesisch-Asiens und seine Nachbarländer... zur Zeit des hl. Franz Xaver (1538-1552)... 1932, Verlag Asia Major G. M. B. H., Leipzig C.
- SCORRAILLE, Raul de, S. J. — François Suárez de la Compagnie de Jesús..., 2 vol., Paris, Lethielleux, 1911.
- SOMMEROV рEL, Carlos, S. J. — Bibliothèque de la Compagnie de Jésus, Première partie... Bibliographie, 9 vol., Bruxelles-Paris, MDCCXC-MDCCCC.
- STEFFENS, Franz. — Paléographie latine. 125 Fac-similés en phototypie... Edition française... par Remi Coulon O. P., 1910, Trèves s/M Paris.

- SUAREZ, Franciscus, S. J. — Tractatus de religione Societatis Jesu, Bruxellis, Parisiis, 1857.
- Summa sylvestrina, v. PRIERAS.
- TACCHI VENTURI, Pietro, S. J. — Le Case abitate in Roma da S. Ignazio di Loiola... Roma, 1899.
- La romanità dei Santi. La casa di S. Ignazio di Loyola in Roma. Roma, s. a.
- Storia della Compagnia di Gesù in Italia narrata col sussidio di fonti inedite, 2 vol., Roma, 1910-1922 — Primum vol. iterum editum est Romae 1931.
- TAURISANO, P. Innocentius, O. P. — Hierarchia Ordinis Praedicatorum, Pars prima, Romae, 1916.
- THOMAS AQUINAS, S., O. P. — Opera omnia iussu impensaque Leonis XIII P. M. edita, 15 vol., Romae, 1882-1930.
- VERMEERSCH, Arthurus, S. J. — Epitome Iuris Canonici cum Commentariis ad scholas et ad usum privatum, Tomus I, libri I et II Codicis iuris canonici. Quinta editio auctior et accurate recognita, Mechliniae - Romae, H. Dessian, 1933.
- WADDINGTON, Lucas, O. M. — Annales Minorum... Ed. 2, vol. 1-18. Romae, 1731-1740.
- [WERNZ, Franciscus Xav., S. J.] — Synopsis historiae Societatis Jesu, Ratisbonae, 1914.
- WETZER und WELTE's Kirchenlexicon, 13 vol., Freiburg im Breisgau, Herder'sche Verlagshandlung, 1882-1903.
- WICKHAM LEGG, I. The second recension of the Quignon Breviary... t. I-II, London 1908-1912.

NOTAE COMPENDIARIAE

1le., 2le. etc. =	Prima lectio, secunda lectio etc.	<i>Chron.</i> = Polanco, Chronicon in MHSJ.
AA. SS. =	Acta Sanctorum.	<i>cod.</i> = codex etc.
add. =	addit, additum etc.	<i>col.</i> = columna.
AHSI =	Archivum Historicum Societatis Jesu.	<i>coll.</i> = collegium.
alt. =	alter; alterum etc.	<i>Congr.</i> = Congregatio.
annot. =	annotatio.	<i>Const.</i> = Constitutiones.
apost. =	apostolus, apostolicus etc.	D. = Dominus, Don.
<i>Bobadillae Monum.</i> =	Bobadillae Monumenta in MHSJ.	<i>Decl.</i> = Declarationes Constitutio-
		num.
c., cº etc. =	caput, capitulo etc.	<i>del.</i> = deletum.
card. =	cardinalis.	<i>dioec.</i> = dioecesis.
cc. =	capita.	Dr. = Doctor.
Cf. =	Confer, conferatur etc.	e. c. = exempli causa.
		<i>ed.</i> = editum, editio.

- e. g. = exempli gratia.
 emend. = emendatum etc.
 Eph. = Ephemeris S. Ignatii.
 episc. = episcopus.
Epist. Mixtae = Epistolae Mixtae in MHSJ.
Epist. P. Nadal = Epistolae... in MHSJ.
Epist. PP. Broet... = Epistolae... in MHSJ.
Epist. P. Salmeronis = Epistolae... in MHSJ.
Ex. = Exercitia et Directoria in MHSJ.
Exam. = Examen (in Const. Soc. Jesu).
 F. = Frater, folium.
Fabri Monum. = Fabri Monumenta in MHSJ.
 Fr. = Frater, Fray.
 FF. = Fratres, folia.
 f., ff. = folium, folia.
 Fol. = Folium.
 H., HH. = Hermano, Hermanos.
 Ib. = Ibidem.
 Id. = Idem.
 i. e. = id est.
 Inst., Instit. = Institutum.
 l. = Liber, linea.
Lainii Monum. = Lainii Monumenta in MHSJ.
 l. c. = loco citato.
 litt. = littera.
 ll. = Libri, lineae.
 M., Mag., Mº etc. = Magister, Maestro etc.
 MHSJ = Monumenta Historica Societatis Jesu.
Monum. Ignat. = Monumenta Ignatiana in MHSJ.
Monum. Paed. = Monumenta Pae-dagogica, ib.
Monum. Xaver. = Monumenta Xaveriana, ib.
 monum. = monumentum.
 ms. = manu scriptum.
- mss. = manu scripta.
Matr. = Editio matritensis Constitutionum anni 1892.
 n., nn. = numerus, numeri.
 not. = notatio.
 N. = Noster, Nuestro.
 N. P. = Noster Pater, Nuestro Padre.
 N. S. = Nuestro Señor (Dios)
 N. S. P. vel S. P. N. = Nuestro Santo Padre vel Sanctus Pater Noster.
 obl. = obliteratum etc.
 om. = omissum, omittit etc.
 opp. = oppidum.
 P., PP. = Pater, Patres.
 p., pag., pp., pagg. = pagina, paginae, etc.
 p^a = prima, primera.
 Po. = Polanco.
 pº. = primero, primo.
Po. Compl. = Polanci Complementa in MHSJ.
 praep., praepos. = praepositus.
 prov. = provincia, provincialis.
 R. = Reverendus, Reverentia.
 r. = recto.
 rect. = rector.
 reg. = regio.
Ribadeneira = Patris Petri de Ribadeneira Confessiones... in MHSJ.
 S., SS. = Sanctus, Sancti.
 script. = scriptor.
 seq. = sequitur, sequuntur.
 seqq. = sequentia.
 ser. = series.
S. Franciscus Borgia (in MHSJ)
 S. S. = Sua Sanctitas, Su Santidad.
 Soc. = Societas Jesu.
 Sor., Sr. = Señor.
 t., tt. = tomus, tomi.
 V., v. = Verbum, verso, versus, vide.
 — Vestra, Vuestra.
 vv. = verba, versiculi.
 v. c., v. g. = verbi causa, verbi gratia.
 vol. = volumen.

MONUMENTA PRAEVIA

I

DELIBERATIO PRIMORUM PATRUM¹

1539

1. Seu teutiarum unitas et varietas. — 2. Statuunt privatum orare et
communiter consultare. — 3. Constituunt, Societatem confirmandam. — 4.
Quaerunt, sitne obedienciae votum in ea nuncupaudam. — 5-7. Deliberatio
ad dubii solutionem. — 8. Unauiuvi consensu affirmant. — 9. Alia fuisse
statuta iudicatur.

17v « 1539. EN TRES MESES. EL MODO DE ORDENARSE LA COMPAÑÍA »
PARA DAR OBEDIENCIA A UNO DELLA

[1] 12r Proxime elapsa quadragesima, cum instaret tempus in
quo oporteret nos ab inuicem diuidi ac separari², quod etiam

3 Praec. 1539 manu Sotuelli?, 2 alia manu.

¹ Ex codice E, ff. 12r-17v; 16r et v, 17r puris. Titulus alter hujus monumenti, « 1539... della » sumptus ex ipso codice, scriptus est manu P. Ignatii et Ferronii in ultimo folio verso. Quo loco sequitur manu Polanci: « para sacar toda »; alia manu: « 2, 7 » [7 deletum]; manu Sotuelli: « Epigraphe haec est scripta manu S. P. N. Exemplum huius scripti est in libro P. Natalis A, in capsula XXXI ». (Exemplum hoc est nunc in cod. *Iustit.* 221, ff. 125-129; illud nominamus *Na.*). Deinde, eadem manu « 1658 » (hoc anno Sotuellus erat secretarius Societatis). *Matr.* praeposuit titulum scriptum manu Sotuelli in prima pagina: « † /signum om. *Matr.*】 Deliberatio primorum Patrum, ante quam dispergerentur in diuersa loca, de constituenda congregacione seu Societate et obedientia praestanda vni ex ipsis eligendo ». V. *Proleg.*, c. 1, a. 1. Editum est olim a LANCICIO in opere *De Praestantia Instituti Societatis Iesu*, l. 1, c. 8; item in *Matr.*, pp. 297-299, et non integrum in *AA. SS.*, t. VII Julii, *De S. Ignatio Commentarius praevius*, § 27, nn. 280-287. (Ex *Actis Sauctorum* hunc semper Commentarium afferimus, nisi aliud monemus). Hispana translatio est in *Cartas de San Ignacio*, l, appendice 2, pp. 423-433, sumpta ex ALCÁZAR, *Chronohistoria de la Provincia de Toledo*, l, ff. 52-55 (ubi est 59, error typographicus, pro 55). Emenda in *Cartas annotationem* 1, pp. 423-424, in eo quod dicit « El original que era de mano propia de S. Ignacio ». Nam Pinus hoc ipsum exemplar nostrum transcripsit. Cf. *AA. SS.*, praesertim extremam § 27, n. 287. Hoc monumento usus est, praeter alias, RIBADENEIRA in *Vida*, l. 2, c. 13.

² Hoc ipso anno 1539 Senas missi sunt PP. Paschasius Broet et Simon Rodriguez (*Chrou.* I, 80, *Epist. P. Broeti...* 201); Parmam PP. Petrus Fa-

summis desideriis expectabamus, ut citius ad prefixum et preconitatum a nobis finem vehementerque desideratum perueniremus, decreuimus per multos ante separationem dies inter nos conuenire et tractare inuicem de hac nostra vocatione ac viuendi formula. Quod cum pluries fecissemus, aliquie ex nobis essent galli, alii hispani, alii sabaudi, alii cantabrii, in uarias sententias ac opiniones circa hunc nostrum statum scindebamur, eratque una omnium nostrum et communis mens et voluntas, querere scilicet Dei beneplacitam ac perfectam voluntatem, juxta scopum vocationis nostrae; verum in mediis expedientioribus et fructuosioribus, tam nobis quam caeteris proximis nostris, erat aliqualis pluralitas sentenciarum. Nec mirum cuipiam videri debet, quod inter nos, infirmos et fragiles hec pluralitas sentiendi interuenerit, cum etiam ipsi persancte Ecclesie principes et columnae apostoli³, aliquie plurimi quam perfectissimi viri quibus nos indigni sumus, ut cum illis, vel ex longinquo, conferamur, diuerso, interdum etiam aduerso modo, inter sese senserint; et sententias suas contrarias scripto tradiderunt. Cum ergo etiam nos varie quoque judicaremus, solicitique essemus ac vigilantes, ut aliquam viam plene apertam⁴ inueniremus, per quam incedentes, nos ipsos omnes in holocaustum offerremus Deo nostro, in cuius laudem, honorem ac gloriam cederent omnia nostra; tandem decreuimus, et concordi sententia statuimus, 12v orationibus et sacrificiis et meditationibus feruentius solito instare, et post adhibitam a nobis qualecumque diligentiam, de reliquo in Dominum iactare omnes cogitatus nostros, sperantes in eum, adeo bonum et liberalem, quod, sicut nulli petenti se in humilitate et simplicitate cordis denegat spiritum bonum, imo dat omnibus affluenter⁵, nulli improperans, nullo modo etiam de-

27 In *imo* fol. A, VII, 2. — 28 feruentis *ms.*, feruentius *Na.*

ber et Jacobus Laynez (*Chron.* I, 82 et *Fabri Monum.* 14); in regnum neapolitanum P. Nicolaus Bobadilla, (*Chron.* I, 85 et *Bobadillae Monum.* 16 et 21).

³ GAL. 2, 11.

⁴ *Matr.* legit *aptam*, p. 298; nullum tamen dubium est quin legendum sit *apertam*; est enim inter *a* et *tam* compendium syllabae *per* non aliter atque in verbis praecedentibus: *perueniremus*, *perfectam*, *persancte caet.*, et in sequentibus *improperans*, *superabundantius* *caet.*

⁵ JAC. 1, 5.

futurum nobis, imo affuturum, que sua est benignitas, superabundantius quam petimus aut intelligimus.

[2] Coepimus igitur humanos nostros conatus impendere, et proponere inter nos aliquot dubia, diligenti ac matura consideratione et prouidentia digna, de quibus per diem cogitare et meditari, et per orationes etiam inuestigare solebamus. Et noctu quisque id, quod rectius et expedientius judicauerat, in medium proponebat, ut sententiam magis veram, et plurium calculis et efficacioribus rationibus examinatam ac probatam, omnes vna amplecteremur.

[3] Prima nocte qua conuenimus, propositum fuit hoc dubium: an expediret magis, quod, postquam nos vitamque nostram Christo Domino nostro et eius vero ac legitimo vicario in terris obtuleramus et dedicaueramus, ut ille de nobis disponat, mitatque eo, ubi plus iudicauerit nos posse fructificare, siue sit⁶ — — — siue indi, siue heretici, siue alii quicumque fideles vel infideles; an, inquam, magis expediret nos ita esse inter nos deuinctos et colligatos in vno corpore, ut nulla, quantumcumque magna, corporum diuisio nos separaret; an forte non ita expediret. Quod, ut exemplo fiat manifestum, ecce modo sumus pontifex mittit ex nobis duos in ciuitatem Senarum; 13r debemusne illorum, qui illo pergent, curam gerere, vel illi de nobis, et mutuo nos intelligere, an forte non magis illos curare, quam illos qui sunt extra Societatem? Tandem diffiniuimus partem affirmatiuam, scilicet, quod, postquam clementissimus ac pientissimus Dominus dignatus fuerat nos, ita infirmos et tam ex diuersis regionibus et moribus natos, inuicem vnire et congregare; quod non deberemus Dei unionem et congregationem scindere, sed potius in dies confirmare et stabilire, reducendo nos ad vnum corpus, et alii aliorum curam habentes et intelligentiam ad maiorem fructum animarum, cum etiam virtus ipsa vnitate plus roboris et fortitudinis habeat ad quecumque bona ardua persequenda, quam si esset in plures partes dispersa. In his tamen omnibus, que dicta sunt et que dicentur, ita intelligi volumus, ut nihil penitus ex proprio nostro spiritu et capite

38 meditare *Ita.* — 44 ex expediret *ms.*

⁶ Locus est vacuus uni alterive verbo, fortasse *turca*, vel *ad turcas* ut est in monumento 4, n. [3].

asseramus, sed solum, quicquid id sit, quod Dominus inspirauerit, et sedes apostolica confirmauerit ac probauerit⁷.

[4] Deciso et resoluto primo hoc dubio, peruentum est ad aliud difficilius, non minori consideratione ac prouidentia dignum: an, scilicet, postquam nos omnes emiseramus votum castitatis perpetue et votum paupertatis in manibus reuerendissimi legati sue sanctitatis, cum ageremus Venetiis⁸, an, inquam, expediret emittere tertium, scilicet, obediendi alicui ex nobis, ut sincerius et maiori cum laude et merito possemus per omnia implere voluntatem Domini Dei nostri, simul etiam liberam voluntatem ac preceptum sue sanctitatis, cui nos libentissime nostra omnia, voluntatem, intellectum, potentiam etc. obtuleramus.

[5] 13v Ad huius dubii solutionem, cum multis diebus orationi instaremus ac cogitaremus, nihilque occurreret quod impleret animos nostros, in Domino sperantes, coepimus inter nos agitare aliqua media ad melius soluendum dubium. Et primo: anne expediret omnes nos ad heremum aliquam secedere, ibique manere per triginta vel quadraginta dies, meditationibus, ieuniis et penitentiis vacantes, ad hoc, quod Dominus exaudiret desideria nostra, dignareturque mentibus nostris solutionem dubii infigere; an vero tres vel quatuor, omnium nomine, eo pergere deberent ad eundem effectum; an vero si nulli in heremum essent ituri, quod, intra urbem manentes, medium diei partem huic vni nostro negotio applicaremus, ut meditationi, cogitationi et orationi esset commodior et amplior locus, et reliquam diei partem solitis nostris exercitiis predicandi, confessiones audiendi impenderemus.

[6] Tandem, his discussis et examinatis, statuimus: quod omnes maneremus intra urbem, duabus presertim de causis: prima, ne fieret rumor et scandalum in ciuitate et in populo, qui iudicaret ac putaret, que solita est hominum in iudicando temerarie pronitas, nos vel fugam cepisse vel aliquid noui moliri, vel paruum firmos esse et constantes in semel ceptis. Secunda,

88 pergeret *He.* — 92 commodius et amplius *He.* — 4 cepisse *ms.*

⁷ Notanda est sententia, a verbis *In his tamen omnibus*, normam agendi continens, in omnibus deliberationibus nostrorum Patrum intelligendam.

⁸ Quo tempore sacerdotio iniciati sunt, anno 1537. Cf. *Monum. Ignat.* ser. 4^a, I, 93 et ser. 1^a, I, 120.

ne interim per absentiam iactura fieret fructus, quem tunc magnum videbamus fieri in confessionibus, predicationibus et in aliis spiritualibus exercitiis; et adeo magnum quod, si fuissemus in numero quadruplo plures quam eramus, non poteramus omnibus, sicut nec modo, satisfacere. Secundum, de quo **14r** cepimus agitare ad inueniendum viam solutionis, fuit propone omnibus et omnium cuilibet tres sequentes animi preparations. Prima est, quod vñusquisque ita se prepararet, ita orationibus, sacrificiis et meditationibus vacaret, ut niteretur in inuenient do gaudium et pacem in Spiritu Sancto circa obedientiam, quantum ex se est laborans habere voluntatem magis affectam ad obediendum quam ad precipientum, vbi par Dei gloria et sue maiestatis laus sequeretur. Secunda animi preparatio est, quod nullus ex sociis apud alterum socium hac de re verba faceret, vel quereret ab eo rationes, ut nulla alterius persuasione alias traheretur, et flecteretur magis ad obediendum quam ad non obediendum, vel contra; sed quod vñusquisque id solum quereret, quod ex oratione et meditatione, tanquam expedientius, hausisset. Tertia, quod quilibet reputaret se ipsum alienum ab hac nostra congregacione, et in quam nunquam exspectaret recipi, ut ex hac consideratione nullis prorsus affectibus feratur ad magis ita opinandum et judicandum, sed, quasi alienus, libere proferat suam sententiam in medium circa propositum obediendi vel non obediendi, et tandem eam partem suo iudicio confirmaret ac probet, per quam credit maius Dei futurum seruitium, et tutiorem Societatis conseruationem permansuram.⁹

[7] His praeuiis animi dispositionibus, ordinauimus, quod die sequenti omnes preparati accederemus, dicturi quilibet ea omnia incomoda, que fieri possent contra obedientiam, omnes rationes que occurreabant, et quas quisque nostrum separa- **14v** tim cogitando, meditando, orando inuenierat, et quilibet ordine suo proferebat que hauserat. Exempli gratia, dicebat vñus: videtur quod hoc nomen religionis seu obedientie non ita bene audit in populo christiano, propter demerita et peccata nostra, sicut audire debuisse. Alius vero dicebat: si volumus viuere sub obedientia,

12 quilibet *Ille.* — 16 laborante *Ille.* — 17 percipientum *Ille.* — 21 quam non *Ille.* — 29 conformet *Ille.* — 36 quibet *ms.*; proferabat *Ille.*

⁹ Cf. *Exercitia*, n. 185.

cogemur forte a summo pontifice sub alia regula iam facta et constituta viuere; quo fieret, vt, cum non ita daretur opportunitas et locus operandi circa salutem animarum, cui vnicae rei, post nostri ipsorum curam, intendimus, frustarentur omnia desideria nostra, iudicio nostro Domino Deo nostro accepta. 45 Item aliis: si prestamus obedientiam alicui, non tot ingredientur in congregationem nostram ad laborandum fideliter in vinea Domini, in qua, cum tanta sit messis, pauci tamen inueniuntur veri operarii, et plures, quae hominum est infirmitas et fragilitas, magis querunt que sua sunt et propriam voluntatem, quam que 50 Jesu Christi¹⁰ et plenam sui negationem. Item aliis alio modo, et ita quartus et quintus etc., enarrans incommoda, que contra obedientiam occurabant. Alia vero die proxime sequenti disputabamus in contrarium, adducentes in medium omnia comoda et fructus ipsius obedientie, quos quisque in oratione et 55 meditatione hauserat; et quilibet suo ordine proferebat meditata, modo deducendo ad impossibile, modo simpliciter et affirmatiue agendo. Exempli gratia: aliquis ita deducebat rem ad absurdum et impossibile: si congregatio haec nostra absque suauia obedientiae jugo haberet curam rerum agibilium; nullus 60 haberet curam exactam, 15r cum vnuis in alterum hoc onus reiiceret, ut pluries experti sumus. Item, si haec congregatio esset sine obedientia, non diu posset permanere et perseverare, quod 65 a me pugnat contra primam nostram intentionem conseruandi perpetuo nostram Societatem; cum ergo nulla re magis conseruetur congregatio aliqua quam obedientia, videtur nobis necessaria, maxime nobis, qui vouimus perpetuam paupertatem, et versamur in assiduis et iugibus laboribus, tam spiritualibus quam temporalibus, in quibus minus conseruatur societas. Affirmatiue dicebat aliis sic: obedientia parit actus et virtutes heroicas 70 etiam continuas. Nam qui viuit vere sub obedientia, est promptissimus ad exequendum quecumque sibi iniungerentur, siue illa essent difficillima, siue confusionem et risum et spectaculum mundo generantia: vt, verbi gratia, si imponeretur michi, quod ego incederem nudus, vel indutus vestibus inusitatis per vicos 75

43 vnicae Ile. — 44 ipsorum ms. — 47 congregationem ad Ile. — 68 versantur ms.
— 72 iniungerentur Na., iniungentur ms., errore transribentis a pro re, ut videtur.

et plateas; quod, licet nunquam precipiatur, dum quisque tamen est paratissimus ad illa facienda, negando proprium iudicium et omnem suam voluntatem; ille esset semper in actibus heroicis et meritum augmentibus. Item nichil ita prostrat superbiam
 80 omnem et arrogantiam, quam obedientia. Nam superbìa magni facit, vt sequatur proprium iudicium et propriam voluntatem, nulli cedens; ambulans in magnis et in mirabilibus super se¹¹; contra vero per diametrum pugnat obedientia; semper enim sequitur judicium alienum et voluntatem alterius, omnibus cedit, et humilitati, quae inimica est superbiae, quam maxime sociatur.
15v Et quamquam nos sumo pontifici ac pastori donaue-
 85 rimus omnem obedientiam, tam vniuersalem quam particularem, tamen circa particularia nostra et contingentia, que sunt innu-
 mera, non poterit, nec, si posset, deceret, illum vacare.

[8] Postquam ergo multis diebus plurima hinc et inde agitavimus circa solutionem dubii pensando et examinando rationes gra-
 uioris momenti et efficaciores, vacando exercitiis solitis orationis,
 meditationis, cogitationis; tandem, Domino prestante auxilium,
 non per plurimum vocum sententias, sed nullo prorsus dissis-
 95 dente, conclusimus: nobis expedientius esse et magis neces-
 sarium, prestare obedientiam alicui ex nostris, ut melius èt exactius prima nostra desideria, implendi per omnia diuinam voluntatem, exequi possimus, et ut tutius conseruetur Societas,
 et tandem, ut negotiis occurrentibus particularibus, tam spiritua-
 5 libus quam temporalibus, decenter prouideri possit.

[9] Seruato similiter eodem ordine discutiendi et procedendi in reliquis omnibus, semper in utrunque partem agendo, inmorati sumus in his et aliis per tres fere menses, a medio quadragesime¹² usque ad festum Joannis Baptiste inclusive. Quo die omnia sua-
 10 uiter et concordi animorum consensu terminata ac finita sunt, non sine magnis vigiliis, orationibus et laboribus mentis et corporis premissis, antequam hec definiremus et deliberaremus.

80 obedientiam *Ile.* — 81 facit et *Ile.* — 90 agitabimus *Ile.* — 94 nuncum *Na.*, du-
 bium est utrum ms. habeat votum an vocum, certe non habet votorum quod est in
Matr. — 9 die add.

¹¹ PSAL. 130, 1.

¹² Anno 1539 feria quarta cinerum seu initium quadragesimae fuit dies
 19 Februarii, dominica paschatis 6 Aprilis.

2

DE OBEDIENTIAE VOTO FACIENDO¹

15 APRILIS 1539

Expedit, ut in Societate votum obedientiae fiat.

Ego N. subscriptus fateor coram omnipotenti Deo et Beatisima Virgine Maria et uniuersa curia caelesti quod, oratione ad Deum praemissa et re mature pensata; sponte deliberaui tanquam meo iudicio magis expediens ad Dei laudem et perpetuitatem Societatis quod esset in ea obedientiae uotum, et deliberate me obtuli, citra uotum tamen et obligationem aliquam, ad eandem Societatem intrandam, si a papa, Domino concedente², confirmaretur, ad cuius deliberationis (quam ex Dei dono me habere recognosco) memoriam, nunc ad sacratissimam communionem, quanuis indignissimus, cum eadem deliberatione accedo. Die martis, quindecima Aprilis 1539³.

† Caçres⁴, Johannes Coduri, Laynez, Salmeron, Bobadilla, Paschiasius Brouet, Petrus Faber, Franciscus, Ignatius, Symon Rodorici, Claudius Jaius.

10 indignissimus et Ile.

¹ Ex apographo in codice *Epp. NN.* 98, (prius 90) f. 7. Inscriptio a nobis praeposita est. Hujus apogr. imaginem photographicam dedit *Xaverius-Kalender* 1922, Achen, p. 41. Aliud apogr. est Lugduni, in Gallia, in Musaeo *Propagation de la Foi*, de quo v. *Proleg.*, c. 1, a. 2. Imago hujus apud P. M. BAUMGARTEN, *Die Katholische Kirche*, III, *Das Wirken der Katholischen Kirche*, München, 1902, p. 33. Tertium apogr. in cod. *Opp. NN.*, 42, f. 32. Quarti meminit SCHURHAMMER, *Die zeitgenössischen Quellen*, p. 29, n. 373, ex Bibliotheca Nationali, Romae, Gesuit. 1372, 121 A 16. Ih. Ibidem notatur iteratio apographi lugdunensis, addito nomine Francisci Xaverii, apud C. C. MARTINDALE S. J., *In God's Army I, Commanders-in-chief*, London, 1915, p. 109. Editum olim est in *AA. SS.*, § 28, n. 288.

² In ms. legitur sine virgulis hoc modo: *si a Papa domino concedente confirmaretur*. Mutavimus more nostro maiusculam litteram verbi *Papa* in minusculam; minusculam autem verbi *domino* in maiusculam, quia censemus hanc vocem ad Deum referendam, ablativum vero, *Domino concedente*, esse absolutum, non continuatum cum ablativo *papa*. In cod. *Opp. NN.* 42 est « a PP. Dno concedente ».

³ Locus nullus notatur in monumento ipso; at ex re de qua agitur, et ex monumento praecedenti sequitur factum esse Romae.

⁴ Circa hunc Cáceres v. *Proleg* I. c., n. 6.

3

CONCLUSIONES SEPTEM SOCIORUM¹

MAJO-JUNIO 1539

1. *Votum obediendi suummo pontifici.* — 2. *Minus sufficientes idem voeant.* — 3. *Tradenda mandata.* — 4. *Tempus statuendum, quo id fiat.* — 5. *Assumantur dies quadraginta.* — 6. *Quibus officiis quisque fugi debeat, judicet praelatus.* — 7. *Quid faciendum volenti aliquo ire.* — 8. *Pueri doeendi per horam.* — 9. *Probationis tempus et praesens paupertas.* — 10. *Dispensatio probationum.* — 11. *Quid praestandum volenti terras infidelium adire.* — 12. *Confirmatur votum doeendi pueros.* — 13. *In rebus definiendis standum est majoris partis judicio.* — 14. *Moderator supremus unus ad vitam.* — 15. *Accipiantur domus seu ecclesiae sine jure proprietatis.* — 16-17. *De admissione et dimissione.*

9v « DETERMINATIONES SOCIETATIS »

3r ihs

Die quarta mensis Maii quae fuit sancte crucis festiuitas², conclusa fuerunt ab omnibus ex octo³, nemine discrepante, ea quae sequuntur, et sequenti proxima die, quae fuit dominica, eadem confirmata.

¹ Ex autographo B. Petri Fabri in codice E, ff. 3r-9v; 7v, 8r et 9r puris. Titulum, manu S. Ignatii in f. 9v scriptum, ex ipso monumento sumimus. Ibidem tres notae sunt manu Sotuelli: « Manus S. P. N. »; « Determinationes Societatis 1539 »; « Exemplum huius scripti est in libro P. Natalis, A, in capsula XXXI ». In f. 8v manu ignota, Sotuello antiquior: « Conclusiones factae a septem /2 vv. manu Sotuelli, ab octo 11eJ nemine discrepante ». Addidit Sotuellus: « Manu P. Petri Fabri conscriptae 1539, 4 Maj ». Signum archivi: « A - VII - 2 » [prius 3; vel 3, prius 2]. Est apographum in codice Instit. 221, ff. 116 sqq., quod est Natalis exemplum, in annotationibus a nobis interdum adhibitum vocatumque Na. Item in Biblioteca Nazionale Romae, Ges. 1372 (3501) f. 128. Editum in Matr. pp. 300-301. Vide Proleg. c. 1, a. 3, ubi etiam invenies, cur sociorum sex tantum e decem primis nomina sua infra subscriperint.

² V. Proleg. c. 1, a. 3.

³ Sociorum decem, qui Romam convenerant, duo abfuisse jam videntur hoc tempore, Paschasius Broet et Simon Rodriguez. V. Proleg., c. 1, a. 3, n. 2.

PRIMUM

[1] Quod quicumque congregationem dictam vel Societatem est [ingressurus], teneatur facere votum obedientie expressum ipsi summo pontifici; quo quidem se offerat iturum ad quas-¹⁰ cumque provincias vel regiones, tam fidelium quam infidelium, et hoc est quantum ad eos, qui habuerint sufficientiam vt possint prodesse proximis ad quos mittentur; hoc vero votum fiet summo pontifici per manus prelati Societatis, vel per manus totius Societatis, et non apud ipsummet pontificem, nisi aliquis ¹⁵ eius conditionis esset, vt de quo judicaret prelatus Societatis vel Societas, quod esset expediens ipsum debere emittere votum ipsum immediate apud summum pontificem.

3v SECUNDUM

[2] Illi etiam qui erunt minus sufficientes non recipientur nisi eodem spiritu ducantur, ita quod etiam voweant se obedituros \texttimes summo pontifici, si mittantur ad infideles, etiamsi *nihil*⁴ aliud possent prestare apud eos, quam dicere quod Christus est saluator: et si mittentur ad fideles, vt saltem [doceant] Pater no-²⁵ster, mandata Dei etc., publice vel priuatim, secundum prelati sui aut ipsius summi pontificis immediate mandatum.

TERTIIUM

[3] « **Constitutiones** »⁵. Quod docendi erunt pueri vel alii quicumque ipsa mandata.

⁹ ingressurus legi nequit in ms. ob corrosam chartam, sumitur ex Na.; idem dic de verbo doceant infra. — 17 ipsum add., talem lle.

⁴ Verbum *nihil* et reliqua litteris inclinatis in textu exscripta, notata sunt tractu calami in ms., iisdemque locis respondet fere in margine signum crucis (\texttimes), omnibus locis praeter unum, ubi est Q vel e. Haec littera addita est ter in margine hujus monumenti, ac dubium est sitne Q an e; exscriptius tamen Q, quia littera Q formae similis saepe invenitur in monumentis nostris illius temporis, v. g. in textibus Constitutionum.

⁵ Ms. habet « cō » in margine, manu S. Ignatii. Est prima syllaba verbi *constitutiones* qualis ab illo scribi solet; cumque multo saepius numerus pluralis quam singularis in locis similibus inveniatur, evolvimus notam compendiariam in numerum plurem. Idem accidit locis quatuor aliis hujus monumenti.

4r QUARTUM

[4] « **Constitutiones** ». Quod assumendum sit determinatum tempus, quo possint tradi certo ordine et debito modo ipsa mandata ac rudimenta.

QUINTUM

[5] « **Constitutiones** ». Quod quadraginta dies assumi habeant in anno, in quibus diebus doceantur talia rudimenta, includendo in his XL dies dominicos ac festos intercedentes, in quibus tamen dominicis ac festis non necesse sit docere mandata; et ita item capiendo XL, quod non sit locus scrupulis, ita quod si 40 duo vel tres deessent, aut etiam quippiam amplius, hoc non sit contra presens institutum.

4v SEXTUM

[6] ☩ Si debeat quis, veniens in vnum locum, docere mandata quam predicare vel alia facere aut e contra, hoc relinquendum 45 est judicio ipsius prelati Soçietatis.

SEPTIMUM

[7] ☩ Si quis huius congregationis habuerit *aliquid* desiderium eundi ad vnam prouinciam potius quam ad aliam, siue fidelium siue infidelium, is nullo modo recurrere possit directe 50 vel indirecte, per se vel per alium, ad summum pontificem, vt ab ipso mittatur, sed maneat sub judicio congregationis vel eius prelati cui vel quibus ostendat tale desyderium suum aut judicium, facturus quicquid mandarit.

5r ihs

55 Sabbato ante dominicam quartam post pasca conclusa sunt, et sequenti dominica⁶ confirmata, nemine discrepante, hec duo, scilicet :

33 mandata a *Ile.* — 40 etiam aliquid *Ile.* — 44 facere vel *Ile.* — 47 Si quis prof, imp. v. professus, *Ile.* — 56 sequenti do *Ile.*; *supra* duo est tria obl.

⁶ Diebus 3 et 4 Maji, iisdem qui in prima paragrapho *festivitas Sanctae Crucis et dominica sequens* nominantur. V. *Proleg.*, c. 1, a. 3, n. 2.

[8] **Q.** Quod doceantur pueri *per spacium vnius hore*, non accipiendo tamen horam scrupulose, sed secundum judicium probabile docentis.

60

SECUNDUM

[9] Quod qui admittendi sunt, debeant prius quam probentur anno probationis, expendere tres menses in exerciciis spiritualibus, in peregrinatione et seruicio pauperum hospitalium, vel ~~¶~~ alio, ita tamen quod *hec distributio* trium mensium fiat secundum judicium prelati congregationis, vel totius Societatis, verbi gratia, si debeant insumi duo menses toti in peregrinatione, vel toti in seruicio hospitalis vel singuli vnicuique ministeriorum, etc. Et item *quod actu sit* pauper ante admissionem ad probationem quisquis est intraturus.

65

[10] In his etiam sine discrimine omnes consenserunt, quod ~~¶~~ relinquendus *esset posticus* talis circa illos tres menses, quod, si esset aliquis tanti momenti, puta, nobilis, ac potentium parentum vel amicorum, de quo esset periculum si peregrinaretur, vel esset in seruicio hospitalitatis, in tali casu possit dispensare ⁷⁰ prelatus vt non peregrinetur aut non seruiat hospitali.

[11] 5v Hoc quoque absque discrepantia confirmatum fuit, vt si quis ostenderit desyderium suum aliquod eundi ad terras infidelium, ipsi prelato vel toti Societati, et summus pontifex reliquo querit hoc horum judicio, *talis exerceatur* per spacium decem dierum in rebus spiritualibus, ordinatis ad hoc, vt cognoscatur quo spiritu ducatur juxta illud: probate spiritus, si ex Deo sunt ⁷⁵ etc., et postea mittatur, si videbitur ipsi prelato vel Societati.

80

[12] **Q.** Die veneris ante pentecostem eiusdem anni⁸ ab omnibus, dempto Bouadilla, conclusum fuit et confirmatum, quod ille articulus qui est de docendis pueris per quadraginta dies, vt supra, et per vnam horam, caderet sub votum formale, obligans ad peccatum mortale, sicuti et cetera vota obediendi prelato et summo pontifici, et de non recurrendo ad ipsum cum quis velit mitti immediate.

85

⁶⁷ menses in Ille. — ⁷⁴ vel amicorum add.; peregrinaretur bis script., semel obl. — ⁸⁹ ipsum vt quis Ille.

⁷ 1 Jo. 4, 1.

⁸ 23 Maij. Meminit Faber « ejusdem anni », nec tamen annum ullum praemisit.

90 [13] Simul autem determinatum fuit et confirmatum, quod
in omnibus rebus istis tractandis, cuiuscumque sint importantie,
 standum sit maioris partis judicio, ita tamen quod, sicut hacte-
 nus factum est, pro rebus grauioribus accipientur tres dies, et
 tertio die concludatur id, quod videbitur pluribus, cui quidem
 95 sententie subscriberunt **6r** infra scripti, existimantes non esse
 equum, vt si quis in hoc principio a ceteris dissentiret, is non
 admittatur in vllis diffiniendis.

Petrus Faber

Claudius Jaius

Jo. Codurj

Salmeron

Ynigo

Caçres

Laynez⁹

5

6v Pridie octauae Corporis Christi¹⁰ fueron determinados,
 aunque no así cerrados, los tres puntos siguientes.

10 [14] « **Constitutiones** ». 1 c. Quod erit vnum prelatus in
 tota Societate, qui eligitur in perpetuum, id est ad vitam, se-
 gún las exceptiones que después se determinarán.

[15] Q. 2 c. Quod accipientur domus seu ecclesie ad habi-
 tandum, ita tamen, quod nullum jus proprietatis in ipsas sumatur,
 15 sed ita quod liberum sit illis, qui dederint vsum earum, quando-
 cumque volent, absque vlla contradictione ipsas rehahere, immo
 vero, neque sit nobis jus litigandi pro ipsis, quomodocumque
 relictis, contra quemque omnino etiam iniuste querentem.

[16] « **Constitutiones** ». 3 c. In recipiendis et dimittendis
 20 nouitiis prelatus tenebitur accipere judicium aliquorum sue congre-
 gationis, secundum quod videbit se posse magis informari ab eis
 de eo quod expedit circa talem admissionem vel emissionem:
 quo facto, ipse, recurrente ad Deum, determinabit ac definiet
 secundum ei videbitur magis facere ad laudem Dei et commu-

14 sumantur *Ile.* — 15 earum quamque *Ile.* — 21 posset *Ile.*

⁹ *Matr.*, p. 301, subter nomine Petri Fabri addit *Paschasius*; juxta
 nomen Claudii Jaji apponit *Bobadilla*. Perperam addita haec esse, in *Prolegomenis* ostendimus. P. Tacchi Venturi annotat, editorem matritensem sibi
 aperte ingenuaque dixisse, se in ea re in errorem incidisse. *Storia*, II, 198,
 annot. (a).

¹⁰ 11 Junii. V. *Proleg.*, c. 1, a. 3, n. 2.

nitatis illius profectum, libere ipse solus judicans, an talis de- 25
beat admitti vel non, et ita de expeditione alicuius.

[17] 7r « **Constitutiones** ». In tribus tamen casibus prelatus non habebit hoc ipsum definire, nec ullum votum : primo quando intraturus esset consanguineus aut affinis ipsius ; 2º quando es- set conterraneus eiusdem loci, aut ita propinquus, quod posset 30 esse probabilis suspicio, quod prelatus circa tales posset moueri affectu propinquitatis ; 3º quando intraturus esset filius spiri- tualis talis prelati, siue hoc esset propterea quod dederit ei exer- citia spiritualia, siue ex eo quod sit eius confessor. In his autem tribus casibus juditium de admittendo tali vel emittendo 35 pertinebit ad maiorem partem reliquorum eius congregationis ac conuentus.

4

PRIMA SOCIETATIS JESU INSTITUTI SUMMA¹

AUGUSTO 1539

1. *Paulus III ex plurium sermone rationem vivendi audivit, quam Ignatius ejusque socii jamdiu profitentur; quam rationem quinque capitibus comprehensam ae per cardinalem Contarenum melius sibi cognitam, magistro saeri palattii examinandam dedit.* — 2. *In primo capite continetur: Societatis nomen, castitatis votum, instituti seopus, puerorum institutio, officiorum distributio, Constitutionum confeccio.* — 3. *In secundo: speciale votum obe- diendi summo pontificie circu missiones, quae tamen procurandae non sint.* — 4. *In tertio: votum obedientiae praeposito Societatis, gubernandi ratio, puerorum ac rudium institutio, obediendi modus.* — 5. *In quarto: votum pauperatis, scholasticorum cum redditibus institutio et substentatio.* — 6. *In quinto: officium divinum privatum persolvendum, a solemnibus ritibus vaeandum.* — 7. *Ob difficultatem instituti hujus, duo monet: primum asperitates corporis non ex regula assignari, sed privatae devotioni, probante moderatore, permitti; alterum, neminem nisi din ae diligentissime probatum, esse ad- mittendnm.* — 8. *Paulus capita quinque approbat.* — 9. *Contarenus fidem facit.*

145r Paulus

[1] Dilectis filiis Ignatio de Loyola, Petro Fabro, Iacobo Laines, Claudio Iayo, Paschasio Broet, Francisco Xauier, Alfonso

28 votum sed *lle.* — 30-31 posset esset *ms.*; in *Na* erat quoque esset, sed est emendatum in esse. 35 vel expe, *imp. v.* expellendo, *lle.* — 1 Paulus manu *Conta- reni*; Ad perpetuam rei memoriam *lle.*; Capitoli della Congregatione del Giesù confirmati da papa Paolo III *marg. alia manu coaeva.*

¹ Ex archivo vaticano, AA. Arm. I-XVIII, 6461, ff. 145r-148r. Deest tem- poris notatio, sed ea ex monumento 5 certe eruitur; Paulo III oblata est

Salmeroni, Simoni Roderico, Ioanni Coduri, Nicolao de Bobadilla, magistris parisiensibus, pampilonensis, gebennensis, seguntinae toletanae, bissentinae, ebredunensis, et palentinae respectiue diocesum². Cum ex plurium sermone saepe intellexissemus vos sponte pauperes Christi sacerdotes e diuersis mundi regionibus in vnum conuenisse et Spiritu Sancto, ut credimus, impellente, in hanc vnam voluntatem conspirasse, ut, relictis seculi huius illecebris, vitam vestram perpetuo Domini nostri Jesu Christi atque eius in terris vicarii seruitio dedicaretis; cumque probate fidei viri nobis saepius testati essent, vos per plures iam annos laudabiliter in vinea Domini exerceri, predi- cando publice verbum Dei, exhortando priuatim, confessiones audiendo, exercendo homines in meditationibus piis, inseruiendo hospitalibus, peregrinando, pueros et personas rudes docendo ea quae ad christiani hominis institutionem sunt necessaria, et omnia demum charitatis officia, vbi cumque terrarum fuistis, non modo sine vlla haeresis aut auaritiae aut turpitudinis alicuius nota, sed multa etiam cum laude obeundo: cum hec, inquam, de vobis audiremus, gaudebamus, vt par est, ac magnopere optabamus, multos, imo omnes, si fieri possit, et praesertim clericos veteris conuersationis exempla (quod uos facitis) re- nouare; dumque animo voluebamus aliquod signum edere, quo vestram hanc pietatem ac religionem gratam esse nobis declararemus, dilectus filius noster cardinalis Contarinus³ narravit nobis hoc vestrum vite institutum et a multis laudari et a quibusdam ita probari, ut illud etiam sequi velint, vosque omnes valde cupere ad conseruandam ac perficiendam vestre Societatis

haec summa die 3 Septembris 1539. Edita est a P. TACCHI VENTURI, *Storia*, I, 554-567, in 2^a ed. I, parte 2, pp. 180-192, collata cum bulla approbationis Societatis Jesu. Prooemium et conclusionem in lucem dedit DITTRICH, *Regesten und Briefe*, pp. 304-305, erroribus tamen deturpata. Est alterum exemplum, quod vocamus B, in codice *Instit. 194* (prius *Brev. et Rescr. antiquissima*, 1539-1587) ff. 43r-46r.

² Ignatius et Xaverius, dioecesis pampilonensis (Pamplona, in Hispania); Petrus Faber, Claudius Jaius et Paschiasius Broet, dioecesis gebennensis (Genève, in Helvetia et in Gallia); Jacobus Laynez, seguntinae (Sigüenza, in Hispania); Alfonsus Salmeron, toletanae (Toledo, in Hispania); Simon Rodriguez, bisentinae (Vizeu, in Lusitania); Joannes Coduri, ebredunensis (Embrun, in Gallia); Bobadilla, palentinae, (Palencia, in Hispania).

³ V. monumentum 5.

in Christo vniōnem, illa omnia, que vsu comperistis ad propositum vobis finem conducentia, scripto iam et obedientie vinculo stabilire; ideoque supplicare, ut in his nostris pene **145v** assiduis grauissimisque occupationibus per aliquem a nobis delegatum consideretur an vestra viuendi formula euangelicis consiliis et canonicis patrum sanctionibus sit conformis, et comperta eius cum christiane religionis puritate congruentia, de more a nobis benedicatur atque approbetur; que vestra petitio cum animum nostrum bene de vobis iam dudum sentientem reperisset, illico negotium hoc dilecto filio Thome Badie, sacri nostri palatii magistro⁴, delegauimus; qui, re mature perspecta, nobis retulit vniuersum propositum Societatis vestre pium sibi sanctumque videri, summamque regule, quam seruare cupitis, infrascriptis quinque capitulis contineri.

[2] Primum. Quicunque in Societate nostra, quam Jesu nomine insigniri cupimus, vult sub crucis vexillo Deo militare et soli Domino atque eius in terris vicario seruire, post solemne perpetue castitatis votum proponat sibi in animo, se partem esse communitatis ad hoc potissimum institutae, ut ad profectum animarum in vita et doctrina christiana, et ad fidei propagationem per verbi ministerium, spiritualia exercitia et charitatis opera, et nominatim per puerorum ac rudium in christianismo institutionem, praecipue intendat, curetque primo Deum, deinde huius sui instituti rationem, que via quedam est ad illum, semper ante oculos habere, et finem hunc sibi a Deo propositum totis viribus assequi; vnuſquisque tamen, secundum gratiam sibi a Spiritu Sancto subministratam, et vocationis suae proprium gradum, ne quis forte zelo vtatur, sed non secundum scientiam. Cuius proprii cuiusque gradus iuditium et officiorum discretio ac distributio tota sit in manu propositi seu prelati per nos eligendi, ut congruus ordo seruetur in omni bene instituta communitate necessarius. Qui quidem praepositus de consilio

⁴⁹ Pro communitatis bulla approbationis habet Societatis. — ⁵⁰ christiana ad *butta*. — ⁵²⁻⁵³ institutionem ac christifidelium in confessionibus audiendis spiritualem consolationem praecipue *butta*.

⁴ Is creatus est cardinalis ab ipso Paulo III, mense Junio 1542. V. PASTOR, V, 144.

fratrum Constitutiones ad constructionem huius propositi **146r** nobis finis conducentes, in consilio condendi auctoritatem habeat,
 65 maiori suffragiorum parte semper statuendi ius habente. Consilium vero intelligatur esse in rebus quidem grauioribus ac perpetuis maior pars totius Societatis, que a preposito commode conuocari poterit; in leuioribus autem et temporaneis, omnes illi, quos in loco, ubi praepositus noster residebit, praesentes
 70 esse contigerit. Exequendi autem et iubendi ius totum penes praepositum erit.

[3] 2^m. Sciant omnes sotii, et non solum imprimis professio-
 nis sue foribus, sed quoad vixerint, quotidie animo voluant, So-
 cietatem hanc vniuersam et singulos sub sanctissimi Domini
 75 nostri Pauli tertii et successorum eius fideli obedientia Deo mi-
 litare, atque ita sub vicarii Christi imperio diuinaque eius pote-
 state subesse, vt non solum ei iuxta commune clericorum
 omnium debitum parere, sed etiam voti vinculo ita alligari ut
 80 quicquid sanctitas eius iusserit ad profectum animarum et fidei
 propagationem pertinens, sine ulla tergiuersatione aut excusa-
 tione, illico; quantum in nobis fuerit, exequi teneamur, siue
 miserit nos ad turcas, siue ad orbem nouum, siue ad luteranos,
 siue ad alias quoscumque infideles seu fideles. Quamobrem qui
 85 ad nos accessuri sunt, et antequam huic oneri humeros suppon-
 ant, diu multumque meditentur an tantum pecunie spiritualis in
 bonis habeant, ut turrim hanc, iuxta consilium dominicum pos-
 sent consummare⁵: hoc est, an Spiritus Sanctus, qui illos im-
 pellit, tantum illis gratie polliceatur, ut huius vocationis pondus,
 illo adiuuante, se laturos sperent; et postquam, Domino in-

63 *Pro fratrum bulla habet sociorum.* — 70 *Pro Exequendi... ius habet bulla*
Iubendi autem ius — 75 nostri papae et aliorum romanorum pontificum successorum
bulla. — 76-83 *Pro atque... fideles habet bulla* Et quamvis euangelio doceamur,
 et fide orthodoxa cognoscamus ac firmiter profiteamur omnes christifideles romano
 pontifici etc. *quae videsis suo loco, in monumento 7.* — 86 *Pro dominicum habet divi-*
nū T. V., pag. 560, etiam in 2^a ed., p. 185, col. 1a, l. 10, v. annot. *.

⁵ LUC. 14, 30.

* Putamus esse calami lapsum, cum ex una parte in bulla legatur *dominicū*, ex
 alia vero vox *divinū* in editione T. V. scripta sit litteris communibus, non italicis, ut
 fieri oportebat secundum monitum annotationis 21, p. 558, in 2^a ed., not. 9, p. 183;
 Ms. scribit *dñicū*.

spirante, huic Jesu Christi militie nomen dederint, diu noctuque 90
succincti lumbos⁶ et ad tam grandis debiti solutionem prompti
esse debebunt. Ne qua autem possit esse inter nos missionum
ac prouinciarum huiusmodi aut ambitio aut detractatio, profi-
teantur singuli se nunquam directe aut indirecte de huiusmodi
missionibus quicquam cum pontifice curaturos, sed omnem hanc 95
curam Deo et eius 146v vicario et Societatis praeposito dimis-
suros. Qui praepositus, sicut caeteri, etiam profiteatur se nihil
de suimetipsius missione in alterutram partem, nisi de consilio
Societatis, cum pontifice esse curaturum.

[4] 3^m. Voueant singuli se in omnibus, que ad regule huius 5
nostre obseruationem faciunt, obedientes fore Societatis praepo-
sito. Ille autem jubeat ea quae ad constructionem propositi
sibi a Deo et a Societate finis cognoverit esse opportuna; in
praelatione autem sua benignitatis ac mansuetudinis charitatis-
que Christi, et Petri Paulique formulae semper sit memor⁷, et 10
tam ipse quam consilium ad normam hanc asidue spectent, et
nominatim commendatam habeant institutionem puerorum ac
rudium in christiana doctrina decem praeceptorum, atque alio-
rum similium rudimentorum, quaecumque secundum circumstan-
tias personarum, locorum et temporum illis congrua videbuntur. 15
Est enim maxime necessarium, circa prouidentiam huius rei,
diligenter prepositum et consilium inuigilare, cum et in proximis
aedificium fidei sine fundamento non possit consurgere, et in
nostris periculum sit, ne, ut quisque erit doctior, ita provintiam
hanc tanquam primo aspectu minus speciosam, forsitan detre- 20
ctare conetur; cum tamen re uera nulla sit fructuosior, vel
proximis ad edificationem, vel nostris ad charitatis et humilitatis
simul officia exercenda. Subditi uero, tum propter ingentes or-
dinis vtilitates, tum propter numquam satis laudatum humili-
tatis assiduum exercitium, praeposito in omnibus ad institutum 25
Societatis pertinentibus parere semper teneantur, et in illum

93 vel detractatio *bulla*. — 94-95 directe uel... cum romano pontifice *bulla*. — 1 Deo
et ipsi pontifici tanquam eius *bulla*. — 3-4 nisi de Societatis consilio cum dicto Pontifice
bulla. — 10 Christi, Petri *bulla*. — 11-12 spectent; nominatim *bulla*. — 15 ac tem-
porum *bulla*. — 26 in illo *bulla*.

⁶ EPH. 6, 14.

⁷ Cf. 1 PETR. 5, 1-3; PHIL. 3, 17; 2 THES. 3, 7-9; 1 TIM. 4, 12; TIT. 1, 7.

Christum, veluti praesentem agnoscant et quantum decet venerantur.

[5] 4^m. Cum experti fuerimus iucundiores, puriores et ad

proximi aedificationem aptiores esse vitam ab omni auaritiae contagione quam remotissimam et euangelicae paupertati quam simillimam, cumque sciamus Dominum nostrum 147r Jesum Christum seruis suis, regnum Dei solum inquirentibus, necessaria ad victum et vestitum esse sumministraturum, voleant singuli et vniuersi perpetuam paupertatem, declarantes quod non solum priuatim, sed nec etiam communiter possint, pro Societatis substentatione aut vsu, ad bona aliqua stabilia aut ad prouentus seu introitus aliquos ius aliquod ciuale acquirere, sed sint contenti vsu tantum rerum necessiarum, volentibus dominis, gaudere, et pecunias ac precia rerum sibi donatarum, ad necessaria sibi comparanda recipere. Possint tamen, ad colligendos aliquos bone indolis scholasticos et in locis vniuersitatum litteris presertim sacris imbuendos, ad bona stabilia et ad prouentus ius ciuale acquirere, substentandorum scilicet scholasticorum illorum causa, qui in spiritu et litteris proficere et in Societate nostra, exacto sui studii tempore post probationem demum recipi cupiant.

[6] 5^m. Sotii omnes, quicumque in sacris fuerint, quamuis ad beneficia et introitus nullum ius acquirere possint, teneantur tamen ad dicendum officium secundum Ecclesiae ritum, non ta-

men in choro, ne ab officiis charitatis, quibus nos totos dedicauimus, abducantur. Quamobrem nec organa aut musicos canendi ritus, missis aut reliquis officiis suis adhibeant; ista enim, que laudabiliter clericorum ac religiosorum reliquorum diuinum cultum exornant, et ad excitandos ac flectendos pro ratione hymnorum ac misteriorum animos fuerunt inuenta, nobis non mediocri impedimento esse experti sumus, cum iuxta vocationis nostre formam, praeter caetera necessaria officia, nos in consolandis etiam corpore vel animo aegrotis magnam diei atque etiam noctis partem frequenter esse oporteat occupatos.

29 Cum autem *bulla*. — 39-43 *Pro vv.* vsu tantum... recipi cupiant *habet bulla* vsu tantum rerum sibi donatarum... recipere. Possint tamen etc. *quae vide suo loco, in monumento 7.* — 47-59 *Pro vv.* ad beneficia... oporteat occupatos *habet bulla* beneficia ecclesiastica aut eorum redditus non habeant, teneantur tamen singuli priuatim ac particulariter et non communiter, ad dicendum officium secundum Ecclesiae ritum.

[7] Hec sunt que de nostra professione typo quodam ex- 60
 plicare potuimus, quod nunc facimus ut summatim scriptione
 hac informaremus tum illos qui nos de nostro vite instituto in-
 terrogant, tum etiam posteros nostros si quos, Deo volente,
 147v imitatores unquam habebimus huius viae. Quam, cum mul-
 tas magnasque habere adnexas difficultates fuerimus experti, op-
 portunum iudicauimus illos praemonere, ne, recti specie, in haec 65
 duo, quae nos vitauiimus, impingant. Vnum est ne qua ieunia,
 disciplinas, pedum capitis nuditas, vestium colores, cibo-
 rumque differentias, penitentias, cilicia et alias carnis macera-
 tiones sub vinculo peccati mortalis sotis imponant; quae tamen 70
 non ideo prohibemus, quia illa damnamus, cum in hominibus
 qui haec obseruant illa valde laudemus ac suspiciamus, sed
 tantum quia nolumus nostros aut tot oneribus simul iunctis op-
 primi, aut ab exercendis quae nobis proposuimus excusationem
 aliquam cessandi pretendere. Possit tamen vnuquisque, pree- 75
 posito non prohibente, in illis devote se exercere quae sibi
 necessaria vel vtilia esse cognouerit. Alterum, ne quis in So-
 cietate recipiatur nisi diu ac diligentissime prius fuerit probatus;
 cumque prudens in Christo et vel doctrina vel vitae sanctitate
 apparuerit conspicuus, tum demum admittatur ad Jesu Christi mi- 80
 liciam, qui tenuibus coeptis nostris fauere dignetur ad gloriam
 Dei Patris, cui soli semper sit decus et honor in secula. Amen.

[8] Hanc vestram vite formam, suprascriptis quinque capi-
 tulis contentam, cum perlegerimus et ad spiritualem profectum
 Societatis ipsius vestre et reliqui christiani gregis, cuius cura nobis 85
 incumbit, iudicauerimus fore opportunam, vigore praesentium
 illam laude dignam esse declaramus atque apostolica auctoritate
 approbamus, benedicimus, roboramus, et sub tutela huius san-
 ctiae sedis recipimus atque confirmamus, facultatem vobis con-
 cedentes condendi particulares inter uos Constitutiones, quas 90
 ad Societatis vestrae finem et Jesu Christi Domini nostri glo-

60 quae sub praefati domini nostri Pauli et Sedis Apostolicae beneplacito de
 nostra *bulla*. — 61-62 fecimus... informaremus tamen *Ile*. — 66-77 *Pro vv.* illos praemone-
 re.. Alterum *bulla* *habet*, etiam statuere — 68 *Post colores est a communi usu*
discordantes add. manu eadem et obl. ms., add. nec obl. in B. — 76 *Post illis est carnis*
macerationibus add. manu eadem et obl. ms., add. nec obl. in B. — 77-78 *in hac So-*
cietate bulla, quae etiam om. prius. — 79 *vite christiane puritate bulla.* — 80 *tunc*
demum bulla. — 82 *sit semper bulla. Quae sequuntur valde differunt in bulla, quam*
videsis, monumentum 7. — 88 *tutella lle.*

riam 148r et proximi vtilitatem conformes esse iudicaueritis. Agite igitur, dilecti in Christo filii, vestram vocationem sequimini, quo vos dicit Spiritus Sanctus, et in vinea Domini posthac, 95 sub protectione huius sanctae sedis, tanquam boni agricolae viriliter laborate, Domino nostro Jesu Christo vobis fauente, qui viuit et regnat cum Spiritu Sancto Deus in seculorum secula. Amen.

[9] Ego G. Cardinalis Contarenus fidem facio quod Tibure legi quinque suprascripta capitula sanctissimo patri nostro, pretermisis prohaemio et epilogo ultimo, quae intellecta sanctitas sua approbavit ac concessit ut fieret bulla uel breue, prout melius videatur, iuxta relationem R.^{di} Magistri sacri pallatii, cui per me sua beatitudo iniunxerat, ut, re bene considerata, referret quid sentiret.

Idem manu propria scripsi et subscrispsi.

5

CARDINALIS GASPAR CONTARENUS PATRI IGNATIO DE LOYOLA

TIBURE 3 SEPTEMBRIS 1539¹

Capita quinque instituti Societatis Jesuia se summo pontifici lecta ab eoque approbata esse.

Reverendo Don Ignatio.

Hieri per M. Antonio vestro ispano² ho riceuto la estensione dellì capitoli insieme con una scedula del reverendo maestro sacro pallazzo³. Oggi sono stato con nostro signore⁴; et

⁴ sono sono ms.

¹ Ex originali in codice *Epp. Ext. 7*, I, ff. 1-2. Ex apographis ediderunt BOERO in *Vita di S. Ignazio descritta dal P. Rivadeneira e tradotta da Giovanni Giolito de' Ferrari*, Roma, 1863; *Cartas de S. Ignacio*, I, 433-434; *Monum. Ignat.* ser. 1^a, XII, 360; latine *AA. SS.*, § 29, n. 301. Cum originales litteras habeamus, non visum est operae pretium, apographorum variationes afferre. His perscriptis, ipsam originalem epistolam edidit P. Schurhammer in *AHSI*, 1 (1932) 303; minus proprie loquitur cum sub imagine photographica vocat monumentum autographum, quam cum in textu appellat originale.

² Hunc existimamus esse Antonium de Araoz, Ignatii affinem, qui, annum fere apud illum Romae versatus et in Societatem admissus, paulo post in Hispaniam reversus est. *Monum. Ignat.* ser. 1^a, I, 146-147, 154; ASTRAIN, *Historia*, I, 204.

³ Thomas Badia O. P., v. monumentum 4, annot. 4.

⁴ Paulus III.

oltra la petitione a bocca, ho letto a sua santità tutti li cinque ⁵ capitoli, li quali molto satisfano sua beatitudine, et benignissimamente li ha approbati et confirmati. Venerdì ueneremo a Roma con sua beatitudine, et si darà ordine col reuerendissimo Ghinucci⁵ di far il breue ouero bolla.

Riccomandomi alle vostre oratione. Salutate M. Lactantio⁶ ¹⁰ nostro. Bene uale in Domino.

Di Tiuoli alli III di Settembre MDXXXIX.

Vestri amantissimus

Gaspar cardinalis Contar⁷.

Inscriptio: Al reuerendo domino Ignatio, nostro amantis- ¹⁵ simo. Roma. *Manu Polanci*: Conceditur vt Societas instituatur.

Alia manu: 1539. Cardinalis Contareni. Approbatio prima instituti Societatis. Narrat, primam instituti Societatis delineationem approbatam a Paulo III et confirmatam. C, XVI, I.

Alia manu: B. 36. 20

⁵ Hieronymus Ghinucci, creatus cardinalis a Paulo III, die 21 Maii 1535. PASTOR, V, 99.

⁶ Lactantius Tolomei, ab Ignatio Patre exercitiis cultus, cardinalis Ghinucci nepos. Cf. TACCHI VENTURI, *Storia*, II, 117-118 et 303-305.

⁷ Insignis patritius venetianus, qui e statu laicali ad purpuram a Paulo III, nihil minus cogitans, electus, Ignatio in spiritualibus exercitiis alumnus, spei ab omnibus de se conceptae piaeclarissime respondit. Cf. Chron. I, 64; TACCHI VENTURI, II, 117; PASTOR, V, 104-106. Approbationis in hac epistola memoratae meminit quoque Simon Rodriguez in sua *De origine et progressu Societatis Iesu* lucubratione, ubi quiddam addit, quod ille aliunde cognoscere potuit: « pontifex... magna cum benevolentia crucem signans manuque benedictionem impertiens, respondit: ‘Benedicimus, laudamus et approbamus’ », Epist. PP. Broet... 509. De sententia illa « Spiritus Dei est hic » vel « Digitus Dei est hic » cf. TACCHI VENTURI, *Storia*, II, 301, annot. 2.

6

CONCLUSIO SEX SOCIORUM¹

4 MARTII 1540

Decernunt, circa Constitutiones et alia quaelibet standum esse judicio plurium Patrum in Italia commorantium.

3v « DETERMINAÇO SOCIETATIS »

2r JHUS MA

Cum, vt pie credimus, Deo optimo maximo disponente,
contingat nos in diuersas mundi regiones, atque eas longin-
5 quas², segregari, idque jussu summi pontificis, totius Ecclesie
principis, considerantibus nobis, qui in vnum corpus coniuncti
sumus, multa posse succedere, que pertinere poterunt ad totius
Societatis commodum, videlicet circa Constitutiones facientes
et alia quelibet; visum fuit nobis omnibus, qui tunc Rome fui-
10 mus, quando hoc determinauimus, et qui, ad huius veritatis si-
gnum, nomina nostra manu nostra subscriptissimus, huiusmodi
omnia debere relinquere sententie plurium suffragio-

4 eas sup. — 8 Societatem *Ile.*; Constitutiones pa. *imp. v.* parandas (?) *Ile.* — 10 *Pro* quando *legunt AA. SS.* quin; in *ms. est qn, quod est* quando. Cf. PROU, *Manuel de Paléographie*, 2 ed., p. 417, col. 2. *Sententia postulat etiam quando.*

¹ Ex codice A, ff. 2r-3v, quorum paginae prima et ultima tantum scriptae sunt. Titulus « Determinaçō Societatis » manu S. Ignatii scriptus est in f. 3v, cui Sotuellus supposuit: « Haec est manus S. P. N. » Scriptum monumentum manu P. Coduri. V. *Proleg.*, c. 1, a. 4, § 6. In f. 3v scripsit præterea Sotuellus: « 1540, 4 Martii. Subscriptions sex PP. — De stando sententiae plurium ex commorantibus in Italia circa Constitutiones facientes et alia ». Deinde alia manus: « Decernitur standum esse judicio plurium Patrum ex iis qui degunt in Italia, circa Constitutiones facientes &c. Ita decernunt sex primi Patres ». Ibidem est signum monumenti in archivo; « 5 [3 prius], A, VII ». Editum est in *Matr.*, p. 302, et in *AA. SS.*, § 28, nn. § 291-292.

² V. monumentum 1 et annot. 2. E sex illis qui huic monumento nomina sua subscribunt, Joannes Coduri eo tempore prefecturus erat in Hiberniam, *Epist. PP. Broet...* 418; Simon Rodriguez in Lusitaniam et Indianam, *Monum. Ignat.*, ser. 1^a, l, 740. Notum omnibus est, Simoni adjunctum esse Franciscum Xaverium. Hibernicum iter non Coduri, qui anno 1541 vita cessit, sed Alfonsum Salmeron et Paschasius Broet suscepserunt; Jaius die 19 Martii Balneoregium, in provincia Roma, pervenit, *Epist. PP. Broet...* 265.

rum eorum (qui de nostro corpore sunt) in Italia commorantium, qui ab his, qui Rome tunc erunt conuocari poterunt, aut ab eis per literas eorum suffragia requiri: et sic, visis plurimis suffragiis eorum, ut diximus, qui tunc in Italia erunt, de supradictis ad totam Societatem nostram pertinentibus poterunt determinare, ac si tota Societas esset presens; sic enim placuit et visum fuit omnibus in Domino. Quarta Martii 1540.

Ynigo	Johannes Codurj	20
Simon Rodorici	Alphonsus Salmeron	
Claudius Jaius	Franciscus	

7

BULLA PRIMA PAULI III

APPROBATIO SOCIETATIS JESU AD NUMERUM SOCIORUM SEXAGINTA, 1540¹

*1. Paulus III fideles fovet, qui in salutem animarum incumbunt. — 2. Ignatius de Loyola ejusque socii in eum finem jamdiu laborantes, formulam vivendi quamdam usu didicerunt et ediderunt, multis bonis viris probatam. — 3-8. Hac formula exprimitur: Societatis nomen, castitatis votum, instituti scopus, pueroru*m* institutio, officioru*m* distributio, Constitutionum confectio, speciale votum obediendi romano pontifici circa missiones, quae tamen procurandae non sint; votum obedientiae praeposito Societatis, puerorum ac rudium institutio; obediendi modus, paupertatis votum, collegiorum fundatio*n*, officium divinum privatim persolvendum, neminem admittendum nisi diu ac diligentissime probatum. — 9. Pontifex formulam approbat, numero tamen sociorum sexaginta tantum; socios sub protectione sua suscipit eisque facultatem condendi Constitutiones facit. — 10-12. Clausulae.*

PAVLI III PRIMA INSTITVTIONIS BVLLA ET
CONFIRMATIONIS SOCIETATIS IESV
CUM RESTRICTIONE NUMERI
AD SEXAGINTA PROFESSOS,
ANNO 1540

PAVLVS EPISCOPUS, SERUUS SERUORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

[1] Regimini militantis Ecclesiae, meritis licet imparibus, disponente Domino, praesidentes; et animarum salutem, prout ex debito pastoralis officii tenemur, solicitis studiis exquirentes:

13 nostra pr. — 6 Societatis Jesu et Blosius marg. ms.; seruus... Dei om. ms.

¹ Hanc bullam cum ipso ejusdem titulo transcribimus ex authentico exemplo typis impresso Romae in aedibus Societatis Jesu, anno 1559, quam

10 fideles quoslibet, qui vota sua in id exponunt, apostolici fauoris gratia confouemus aliasque desuper disponimus, prout, temporum et locorum qualitate pensata, id in Domino conspicimus salubriter expedire.

[2] Nuper siquidem accepimus quod dilecti filii, Ignatius de Loyola, et Petrus Faber, ac Iacobus Laynez, nec non Claudio Iaius, et Paschiasius Broet, ac Franciscus Xauier, nec non Alfonius Salmero, et Simon Rodericus, ac Ioannes Coduri, et Nicolaus de Bobadilla, presbyteri pampilonensis, gebennensis, seguntinae, toletanae, visensis, ebredunensis et palentinae ciuitatum et dioceseon respective, in artibus Magistri, in Vniuersitate Parisiensi graduati, et in theologicis studiis per plures annos exercitati, Spiritu sancto, vt pie creditur, afflati, iamdudum e diuersis mundi regionibus discedentes, in vnum conuenerunt, et socii effecti, abdicatis huius seculi illecebris, eorum vitam perpetuo domini nostri Iesu Christi, atque nostro et aliorum successorum nostrorum romanorum Pontificum seruitio dedicarunt; et iam quampluribus annis laudabiliter in vinea domini se exercuerunt, verbum Dei praeuia sufficienti licentia publice praedicando, fideles priuatim ad bene beateque viuendum exhortando et ad pias meditationes excitando, hospitalibus inseruiendo, pueros et personas rudes ea, quae ad Christianam hominis institutionem sunt necessaria, docendo, et demum omnia charitatis officia et quae ad animarum consolationem faciunt,

14 § 1 *Bull.* — 19 viscen *lle. ms.* — 23 descendentes *Bull.*

una cum reliquis litteris apostolicis Pauli III et Julii III pro Societate eadem, authenticam declaravit cardinalis Alfonsus Carafa, post collata omnia cum litteris originalibus; hocce testimonium invenies post ultimum monumentum pontificium (hic monumentum 46); ipsas originales litteras invenire non potuimus. Contulimus autem textum, qui est in *Reg. Vatic.* 1694, ff. 222 et 4 sqq. numero non signatis (*ms.*); item *Bullarium Romanum* editionis taurinensis (*Bull.*), anni 1860, t. VI, pp. 303-307. Varias editiones indicamus per litteras *E1*, *E2* usque *E6*; *Ant.* est editio antuerpiensis anni 1635; *Prai* et *Pra2* pragenses annorum 1705 et 1757; *Av.* avenionensis anni 1827; *Ci.* Civilitatis Catholicae seu romana annorum 1886-1891; *Fl.* florentina anni 1892 (V. *Bibliographiam*). In Bullario Laertii Cherubini, apud haeredes Antonii Bladii, Romae, 1586, est haec bulla in p. 390 voluminis primi; in Magno Bullario Cherubinorum, Lugduni 1655, t. I, p. 738; in editione Luxemburgi, Chevalier, 1727, t. I, p. 743; in editione Cocqueliniana, Romae 1745, typis et sumptibus Hieronymi Mainardi, t. IV, p. 185. Cf. *Proleg.*, c. 3, a. 3.

vbique terrarum, vbi peregrinati sunt, multa cum laude obeundo. Cumque ad hanc almam vrbum se contulerint², et in charitatis vinculo persistentes, ad perficiendam et conseruandam eorum Societatis in Christo vniōnem, quandam viuendi formulam, iuxta ea, quae ad propositum sibi finem conducere vsu didicerunt, euangelicis consiliis et canonicis patrum sanctionibus conformem ediderint: factum est, ut ipsorum sociorum vitae institutum, sub dicta formula comprehensum, non solum a multis probis viris et Deum zelantibus laudetur³, verum etiam a quibusdam ita approbetur, vt illud etiam sequi uelint⁴. Formulae autem praedictae tenor sequitur, et est talis:

[3] Quicunque in Societate nostra, quam Iesu nomine insigniri cupimus, vult sub crucis vexillo Deo militare, et soli Domino atque romano Pontifici, eius in terris Vicario, seruire, post solenne perpetuae Castitatis uotum, proponat sibi in animo se partem esse Societatis, ad hoc potissimum institutae, ut ad profectum animarum in uita et doctrina Christiana, et ad fidei propagationem per publicas praedicationes et uerbi Dei ministerium, spiritualia exercitia et charitatis opera, et nominatim per puerorum ac rudium in christianismo institutionem, ac Christifidelium in confessionibus audiendis spiritualem consolationem praecipue intendat; curetque primo Deum, deinde huius sui instituti rationem, quae uia quaedam est ad illum,

35 § 2 *Bull.* — 39 evangelicis studiis *Ile. ms.* — 40 ediderunt *Ile. ms.* — 43 § 3 Formulae *Bull.* — 45 § 4 *Bull.* — 50 christiana ad *Bull., E3 sqq.* — 53 christianismi *ms.*

² Anno 1537, mense Novembri, Ignatius, Faber et Laynez, (TACCHI VENTURI, II, 99); caeteri primis mensibus anni 1538 (ib., p. 121 et *Monum. Ignat.* ser. 1^a, I, 138).

³ Sociorum vitae institutum probabant illustres viri, quos partim Venetiis Ignatius coluerat, Petrus Contarini, Reginaldus Polus (TACCHI VENTURI, ib. p. 91); partim Romae, Petrus Ortiz, Lactantius Tolomei, Ignatius López, Gaspar Contarinus, alii, (ib. pp. 115-117). Ignatius ille López in monumentis hispanis vocatur fere semper Iñigo, *Monum. Ignat.* ser. 1^a, I, II et III; *Epist. Mixtae* II, 316.

⁴ Societatem sequi volebant Franciscus Estrada (*Chron.*, I, 80); Hieronymus Doménech, Paulus de Achilles, alii (ib. p. 82); Didacus de Eguía, qui praefectus ab Ignatio parvo juvenum voluntatis ejusdem manipulo, Parisis, ineunte vere anni 1540, studiorum causa profectus est (ib. p. 85); Antonius de Araoz (ib. p. 88; *Monum. Ignat.* ser. 1^a, I, 146 et 154).

semper ante oculos habere, et finem hunc sibi a Deo propositum totis uiribus assequi; vnuquisque tamen secundum gratiam sibi a Spiritu sancto subministratam, et uocationis suae
 60 proprium gradum (ne quis forte zelo vtatur, sed non secundum scientiam) cuius proprii cuiusque gradus iudicium, et officiorum discretio ac distributio tota sit in manu Praepositi seu Praelati per nos eligendi, ut congruus ordo seruetur in omni bene instituta communitate necessarius; qui quidem Praepositus
 65 de consilio consociorum Constitutiones ad constructionem huius propositi nobis finis conducentes in consilio condendi auctoritatem habeat, maiori suffragiorum parte semper statuendi ius habente. Consilium vero intelligatur esse, in rebus quidem grauioribus ac perpetuis, maior pars totius Societatis, quae a Prae-
 70 posito commode conuocari poterit; in leuioribus autem et temporaneis, omnes illi, quos in loco, vbi Praepositus noster residebit, praesentes esse contigerit. Iubendi autem ius totum penes Praepositorum erit.

[4] Sciant omnes socii, et non solum in primis professionis suae foribus, sed quoad vixerint quotidie animo voluant, Societatem hanc vniuersam et singulos, sub sanctissimi domini nostri Papae et aliorum Romanorum Pontificum successorum eius fidei obedientia, Deo militare. Et quanuis Euangeliu doceamur, et fide orthodoxa cognoscamus,
 75 ac firmiter profiteamur, omnes Christifideles Romano Pontifici, tanquam capiti ac Iesu Christi Vicario, subesse: ad maiorem tamen nostrae Societatis humilitatem, ac perfectam vniuersique mortificationem et voluntatum nostrarum abnegationem, summopere conducere iudicauimus, singulos nos, vltra illud
 80 commune uinculum, speciali voto astringi; ita ut, quicquid modernus et alii Romani Pontifices pro tempore existentes iusserint ad profectum animarum et fidei propagationem pertinens, et ad quascunque prouincias nos mittere voluerint, sine vlla tergiuersatione aut excusatione, illico, quantum in nobis fuerit,
 85 exequi teneamur; siue miserint nos ad Turcas, siue ad quoscunque alios infideles, etiam in partibus, quas Indias uocant,

64 § 5 Qui *Bull.* — 65 sociorum *ms.*, consotiorum *Ile.*; consecutionem *Bull.*, *Ci. Fl.* — 68 esse *add. ms.* — 71 qui in *Pra2 sqq.* — 74 § 6 Sciant *Bull.* — 80 pontifici et *Ile. ms.* — 88 voluerit *ms.*, *Bull.*, *E1.* — 90 teneantur siue jussent *Ile. ms.*; miserit *Bull.*, *E1-7*, miserint *Ant. sqq.*

existentes, siue ad quoscunque haereticos, seu scismaticos, seu etiam ad quosquis fideles. Quamobrem qui ad nos accessuri sunt, et antequam huic oneri humeros supponant, diu multumque meditentur, an tantum pecuniae spiritualis in bonis habeant, ⁹⁵ ut turrim hanc iuxta consilium dominicum possint consummare⁵: hoc est, an Spiritus sanctus, qui illos impellit, tantum illis gratiae polliceatur, ut huius vocationis pondus, illo adiuuante, se laturos sperent; et postquam, domino inspirante, huic ies Christi militiae nomen dederint, die noctuque succincti lumbos ⁵, et ad tam grandis debiti solutionem prompti esse debebunt. Ne qua autem possit esse inter nos missionum ac prouinciarum huiuscemodi aut ambitio vel detrectatio, profiteantur singuli, se numquam directe aut indirecte de huiusmodi missionibus quicquam cum Romano Pontifice curaturos, sed omnem hanc curam Deo ¹⁰ et ipsi Pontifici, tanquam eius Vicario, et Societatis Praeposito dimissuros: qui quidem Praepositus, sicut caeteri, etiam profiteatur se nihil de suimetipsius missione in alterutram partem, nisi de Societatis consilio, cum dicto Pontifice esse curaturum.

[5] Voueant singuli se in omnibus, que ad Regulae huius ¹⁵ nostrae obseruationem faciunt, obedientes fore Societatis Praeposito. Ille autem iubeat ea, quae ad constructionem propositi sibi a Deo et a Societate finis cognoverit esse opportuna; in praelatione autem sua, benignitatis ac mansuetudinis charitatisque Christi, Petri Paulique formulae semper sit memor ⁷; et tam ²⁰ ipse quam consilium ad normam hanc assidue spectent; et nominatim commendatam habeant institutionem puerorum ac rudium in Christiana doctrina decem praceptorum, atque aliorum similium rudimentorum, quaecunque secundum circumstantias personarum, locorum ac temporum illis congrua videbuntur. ²⁵ Est enim maxime necessarium, circa prouidentiam huius rei diligenter Praepositum et consilium inuigilare, cum et in pro-

⁹³ etiam *ou. Pral* *sqq.* — 6 § 7 *Ne Bull.* — 7 *hujusmodi Pral* *sqq.* — 8 *de-tractio Ille. us.*, *Bull.* — 9 *directe uel ms.* — 12 *quidem ou. Bull.* — 15 § 8 *Bull.*; *Voueant etiam Ille. us.* — 17 § 9 *Ille Bull.*; *consecutionem Ci., Fl.* — 20 *Christi ac Fl.* — 21 *ad formam E1, 2, at in erratis E2, p. 116, dicitur legendum esse normam.*

⁵ LUC. 14, 30.

⁶ EPH. 6, 14.

⁷ V. supra, monumentum 4, annot. 7.

ximis aedificium fidei sine fundamento non possit consurgere, et in nostris periculum sit ne, ut quisque erit doctior, ita pro-
 30 uinciam hanc, tanquam primo aspectu minus speciosam, forsitan detectare conetur; cum tamen re vera nulla sit fructuosior, vel proximis ad aedificationem, vel nostris ad charitatis et humili-
 35 tatis simul officia exercenda. Subditi vero, tum propter ingentes ordinis vtilitates, tum propter nunquam satis laudatum humili-
 tatis assiduum exercitium, Praeposito in omnibus ad institutum Societatis pertinentibus parere semper teneantur, et in illo Chri-
 35 stum veluti praesentem agnoscant et quantum decet vene-
 rentur⁸.

[6] Cum autem experti fuerimus iucundiores, puriores et
 40 ad proximi aedificationem aptiores esse uitam ab omni auaritiae contagione quam remotissimam et euangelicae paupertati quam simillimam; cumque sciamus dominum nostrum Iesum Christum seruis suis, regnum Dei solum inquirentibus, necessaria ad victum et vestitum esse subministraturum⁹: voleant singuli et
 45 vniuersi perpetuam paupertatem, declarantes quod non solum priuatim, sed neque etiam communiter possint pro Societatis sustentatione aut vsu, ad bona aliqua stabilia, aut ad prouentus seu introitus aliquos, ius aliquod ciuale acquirere; sed sint contenti vsu tantum rerum sibi donatarum, ad necessaria sibi
 50 comparanda, recipere. Possint tamen habere in Vniuersitatibus Collegium seu Collegia, habentia redditus, census seu posses-
 siones, vsibus et neccessariis studentium applicandas; retenta penes Praepositorum et Societatem omnimoda gubernatione, seu superintendencia super dicta Collegia et praedictos studentes,

33-34 ingentes ordinis... propter *om. Bull.*, *ubi notat* Ingentes Ordinis utilitates tum hic addunt P. Matth. et Inst. Soc. Ies. Pragae (1757) (R. T.)* — 36 te-
 neantur in *Ile. ms.* — 39 § 10 Cum *Bull.* — 43 victimum bis script., semel obl. *ms.* —
melius animam tuam, sciendo tuas inclinationes et uitam praeteritam; 2º ad non recipiendum te, si non uideretur expediens pro professione et honestate domus meae.

85v Cum episcopus receperit aliquem in domum suam, si accidat receptum in aliquam culpam uel defectum incidere, uel omnino causam aliquam dare, quapropter iudicet episcopus illum excludendum e domo sua, si episcopus illa sciat in confessione, an possit talis episcopus illi efficaciter persuadere et precipere in illo foro, ut discedat a domo sua, attento quod iudicet detrimentum passuram suam familiam, si non discedat; et in casu quod nollet obedire, an possit illi negare absolutionem, propterea quod censeretur perseuerare in animo ledendae congregationis. Si uero illa sciat episcopus sub sigillo

17 *Primum non add. b et c, modum Ile. b, modo Ile. c. — 18 Seq.* uel si esses receptus ad expellendum te, si non emendares uitam tuam; si tibi placet uiuere et seruire Deo in domo mea, debet esse hac conditione supra dicta eo quod cum ofensa diuina neminem uolo habere in domo mea *obl. c, non obl. b; ad marg. § 2i est in c* Firmabit si *seq.* non pona *imp. v.* ponatur, *obl.* manifestatio conscientiae fiat in confessione non *seq.* studio *? obl.* sub sigillo secreti vel alias, modo quod dicitur in hoc capitulo fiat antequam quis in domum recipiatur. *Seq. manu Nadal An obl.*; Talis episcopus antequam aliquem recipiat in domum suam, si aliquid sciat in confessione, propterea quod iudicet non esse admittendum, an *[I v. add.]* ex illa scientia possit moueri ad non recipiendum eum, et *seq. de et non recipere obl.* re ipsa non recipere, nulli causam explicando *obl.* — 19-28 si accidat... sua, illud tamen sciat episcopus in confessione... in interiori foro... domo, attento quod iudicat *seq. contrarium obl. c* ...quod talis nollet discedere, an... negare *seq. confess., imp. v. obl. c* ...censem... congregationis *add. c* *Nadal*, hac conditione et pacto, et fecerit tales confiteri sacerdoti designato ab ipso, et postea sacerdos de licentia confitentis reuelauerit confessionem sub sigillo secreti ipsi episcopo, uel ipse penitens reuelauerit sub eodem sigillo, nascitur dubium, an episcopus ita sciens in secreto peccata uel defectus illius, possit expellere illum sine preiudicio sigilli confessionis uel secreti, eo quod uidetur quod id quod prius erat in foro interiori et secretum, uenit in forum exteriorem propter expulsionem illius *b et Ile. c*; Si alia causa est exterior quapropter possit expelli, etiamsi sola non moueret, aliquo potest expelli: videlicet si iudicat superior, eum non esse idoneum, et non acquiescit; peccat et iniuste agit, videlicet ledit constitutiones, si velit contra illas *seq. recipi obl.* perseuerare, quare non est absolwendus, quare e religione exire *add. b marg. Nadal.* — 19 *Praec. 30 b, 30 § c.* — 21 episcopus *add. c, d, superior Ile. c; ad marg. b* Antequam ingrediatur congregationem vt possit *seq. expel obl.* non *[I v. add.] recipere*, nam id non est reuelare, quum multa sint, quae non sunt peccata, quapropter non recipiuntur *manu Na.* — 28 congregationis, praeterea quia *Ile. c, ubi in marg. est Firmabit*, si non ponatur reuelatio sub sigillo secreti, scilicet propter reseruationem casuum in confessione, et tunc poterit illi negari absolutione, si (iudicando passuram detrimentum domum suam si ille ab ea non discedat) nolit obedire *manu librarii*; et tunc poterit illi efficaciter persuaderi et precipi vt discedat a domo, si iudicetur domum detrimentum passuram si non discedat *seq.*

secreti, uel sub iuramento de non reuelando, an similiter possit persuadere illi et precipere in hoc foro, ut discedat, et si nollet, reseruare sibi eius confessionem, et tunc si nollet obedire, illum non absoluere. Preterea si sciat illa episcopus, ut dictum est, sub sigillo secreti uel sub iuramento de non reuelando, an ex rationabili causa, scilicet, quod iudicet episcopus detrimentum passuram familiam suam si non discedat, uel alia rationabili causa, possit simpliciter et sine 86r pluri illum de domo sua eicere.

An talis episcopus in casibus superioribus ut melius possit considerare et consultare in Domino, si erit ad maiorem gloriam Dei, quod talis persona uel non admittatur uel expellatur a domo sua, possit efficaciter persuadere tali personae, ut det sibi licenciam ut tribus aut quatuor domesticis suis dicat causas et consultet cum illis sub sigillo secreti, nec tamen coget, si nolit, dare talem licentiam. Fieret enim hinc, ultra quod melius forsan consuleretur in comodum talis personae, quod 45

et si *obl.* et in casu quod nollet obedire, poterit illi negari absolutio sacramentalis, propterea quod censetur perseuerare in animo ledendi congregationem. Praeterea quia in re graui non vult obedire illi cui se et in confessione subiecit, et preterea est subditus ut suppositum congregationis *manu Na. omnia obl.* — 28-37 Si... eicere *om. b. c.* — 38 *Praec. 90 b. c.* — 38-47 40 An... tamen cogatur... melius ipsi [sibi pr.] consuleretur... *omnes add. Na. c.* 40. In eodem casu, si episcopus sciens res penitentis potest de licentia penitentis dicere tale uel talia peccata in sigillo secreti duobus uel tribus personis domus suae ad unum de duobus effectibus, primo ad melius considerandum et consultandum in domino, si erit ad maiorem gloriam Dei, quod talis penitens maneat in domo; 2º ut domestici non scandalizentur, existimantes quod episcopus expellit illum sine aliqua causa, uel 30 propter vtrumque effectum, et etiam ut domestici magis adiuuentur etc. *b et Ile. c, nisi quod c habet si episcopus... si potest... uel tribus »vel quatuor« [2 vv. add. manu S. Ignatiij] ...20 »vel vt« [2 vv. add. manu S. Ignatiij], nec habet etc.; praeterea c habet Hoc et sequens caput firmabit; nam in conuentibus sunt superiori tres aut quatuor consiliarii, quibus superior solet hujusmodi secreta communicare, et qui superiori dicit, censetur dicere illis *manu librarii marg.*; An idem *seq. practicari obl.* Practicari possit quod in superioribus dictum est, si sciat episcopus illa sub sigillo secreti, nam *seq. in ? obl.* sub 40 res tota est multo facilior, et tum *seq. liceat ? obl.* forsan licent quae in casu sigilli confessionis non licent *manu Na., omnia obl.; ad marg. b. n. 4, add. Nadal:* Haec dico esse consultanda; nam solent esse 3 aut 4 a secretis in religiosis domibus, quibus omnia communicat superior et e consiliis eorum disponit, et reputantur una persona vt pater et mater, soror et frater etc., quia illi faciunt omnes vnum consultum. — 43 et consultet cum *add. c,* propter quas vi, *imp. v. videtur ? Ile.*; secreti *add. c,* sub quo vellet talis persona *Ile.*; cogatur *c, seq.* cum *obl.* — 44 licentiam; nam tunc solus consultandis quam *? Ile. c;* Fieret *add. c,* Foret *Ile.**

domestici non scandalizarentur, putantes quod sine causa excluderetur, magis etiam adiuuarentur domestici omnes.

Cum talis episcopus habeat autoritatem expellendi unum uel alium a domo sua, et iudicet quod sit conueniens expellere hunc uel illum; est dubium, an possit dicere causam talis expulsionis, quam solus scit (tamen absque aliquo sigillo), aliquibus personis domus sua, siue sit peccatum uel aliquod aliud inconueniens, ut domestici non admiren tur uel scandalizentur, cogitantes quomodo 86v uel quare talis persona expelleretur a domo, et an liceat, si causas sciat sub sigillo secreti, eas communicare tribus aut quatuor personis domus sua.

Ad maiorem tranquillitatem conscientiae, et ne aliquod offendiculum posset accipi in omnem euentum, an consulte fieret ut antequam aliquis admiteretur in domum episcopi, sciret, posse episcopum quemuis in domum suam non admitere, uel admissum eicere, etiamsi nulla causa possit reddi, sed solo suo libero arbitrio et iudicio (fit enim plerumque ut aliquis nobis non placeat, et tamen causam uel non facile uel omnino non possimus explicare, preter auersionem animi et quod non placeat). Nam quando esset aliqua causa sub nullo sigillo scita, propter quam aperte liceret, aliquem uel non admitere uel eicere admissum, uideretur clarum non esse reuelatorem confessionis, qui motus scientia confessionis intrinsecus, uel non admiteret uel reiceret admissum, ut patet in communibus casibus de sacerdote qui fuerat intraturus 87r nemus cum latronibus etc., et de abbatte reuocante ad monasterium administratorem predii² etc.

46-47 excluderetur; interim ? *Ile. c.* — 47 etiam *add. d.*, enim *Ile.;* ita etiam *c.* — 48 *Pracc. 50 c.* — 50-51 expulsionis nam *c.*; nam solus... sigillo *add. Na. c.* — 50-55 expulsionis omnibus uel aliquibus... aliiquid... scandalizentur quomodo uel quare talis persona expelleretur a domo *b.* — 55 et... secreti *add. Na. c.*, an idem *Ile.* — 56 aut 4 qui sibi sunt aut acciperentur a secretis *c.* Firmabit ut supra *manu librarii add. et obl. c.* — 57-71 *Pro his sunt in c 60.* Postquam [Ante et Postquam aperta pr.] clarum est in casu 2*i* capituli, idem licere si illa sciantur *fseq.* sub sig. *ob!J* solum sub sigillo secreti; dubitatur an in casu 3*i* capituli, si sub solo sigillo

² Cf. *S. Alphonsi Theologia Moralis*, I. 6, tract. 4, c. 3, nn. 655-657, In ed. Gaudé, III, 676-680. Locus n. 656 transcriptus est in *Monum. Ignat.* ser. 4^a, I, 331, annot. 35. His locis invenies auctores antiquos, qui rem hanc eodem modo solvebant atque Fr. Aegidius Foschararius hoc loco. Inter eos est *Sylvestrina Summa*, sub titulo *Rursus de Confessione III*, nn. 14-19, in ed. lugdunensi 1572, pp. 171-172. Hanc sententiam sequi nunc non licet.

Si est eadem ratio in generalibus, abbatibus, et prioribus in monasteriis et domibus religiosis que est in episcopo in casibus predictis etc.

Ex oraculis sacris et euangelica doctrina mihi excerpta ⁷⁵ haec esse videntur et ideo digna obseruatu.

Fr. Aegidius Foschararius, mag. sacri pal.

38 sexles

SERIES SEXTA¹

Proponuntur capita undecim et complures quaestiones, quibus plerumque subjicitur duplex responsum. — 1. De praepositis inferioribus quaestiones tres. — 2. De consilio ad Constitutiones condendas quaestio una. — 3. De missionibus quaestio una. — 4. De votis praecipue obedientiae quaestiones quinque. — 5. De erectione collegiorum quaestio una. — 6. De voto paupertatis et ad proprietatem pertinentibus quaestiones sex. — 7. De collegii quaestiones tres. — 8. De Constitutionibus quaestio una. — 9. De coadjutoribus quaestiones duae. — 10. De gratiis quaestio una. — 11. De obligatione bullae et Constitutionum separata quaestio. Additur tertia de gratiis, quae ad caput precedens magis pertinet.

secreti illa sciat episcopus, possit illi persuadere efficaciter et praincipere in illo foro, vt discedat; et in casu quod nollet, an possit sibi illum casum reseruare et non absoluere [an... absoluere add., posset iubere confessori vt illum non absolveret pr.]. 70 Ad tollendum omnem occasionem calumniae, in omnem euentum, an consulte fieret vt antequam aliquis admitteretur in domum episcopi, sciret, posse [I v. add., licere Ile.] episcopum, quemuis e domo sua ejicere, etiamsi nulla causa posset redi, sed solo suo libero arbitrio et iudicio [suo arbitrio quod ita sibi videretur pr.] add. manu Na. — 72 Praec. 60 Item add. b Na., 80 add. c, 70, 60, 50 pr. — 74 Firmabit manu librarii c marg.; item in c Condicio vt fiant de licentia confidentis omnia, et ita consentiat [consensum det pr. ?] formaliter. Et quidem interpretatue videtur consentire. Sciant omnes antequam ingrediantur, licere superiori in quauis congregations societatis licere [sic] quem velit excludere, etiamsi nulla causa [seq. sit obl.] appareat, id solo suo spiritu et arbitrio, vt quod genius [sui super, imp. v., obl.] inferioris non bene conuenit cum [seq. inf, imp, v., obl.] superiori. Vide Tho. in Summa, pro excludendis*. Praeterea aliter agendum cum professis, aliter cum coadiutoribus, aliter cum scholasticis, aliter cum simplicibus nouitiis manu Na. marg. obl. omnia. Seq. Quod vero (?) ig. cum visitabit est: de votis coadiutorum, de examine, de dubiis non obl. quae non videntur hoc pertinere, v. Proleg. — 75-77 Ex... pal. autographa Foschararii.

¹ Ex codice *Instit.* 178. 1, ff. 2r-9r. Sunt ejusdem monumenti exempla duo ab uno librario scripta. In utroque exemplo capita eadem proponun-

* Videtur indicare *Supplementum*, 3, 11, 1 ad tertium et quartum, in ed. leonina, t. XII, pp. 23-24.

Autogr. Natalis pag. 340, II. 4-10.

ripiet dominum regnans que est in
cœlo in cœlius produxit. Et
est oracula sancta et angelica doctrina mihi profecta
hinc ostia vider. Et in signo obsecrari
hunc apparet postquamvis magis salvi. Quod

Autogr. Aegidii Foscararii pag. 346.

2r Ihs [†]

[1] DE PREPOSITIS INFERIORIBUS

Cum summus pontifex per breue² det facultatem vt generalis prepositus huius Societatis constituant particulares praepositos prouinciales et locales, dubium est an illis teneantur ex voto obedire, qui de Societate fuerint in eorum locis vel prouinciis, cum nil dicatur de hoc expresse in breui, et in bulla³ votum videatur accipi de obediendo praeposito generali.

[*Primus*] Tenentur obedire, si sit superior.

10 [Alter] 6r Sic, si praepositus generalis ita mandaret.

2r 2º Cum de hujusmodi praepositorum inferiorum potestate fere nihil exprimatur in breui, dubitatur an eo ipso quod dat facultatem creandi hujusmodi prepositos, det generali, vt suam illis communicare possit potestatem vel auctoritatem, et 15 si sic est, num pro arbitrio possit generalis communicare particulari praeposito totam auctoritatem suam vel partem eius⁴.

[*Primus*] Prepositi creati, durante creatione, habent auctoritatem, et prepositus generalis potest hanc facultatem dare in totum vel in partem; hoc colligitur ex tenore breuis.

20 [Alter] 6r Potest ad beneplacitum facere et reuocare et communicare in totum uel in partem juxta breue.

2r 3º. An possit generalis semel datam auctoritatem restringere et cui volet dare; cum volet, non dare vel etiam auferre.

[*Primus*] Potest reuocare prepositus generalis.

1 In lo exemplo abest Ihs. — 13 generali alt., generalis lo, ubi generali lle.

tur, quae (id quod ex responsionibus patet) duobus consultoribus exhibita sunt. Uterque consultor in margine scripsit responsiones manu sua, quae proinde in foliis diversis reperiuntur. Claritatis causa singulis responsionibus praefigimus *Primus*, *Alter*, quibus verbis duorum consultorum responsa discernimus. Cf. *Proleg.* c. 2, a. 15, § 4.

2 Significat breve Pauli III, «Exponi nobis», 5 Junii 1546, monumentum 23.

3 Bulla Pauli III «Regimini militantis Ecclesiae», 27 Septembris 1540, monumentum 7.

4 V. in serie tertia dubiorum, n. 29, ad f. 27v, ubi habes responsum «Aqui es menester» etc., supra, p. 315.

[*Alter*] 6r Potest ad suum beneplacitum dare, restringere ²⁵
et auffere.

2r [2] DE CONSILIO AD CONSTITUTIONES CONDENDAS

Cum ad Constitutiones condendas consilium adhibendum esse Societatis in bulla dicatur, dubito an satis sit socios scripto reliquise suas voces praeposito, vel in posterum transmittere, licet personaliter non adsint⁵. ³⁰

[*Primus*] Si sunt in remotis partibus, solus prepositus potest facere, et potest communicare et petere consilium in absentia si non sunt in remotis: remota loca quae dicantur, relinquitur arbitrio boni viri. ³⁵

[*Alter*] 6r Possunt in absentia dare voces suas et scribere etiam in presentia.

2v [3] DE MISSIONIBUS

Cum aliquis de nostris a summo pontifice mittitur tempore non limitato, dubium est, an possit reuocare, vel alio mittere prepositus, si satisfactum erit intentioni pontificis, vel videatur quod alibi magis Deo et sedi apostolicae inseruiet, an non; sed expectandum est ut reuocet idem qui missit summus pontifex. ⁴⁰

[*Primus*] Oportet intervenire pontificis reuocationem secundum tenorem bulle, quia omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissoluitur. ⁴⁵

[*Alter*] 6v Poterit reuocare, si pontifex non prohibuerit; creditur non prohibere, quod se remittit pontifex ad prepositum⁶. ⁵⁰

²⁵ restringere, dare *Ille*. — 29-30 socios scripto reliq., *bis script.*, *semel obl.* in alt. — 31 assint *mss.* — 48 Non poterit reuocare sine licentia pontificis *Ille*.

⁵ V. ib., f. 18r, 7^{um} et 8^{um} punctum, p. 298.

⁶ Praevaluit haec altera sententia in bulla Pauli III «Licet debitum», 18 Octobris 1549 (monumentum 39, n. 2) quae inde a primis temporibus sententia Ignatii Patris fuisse videtur. Cf. supra, *Ephemeridem*, ad diem 17 Martii et monumentum 20. Vide etiam in serie tertia dubiorum, f. 19v, dubium 5^o loco positum, supra, p. 301.

[4] 2v DE VOTIS PRECIPUE OBEDIENTIAE

Dubium est primo an simul debeant enumerari vota, an sparsim vt modo iacent⁷.

[Alter] 6v Possunt sparsim et simul. Melius ~~eset~~ simul,
55 si potest.

2v 2°. Cum in bulla⁸ dicatur (voueant singuli se in omnibus quae ad nostrae regulae obseruationem pertinent, obedientes fore Societatis preposito) dubitatur an ratione voti peccaturus esset mortaliter quicunque in aliquo huiusmodi ab obedientia 60 recederet, et num, stante hac clausula in bulla, possit in Constitutionibus declarari intentio fundatoris, quae est, ne teneatur quis ad peccatum ullum praetermissae obedientiae hujusmodi ratione, nisi praepositus in virtute obedientiae vel in nomine Domini Iesu Christi expresse praecipiat.

65 [Primus] Non tenentur ad peccatum mortale, nisi inobedientia sit contra professionem, et tenentur sicut alii professi alterius ordinis, vt notant sumiste, maxime Siluestrina⁹ verbo obedientia.

[Alter] 6v Non omnis transgressio inducit peccatum nisi 70 contra substantialia uel in contemptum, aut contra ea que praepositus in virtute sancte obedientie praeciperet. Et prepositus ac confratres possunt statuere quod nullus peccet in transgressionibus, nisi in substantialibus et nisi ut supra¹⁰.

53 In 1o exemplo seq. Licet vota sint distincte posita in bulla, faciens professionem videtur se obligare ad vota omnia contenta in bulla, et tempore probationis de hoc erit instruendus obl. — 62-63 hujus ratione alt. et Ille. in 1o. — 63-64 vel... praecipiat obl. in alt.

⁷ V. seriem tertiam, f. 20v, dubio primo, p. 302. Primus consultor responsum datum delebit (v. variationes) quod viderit, suspicamur, propositae quaestioni non respondere; deinde aliud non addidit, quod fortasse rem claram esse putaverit.

⁸ In bulla «Regimini militantis Ecclesiae», prima Pauli III, monumento 7, n. 5.

⁹ Sub verbo *Obedientia*, parte 2, p. 253, col. 1, *Nono*, remittit ad verbum *Religio*, 6, 6, quod est in p. 352, col. 1, «Sexto... vtrum religiosus teneatur obedire in omnibus».

¹⁰ V. seriem tertiam dubiorum, f. 20v, circa punctum 13, c. 2, supra, pp. 302-303.

2v 3º. Dubium est in quos habeat auctoritatem praecipiendi praepositus an tantum in professos; an etiam in coadiutores, 75 qui votis emissis formati dicuntur; 3r an etiam in scholasticos, qui post votum simplex ad collegia mittentur; an etiam in alios qui extra domos et collegia sunt, sed votum habent obediendi; an in omnes qui in domibus et collegiis Societatis sunt, et adherent illi admitti cupientes in ea emissso voto vel non emissso. 80

[*Primus*] **2v** In omnibus habet auctoritatem. **3r** Contra omnes hos habet auctoritatem, et hoc ex verbis bulle et breuis.

[*Alter*] **7r** In omnibus habet auctoritatem juxta bullam¹¹.

3r 4º. Dubito an prepositi inferiores in obedientiae virtute praecipere et obligare subditos possint. 85

[*Alter*] **7r** Tantum possunt, quantum eis tribuerit generalis prepositus.

3r 5º. Dubito an possit prepositus punire eos qui subduntur ei, scilicet, professos, coadiutores, scholasticos et alios eis adhrentes cum voto obediendi etc., quia nil aliud exprimitur de 90 vi coactiuia, nisi quod pre se fert nomen et officium prepositi. Dubitatur ergo an hujusmodi auctoritas censeatur collata cum ipso officio necne.

[*Primus*] Potest punire secundum statuta regule et ordinaciones. 95

[*Alter*] **7r** Prepositus potest punire facereque ordinationes super hoc¹².

[5] **3r** DE ERECTIONE COLLEGIORUM

Dubitatur an poni possit aliqua clausula in bulla, qua possit Societas admittere collegia quae pro erectis habeantur. 5

85 *Seq. in 1o* obediendum est prepositis inferioribus durante officio *obl.* — 86 Possunt, si prepositus generalis e *imp. sensu*, *Ile*.

¹¹ Ib., f. 21r, c. 6, supra, p. 303. Primum responsum primi refertur ad coadiutores, alterum ad scholasticos et reliquos, qui post illos in interrogatio-
nem ponuntur.

¹² De poenis nullum est caput singulare in bullis, neque in Constitutionibus Societatis Jesu. Provisum tamen a S. Ignatio in Examine, I, 6; IV, 33 et 41; et in Constitutionibus, III, 1, 15, N et 28; IX, 3, 11. In universum «qui modus teneri debeat prudenti charitati Superioris et eorum, quos sibi substituerit, relinquetur» (*Const.* III, 1, 15). Vide in serie tertia annot. 49.

[*Alter*] 7r Potest poni, sed opportet quod admittantur per superiorem¹³.

[6] 3r DE VOTO PAUPERTATIS ET AD PROPRIETATEM PERTINENTIBUS

Cum dicatur in bulla sic vouendam esse paupertatem 3v vt nullum jus ciuile possit acquiri ad bona villa stabilia vel redditus, sed contenti sint vsu rerum donatarum; dubito primo an possit haberi domus propria cum ecclesia, et praeter eam quam Societas inhabitat, alia pro infirmis et conualescentibus, tum supellectilia, an, inquam, vt propria possint haberi hujusmodi dubito¹⁴.

[*Primus*] Videtur quod sic, vbi sint contenti vsu tantum rerum etc., et hoc ex tenore bulle. Et in omnibus hiis habent vsum; dominium autem est penes papam, vt dicitur de Fratribus minoribus.

20 [Alter] 7v Pro usu Societatis sic, et tamen sunt Ecclesiae.

3v 2º. Si non habebit Societas proprietatem, quot stabilia sunt et aliud ab vsu, ea quae diximus, peto ad quem pertinebit proprietas, qui datus est hujusmodi vtenda Societati.

[*Primus*] Jam est responsum, proprietatem expectare ad 25 papam.

[*Alter*] 7v Proprietas erit Ecclesiae et non Societati, sed pro usu ut supra.

3v 3º. Si quis rapere vel per calumniam auferre hujusmodi velit, quid agendum vel quomodo obsistendum.

30 [*Primus*] Officium judicis est implorandum, vt faciunt Minores. De hoc habetur in tractatu Minoricarum probatio¹⁵.

[*Alter*] 7v Via juris vel ex officio seu ad instantiam procuratoris Societatis.

¹⁴ inquam, haec *lle. mss.* — 21 *qt** stabilia *mss.* — 22 ea quam *lle. in lo.* — 30 *Ante officium est aliquod verbum (forte ex vel ejus) obl., quod legi non potest.*

¹³ V. in serie tertia, f. 24r, c. 6, supra, p. 309. Primus consultor huic quaestioni satisfacere omisit.

¹⁴ V. seriem tertiam, f. 22v, circa punctum 17, n. 7, p. 306.

¹⁵ Lib. 1, distinct. 4, c. 3, (nn. 25, 26, 27) f. 108, col. 2, v. BARTOLI A SAXOFERRATO in *Bibliographia*.

* Utrumque ms. habet aut *qt* aut *qr*, vel forte *qc*; commodior sententia videtur esse per *quot pro quod*, vel forte *quatenus*.

3v 4º. Si vendi oporteret supellectilia vel aliquid ex predictis, quomodo posset transferre proprietatem qui non habet. 35

[Alter] 7v Ecclesiae nomine fiet, ut clarum est in jure¹⁶.

3v 5º. Dubito an juxta bullae verba possit accipi domus diuendenda data pro eleemosina; quo enim modo vendet transferendo dominium, si non potest habere illud nec ullum jus ciuale ad bona stabilia; postquam etiam donator dominium 40 amissit et Societas non potest habere, quod erit subiectum proprietatis vel dominii, antequam domus donata vendatur?

[Primus] Potest vendi et trasferre dominium, cum sibi detur ad istum effectum pro substantiatione, et sic faciunt Minores, vt dicit glossa, capite vno De religiosis dominibus, VI, verbo: domum; Cursetus singularibus suis, verbo mendicantes¹⁷. 45

[Alter] 7v Si fuerit legatum Societati, nullum erit, quia factum incapaci, judicio meo juxta bullam.

4r 6º. Dubito an vlla summa pecuniae ex eleemosinis habitae vel aliquod tempus quo retineatur, repugnet voto nostrae paupertatis¹⁸. 50

[Primus] Potest retineri pro vsu de licencia superioris pro aliquo tempore; vel penes tercium cum eadem licencia pro rebus necessariis.

[Alter] 8r Repugnat ita quod nullus professus potest tenere quid minimum apud se etiam cum licentia, neque ipse praepositus, quia ita cantat bulla¹⁹. 55

45 Post v. uno seq. de statu ? Regular. VI obl.

¹⁶ Consultor primus omisit hic responsum, coniunctaque cum responsive ad n. 5, infra.

¹⁷ Videsis *Liber Sextus Decretalium D. Bonifacii Papae VIII*, Venetiis apud Iuntas, 1615, p. 382. Antonius Corsetus, designatus episcopus melitensis, obiit Romae 18 Augusti 1503. Fuerat professor juris canonici Bononiae. Scripsit *Repertorium, De ouctoritate glossae etc.* (HURTER, *Nomenclator*, t. II, col. 860, ed. 2, 1906). Hic vero citatur opus *Singularia Doctissima*, caet., v. *Bibliographiam, Singularia Praeclarissima*. Cf. et SUAREZ, *De religione Societatis Jesu*, I. 4, c. 9, nn. 431-433.

¹⁸ V. in serie prima, f. 4r, n. 14, supra, p. 272, ubi tamen expresse agitur de quantitate, quae sive communiter sive privatum retineri possit; et quaestio quidem haec sensum eundem retinere potest; responsiones vero privatum hominem religiosum respiciunt.

¹⁹ Intellige ut proprium, nam hoc tantum cantat bulla.

[7] 4r DE COLLEGIIS

Cum in bulla dicatur quod Societas nostra habere possit
 60 collegia, quae redditus habeant, dubito an «habere» importet do-
 minium vel proprietatem collegiorum, licet vsus reddituum restrin-
 gatur ad scholasticos, an tantum superintendentiam, et tunc peto
 quis habiturus est proprietatem domus et reddituum etc.²⁰.

[Primus] Collegium habet redditus in communi, et admi-
 65 nistratio pertinet ad praepositum generalem, et dominium est
 penes collegium.

[Alter] 8r Superintendentia non importat dominium et
 administrationem, sed usum tantum, et pro scholaribus ordi-
 nando administrationem.

70 4r 2º. Cum dicatur in bulla quod Societas in proprios vsus
 non possit conuertere redditus collegiorum, dubitatur an per
 haec verba excludatur exigua queppiam summa, quae vel trans-
 euntibus de Societate professis possit impendi (dum ibi ali-
 75 quo dies detinentur, vel aliquo viatico juuantur) vel in collegio
 manentibus non leui de causa; vt si quis ad scribendum se ibi
 aliquod tempus reciperet. Cum mens fundatoris vel 4v institu-
 toris Societatis ea sit vt exigua hujusmodi non excludantur²¹.

[Primus] 4r Potest exigua res dari in elimosinam, sicut
 dicitur de monacho existente in studio vel de muliere vxorata;
 80 4v verbo, non abuti nec in proprios vsus conuertere, sed
 studentium necessitatibus.

[Alter] 8r Excluduntur etiam minima, quia non sunt in
 consideratione professis etiam pro viaticis, intelligendo stricte
 professionem et bullam; largo autem modo minimum et nomine
 85 elemosine non esset in consideratione.

4v 3º. Dubitatur an hujusmodi collegiis competit actio ad
 haereditates scholasticorum, qui post votum simplex ibi stu-
 debant, sicut congregationibus monachorum habentium reddi-
 tus competit²².

68 sed non *? 11e*. — 73 de Societate professis *in 1º add. alia manu*; abest a
 2o; posset 2o. — 78 dare ms. — 82 Praec. Non obl.

²⁰ V. seriem tertiam, f. 23r, c. 18, supra, p. 307.

²¹ Ib., f. 23v, n. 4, supra, p. 308.

²² Ib., f. 24r, n. 8, supra, p. 309.

[*Primus*] Nihil competit collegiis, quia scholares ante professionem habent facultatem testandi.

[*Alter*] 8v Non competit actio collegiis, sed scholares habent facultatem disponendi.

[8] 4v CONSTITUTIONES

An Constitutiones, quae per breue confirmabuntur, erunt immutabiles²³.

[*Alter*] 8v Non²⁴ poterit enim prepositus secundum varietatem temporum variare quando erunt semel facte.

[9] 4v DE COADIUTORIBUS

Cum in breui dicatur 20 coadiutoribus conferri posse gratias etc. Societatis, et rursum dicatur coadiutores posse vota tria emittere; peto an illi sint tantum censendi coadiutores, qui vota emiserunt, an etiam qui nondum emiserunt, sed in probationis tempore sunt, post emissuri, censendi, inquam, coadiutores, vt eis gratiae comunicari possint²⁵.

[*Primus*] Omnes sunt coadiutores tam profissi quam non profissi, et hoc ex tenore breuis, possunt coadiutores profiteri prout in breui et durante tempore coadiutorie astringuntur ad vota secundum tenorem breuis.

[*Alter*] 8v Omnes sunt coadiutores, quibus coadiutoribus, nisi aliter caueatur, poterunt concedere gratias, ut sonat bulla.

5r 2º Dubito an facultas quae praeposito datur vt promoueri faciat hujusmodi coadiutores ad omnes ordines sic accipiatur, vt non requisita licentia ordinarii vel summi pon-

²³ Responsum primi Ni papa posuit auctoritatem, sine eius licentia non possunt mutari; vel si semel fuerint facte virtute facultatis pape, amplius non possunt mutari, quia licentia concessa ad faciendum Constitutiones, intelligitur de prima vice, et non de 2a. Abba (?) [Panormitanus] late capite 2, De treg. et pace est obl.
²⁴ Non, quia semper cauetur, totiens *Ile.*, *imp. sensu.* — 15 Post coadiutoribus seq. tantum, tantum *fsic* quantum et duo triave verba, quae legi nequeunt, obl. —

²⁵ Ib., f. 25v, circa punctum 24, supra, p. 312.

²⁴ Virgula post *Non* abest a ms., ut saepe alias; sententia tamen illam requirere videtur.

²⁵ Ib., f. 27r, n. 9, supra, p. 314.

²⁰ tificis, a quovis antistite, etiam extra tempora, faciat promoueri²⁶.

[Primus] Possunt ordinari secundum formam breuis sine ordinarii licencia.

[Alter] 8v Potest absque licentia ordinarii, sed in temporibus.

[10] 5r DE GRATIIS

Petatur an gratias aliquas Societati concessas, deceat et conueniat in bulla poni²⁷.

[Alter] 8v Sic.

30

[11] 5r DE OBLIGATIONE

Dubito an omnia quae in bulla sunt, obseruare teneamur sub pena peccati ratione voti²⁸.

[Primus] Jam est responsum supra, quod tenentur ad omnia contenta in bulla sub pena peccati ratione professionis, hoc tamen pro tempore et loco, nisi causa rationabilis excuset.

[Alter] 9r Non omnia nisi ea quae sunt de substantialibus aut nisi fuerit mandatum sub obedientia.

5r 2º. Quatenus quae in Constitutionibus et regulis sunt, ad peccatum obligent²⁹.

9r [Alter] Si esset positum verbum in uirtute sancte obedientie in dictis Constitutionibus et regulis, obligarent ad peccatum, uel si faceret aliquid contra substantialia, ut supra dixi, nisi immineret aliqua causa rationabilis siue necessitas.

45 5r. An possit prepositus generalis ad gratias conferendas alium subdelegare³⁰.

[Primus] Potest, vt dicitur in breui.

20-21 *Verba* etiam... promoueri *deleta sunt in 10.* — 27-28 *Verba* Petatur... poni *deleta sunt in 10.* — 44 innineret ms. — 45-46 An possit... subdelegare *desunt in 20.*

²⁶ Ib., f. 27v, n. 13, supra, p. 315.

²⁷ Ib., f. 28r et v, circa ultimum punctum, n. 30, p. 316. Primus non dedit responsum, nec mirum si quaestio cancellata est prius quam res illi proponeretur.

²⁸ V. supra, annot. 10.

²⁹ Huic quaestioni primus nihil respondit.

³⁰ Cum ab altero exemplo quaestio haec absit, nihil mirum quod responsum alterum desideretur.

BULLA QUARTA PAULI III¹

PLURIMA PRIVILEGIA SOCIETATI JESU CONCEDUNTUR, 1549

1. *Ratio et finis Societatem Jesu specialibus favoribus prosequendi.* —
2. *Plena administratio praepositi generalis, qui tamen interdum removeri ab officio potest; ejus potestas circa missiones.* —
3. *Dignitas non acceptanda sine facultate; ambitiosus incapax dignitatis; a correctione regulae non appellandum; superiores non tenentur aliquem ad praelati ministerium deputare, deputatos autem revocare possunt.* —
4. *Potestas absolvendi et dispensandi subditos.* —
5. *Reincidentia in censuras; sociorum confessarii.* —
6. *Votis ligati alium ordinem praeter Carthusiensium ingredi nequeunt; apostatae et insolentes coerceri possunt.* —
7. *Exemptio.* —
8. *Oratoria, altare portatile, privilegia tempore interdicti.* —
9. *Nullae censurae ferri possunt contra privilegia Societati concessa a Paulo III, qui apostolicae sedi eorum interpretationem reservat.* —
10. *Qui sociorum concionibus intersunt, missas audire et sacramenta recipere ibidem possunt.* —
11. *Promotio ad sacros ordines per quemlibet antistitem.* —
12. *In terris infidelium et haereticorum commoratio.* —
13. *De officio visitatoris etc., de cura monialium.* —
14. *Exemptio a solvendis decimis.* —
15. *Domus vel collegia Societati donata, eo ipso auctoritate apostolica censeantur erecta; bona Societati data pro collegiis auctoritate apostolica applicata censeantur, etc.; ecclesiarum benedictio et consecratio; domorum etc. constructio.* —
16. *Dispensatio cum nostris ab irregularitate.* —
- 17-18. *Confessionis et communionis administratio.* —
- 19-20. *Indulgencia plenaria et septem annorum.* —
21. *Lectores theologiae et aliarum facultatum; absolutio reservatorum in terris infidelium et partibus remotissiniis; dispensatio ad matrimonium in gradibus jure divino non prohibitis; ecclesiarum erectio, reformatio, reconciliatio; statuta condere; provincialis electio, potestas bis in die celebrandi.* —
22. *Privilegia prius concessa confirmantur; professio ubique locorum.* —
23. *Coadjutorcs sine certo numero admitti possunt; generalis gratias concessas potest per alios exercere.* —
24. *Clausulae.* —
25. *Socii commendantur.* —
26. *Judices conservatores.* —
27. *Clausulae.*

¹ Collata est cum exemplo authenticō typis exscripto, quod est in *Collezione dei bandi (Ba.) Archivio di stato, Romae.* Sunt ibidem tria exempla impressa, unum litteris italicis, duo communibus; singula singulis foliis et una pagina tantum, magnitudinis 0,585 × 0,430. Tria sunt revisa et emendata a Gabriele Vignodo, archivi romanae curiae scriptore, atque ejusdem sigillo munita. In italicō notavit Vignodus errores septem; in aliis duobus tres tantum eosque diversos ab illis septem. Errores hi recte notantur et emendantur in tribus exemplis, praeter unum errorem, qui est in utroque exemplo communi, pertinent pro pertinenter, pro quo verbo in uno ex his duo-

ALIA BULLA
QVA PLVRIMA PRIVILEGIA ET INDVLTA

SOCIETATI AB EODEM PAULO III CONCEDUNTUR

ANNO 1549

5 PAVLVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, AD PERPETVAM REI MEMORIAM

[1] Licet debitum pastoralis officii omnibus regularem vitam ducentibus, vt in suis disciplinis et laudabilibus institutis conseruentur et augeantur nos reddat fauorabiles et benignos; ad Societatem vero de Iesu per nos institutam et approbatam, 10 cuius specimen veluti ager fertilis in Domino multiplices atque vberes fructus animarum, ad summi Regis laudem et fidei incrementum, attulit et affert quotidie verbo et exemplo in populo Christiano, dirigentes praecipue velut pius pater oculos mentis nostrae: dignum censemus, vt ipsam Societatem eiusque in odo- 15 rem suavitatis altissimo deseruientes personas specialibus fauoribus prosequamur, illaque sibi fauorabiliter concedamus, per quae Societas ipsa vtiliter regi et prospere dirigi, ac ad animarum auxilium fideliter in Domino procedere valeat.

[2] Hinc est quod nos dilectorum filiorum Ignatii de Loyola, moderni Praepositi Generalis, et aliorum Sociorum eiusdem ordinis supplicationibus inclinati, sibi vt Praepositus Generalis dictae Societatis pro tempore existens, cum primum iuxta Constitutiones eiusdem Societatis in illius Praepositum electus fuerit, eo ipso verus ipsius Religionis Generalis Praepositus, cum libera, generali et omnimoda cura et administra-

19 § 1 Bull.

bus ponitur *procurarent*, qui lapsus calami vignodiani est, nam nullum sensum refert. Est locus in n. 15, l. 52. Sumimus ergo ad collationem nostram exemplum ubi ponitur *pertinerent*. Typis vero exscribimus exemplum editionis primae. Cf. *Proleg.* c. 3, initio et a. 8. Cur exemplum manu scriptum archivi vaticani non habeamus, vide in *Proleg.* c. 3, a. 8. Est apographum mediocre in cod. *Instit.* 222, ff. 252-262; unam illius lectionem alicujus momenti variantem notandam censemus; signamus illam per syllabam *Na.* (*Natalis multa sunt in hoc cod.*). Contulimus etiam *Bullarium Romanum*, ed. taurinensis (1860), t. VI, pp. 394-401. Textum habes quoque in editione *Cocqueliniana* IV, 63; in *Magno Bullario Romano Cherubinorum* I, 774.

tione omnium et singulorum, ad foelix régimen et prosperam directionem dictae Societatis spectantium et pertinentium, sit et esse censeatur; ac suum Praepositi officium in omnibus exercere incipiat, ac plenam in vniuersos eiusdem Societatis socios et personas sub eius obedientia degentes vbilibet com- 30 morantes, etiam exemptos, etiam quascunque facultates habentes, suam iurisdictionem exerceat; possitque et debeat dictus Praepositus, per personas ad id a dicta Societate facultatem habentes et ad id deputatas, in certis casibus² iuxta dictas Constitutiones amoueri, et alias ipsius loco per easdem per- 35 sonas substitui, et alias, prout personae deputatae praedictae id in Domino conspexerint salubriter expedire; ac ipsem et Praepositus pro tempore existens, ire et suos quoconque locorum, etiam inter infideles³, cum expedire in Domino iudicabit, mittere ac reuocare; et per Nos ac successores nostros 40 ad locum aliquem missos sine temporis certi limitatione, cum id expedire ad Dei gloriam et animarum auxilium visum erit (super quo conscientiam dicti Praepositi oneramus), ad alia loca transmittere libere et licite valeat; (qui, vbiunque morari contingat, ad nutum nostrum et Romani Pontificis pro tempore 45 existentis, ad Sedem Apostolicam, seu quo oportuerit et sibi per dictam Sedem iniunctum fuerit, iuxta ipsius Societatis professionem, venire debeant) concedimus⁴.

[3] Ac volumus, statuimus et ordinamus, quod Praepositus absque Societatis, et aliquis ex sociis huiusmodi absque dicti Praepositi consensu et expressa licentia, electioni seu proui-

32 § 2. Possitque *Bull.* — 37 § 3. Ac *Bull.* — 48-49 debeat, concedimus. § 4. Ac *Bull.* — 50 ex locis *Bull.* additique not. Sociis legit Inst. S. I. s. c. pag. 305 (R. T.) *.

² Hi casus notantur in *Const.* IX, 4. Circa praecedentia confer bullam Clementis IV «Virtute conspicuos» (*Bullarium Romanum*, III, 736), quae citatur etiam in mari magno de quo infra; vel mare magnum a Sixto IV ordini Praedicatorum concessum, vel bullam Gregorii XI «Virtute conspicuos» (8 Aprilis 1374), quae cum bulla «Virtute conspicuos» Clementis IV verbum de verbo saepe convenit, *Bull. Rom.* IV, 567-573.

³ V. observata Patrum in monumento 46, ibique eorum de hac re sententiam, n. 28.

⁴ *Const.* VII, 1, 6, quod jam est in exemplo a, *Instit.* 7, f. 67.

sioni de illius persona in Episcopum, Archiepiscopum aut aliam quamcunque dignitatem, per quemcunque Principem vel quodcunque Capitulum aut alias quascunque personas ad id auctoritatem habentes, pro tempore factae, consentire; aut ad illam admitti, seu alicuius praelationis et dignitatis in eadem Societate (si eam occulta aut manifesta ambitione quaesiisse conuincetur) capax esse nullatenus possit; quodque a correctione regulae Societatis huiusmodi secundum ordinationes eius factae (vt vigor disciplinae melius conseruetur) appellari, aut talis appellatio per vnum iudicem admitti, seu ab officiis absolutio aut priuatio peti non possint; et tam Generalis quam alii inferiores Praepositi eiusdem Societatis fratres seu socios dictae Societatis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis seu aliis ecclesiarum Praelatis et personis, in socios aut alias ad vnum eorum ministerium deputare minime teneantur, nisi auctoritate litterarum eiusdem Sedis de societate et indulto huiusmodi expressam facientium mentionem; et si quos deputare contingret, nihilominus sub ordinis correctione exstant, et cum expidere iudicabunt, eosdem remouere possint⁵; illos vero ex fratribus seu sociis praedictis, qui ad praedicandum crucem, vel ad inquirendum contra haereticam prauitatem, seu ad alia similia negotia deputati fuerint, Ignatius et alii illius successores Praepositi Generales dictae Societatis pro tempore existentes remouere seu reuocare et transferre, ipsisque quod supersedeant iniungere, ac alios illorum loco substituere, cum expedire viderint, libere et licite valeant⁶.

[4] Ac eisdem Ignatio et aliis Generalibus Praepositis pro tempore existentibus, vt per se vel alios ad id per eos pro tempore deputatos, omnesque et singulos eiusdem Societatis socios et personas sub eorum obedientia, disciplina et correctione pro tempore degentes, ab omnibus et singulis eorum

58 § 5. Quodque *Bull.* — 59 eius *om. Ba.*, *Bull.*, *E4 sqq.* — 62 § 6. Et *Bull.* — 70 § 7. Illos *Bull.* — 71 praedicandam *Ci.*, *Fl.* — 78 § 8. *Bull.* — 80 que *om. Ci.*, *Fl.*

5 Cf. Clemens IV, *Bull. Rom.* IV, 739, § 15, vel Gregorius XI, ib., p. 570, § 15.

6 Locus «illos vero...valeant» (a l. 70) ad verbum fere sumptum est ex bulla Clementis IV supra notata, vel Gregorii XI «Justis potentium votis», data 6 Martii 1374 in favorem ordinis Praedicatorum, ib., p. 570, § 16.

peccatis, ante vel post ingressum in dicta Societate per eos commissis; necnon a quibusuis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis et secularibus sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quomodolibet latis et promulgatis, et huiusmodi sententiis innodatos, aut in locis suppositis ecclesiastico interdicto diuina officia celebrantes, et suscipientes ordines sic ligatos et propterea irregularitatem incidentes, absoluere, ac cum eis, cum dispensatione eguerint, dispensare possint; nisi excessus absoluendorum et dispensandorum huiusmodi adeo graues et enormes fuerint, quod sint ad Sedem Apostolicam merito remittendi: et ne saepe in dubium reuocetur, qui sint ad Sedem Apostolicam destinandi, declarationem in ea parte per foelicis recordationis Sixtum Papam quartum praedecessorem nostrum, in bulla, quam mare magnum vocant, factam confirmamus⁷.

[5] Volumus autem, quod, postquam Societati et consortio huiusmodi aggregari volentes, absoluti, et cum eis, ut praeferunt, dispensatum fuerit, nisi mox ordinem intrare, et peractis experientiis secundum Constitutiones dictae Societatis vota emittere parati sint, etiam si super hoc induciae eis a praelatis eiusdem Societatis concedantur, eo ipso in pristinas sententias, a quibus eos totaliter absolui contigerit, relabantur et reincidunt⁸; necnon quod quilibet ex sociis Societatis huiusmodi peccata sua proprio Praeposito, vel ab eo deputato seu deputatis, et alias secundum ordinationes Societatis praedictae designatis, confiteri debeat, nisi super hoc a dicto Praeposito alium confessorem eligendi facultatem habuerit⁹.

83 in dicta Societate *Ba.*, *EI*, 2, in dictam Societatem *Na.*, *E3*, *sqq.* — 92-93 sint quod *Ba.*, *EI*, 2, at in erratis *E2*, p. 116, dicitur legendum fuerint quod, *ut est in E3 sqq.* — 94 Sedem praedictam *Bull.*, *E2*, *sqq.* — 3 § 9. *Bull.* — 10 § 10. Necnon *Bull.*

⁷ Sixtus IV, O. F. M., concessit suo ordini bullam quae mare magnum dicitur anno 1474, 30 Augusti. Est in *Bull. Rom.* V, 217-223, et apud WADDING, *Annales XIV*, 99-111. Locus de absolutione a verbis «Ac eisdem» magnam partem invenitur jam in bulla Clementis IV, *Bull. Rom.* III, 738, § 11, et Gregorii XI, ib., p. 569; conclusio apud Sixtum IV, p. 219, § 5.

⁸ Cf. Clemens IV, ib., § 13; hic locus non est apud Gregorium XI.

⁹ Clemens IV, ib., p. 741, § 24, ait: «Inhibemus insuper universis fratribus vestri ordinis, ne aliquis eorum, nisi necessitatis urgente articulo, alii quam praelatis suis peccata sua confiteri praesumat, vel aliis eiusdem ordinis sa-

- 15 [6] Ac inhibemus, ne quis post emissa vota secundum Constitutiones praedictas, siue Professus, siue Scholaris, siue Coadjutor Societatis huiusmodi sit, ad quemuis alium ordinem, etiam per Sedem praedictam approbatum (Carthusiensium duntaxat excepto), nisi de expressa ipsius Praepositi aut dictae
 20 Sedis licentia transferri; egressi vero, alias quam ut praefertur, de ordine seu consortio huiusmodi, in nullo alio, praeterquam Carthusiensium praefato ordine, admitti, recipi vel retineri possint: ipsique Generalis et alii inferiores Praepositi, per se vel alios, illos sic egressos ac alios quoscunque dictae Societatis
 25 apostatas, ut etiam alios quosuis insolentes, et qui id mereri videbuntur, in quoconque habitu apostatas praefatos contigerit inueniri, excommunicare, capere, incarcerare et alias suae disciplinae submittere, et ad id, si opus fuerit, auxilium brachii secularis inuocare libere et licite valeant¹⁰.
 30 [7] Ipsamque Societatem et vniuersos illius socios et personas illorumque bona quaecunque ab omni superioritate, iurisdictione, correctione quorumcunque Ordinariorum eximimus et liberamus, ac sub nostra et praefatae Sedis protectione suscipimus¹¹.
 35 [8] Liceatque Praepositis, et de eorum etiam facultate vniuersis fratribus et sociis Societatis huiusmodi in presbyteratus ordine constitutis, in locis in quibus degunt et eos pro tem-

15 § 11. Ac *Bull.* — 18 sedem Apostolicam *E1*, 2, at in erratis *E2*, p. 116, dicitur legendum esse praedictam, *ut est in E3 sqq.* — 23 § 12. Ipsique *Bull.* — 26 apostatas praedictos *Bull.*, *E2 sqq.* — 30 § 13. Ipsamque *Bull.* — 35 § 14. Liceatque *Bull.*

cerdotibus secundum regulam et ipsius ordinis instituta». Hanc constitutionem pro ordine Minorum confirmarunt Eugenius IV (1431-1447) et Sixtus IV anno 1474 (ib., V, 217). Item Gregorius XI, anno 1374: «Inhibemus insuper universis fratribus Ordinis vestri, ne aliqui eorum, alii quam praelatis suis peccata sua confiteri praesumant, nisi necessitatis urgente articulo, vel nisi forsitan magister vel prior proprius alicui fratri dederit fratri alteri eiusdem Ordini licentiam confitendi». Haec ordini Praedicatorum concessa, ib., IV, 572, § 26; confirmata autem a Martino V (1417-1431), Eugenio IV et Sixto IV, ib., V, 224, annot 2. Constat igitur tribus saeculis ante Paulum III hanc praxim, quae jam in Constitutionibus nostris mitigata est, in usu Ecclesiae fuisse.

¹⁰ Cf. Clemens IV, ib., p. 740, §§ 17 et 19, et Gregorius XI, t. IV, 571, §§ 17 et 19.

¹¹ Cf. mare magnum Sixti IV, § 9, t. V, 220.

pore morari contigerit, habere oratoria; et in eis, ac quocunque alio honesto et congruenti loco, in altari portatili, cum debitis reverentia et honore, etiam tempore interdicti, quauis ⁴⁰ etiam Apostolica auctoritate appositi, ianuis clausis, excommunicatis et interdictis exclusis, submissa voce missas et alia diuina officia celebrare, ac ecclesiastica sacramenta recipere et aliis ministrare, dummodo ipsi causam non dederint interdicto, nec contingat id ipsis specialiter interdici ¹². Iis vero, qui in ⁴⁵ ipsorum Praepositorum et sociorum morantur obsequiis, cuncta libere ministrare possint ecclesiastica sacramenta, et ipsos, cum decedunt, in eorum coemeteriis sepelire. Si quando in terras, in quibus socii praedicti vel eorum aliqui pro tempore rese-⁵⁰derint, vel earum personas excommunicationis, seu interdicti sententias contigerit promulgari, pueri seu familiares eorumdem sociorum seruitiis deputati, ac eorum et Societatis huiusmodi negotiorum procuratores et operarii, huiusmodi sententiis obnoxii minime habeantur, ibique possint audire diuina, nisi eisdem causam dederint, vel specialiter excommunicari seu in-⁵⁵terdici contigerit eosdem.

[9] Nec vllis Praelatis contra aliquem de praedicta Socie-⁶⁰tate, vel contra alios, eorum causa, aliquam excommunicationis, suspensionis uel interdicti sententiam, contra eiusdem Societatis priuilegia per nos concessa (quorum interpretationem nobis et Apostolicae Sedi reseruamus) ferre liceat; et si tulerint, eo ipso irrita nulliusque roboris vel momenti sit et esse cen-⁶⁵seatur ¹³.

[10] Ac omnes et singuli alii Christifideles, cuiuscunque conditionis existant, qui verbi Dei concionibus seu praedicationibus sociorum seu fratrum Societatis huiusmodi, in ecclesiis vbi ipsi concionabuntur, interfuerint, diebus huiusmodi missas et alia diuina officia audire, et ecclesiastica sacramenta ibidem recipere libere et licite valeant, nec ad id ad proprias parochiales ecclesias accedere teneantur ¹⁴. ⁷⁰

³⁹ honesto ac *Ci.*, *Fl.* — ⁴⁵ His *Ba.*; § 15 *Bull.* — ⁴⁸ cimiteriis *Ba.*, coemeteriis *E2 sqq.*; § 16 Si... terris *Bull.* terris *E2 sqq.* — ⁵⁰ vel in earum *Bull.*, *E3 sqq.* — ⁵⁷ § 17. *Bull.* — ⁵⁸ causa *om.* *Bull.* — ⁶⁴ § 18. *Bull.*

¹² *Ib.*, p. 218, § 4.

¹³ Clemens IV, *ib.*, pp. 737-738, § 9, et Gregorius XI, t. IV, 568-569, § 10.

¹⁴ Cf. Sixtus IV, ubi supra, V, 221, § 15.

[11] Et quia eiusdem Societatis fratres et socios de locis ad loca transferri contingit, propter quod stabilem et continuam in certis et determinatis domibus mansionem habere non possunt; et in ipsa Societate idoneos tantum et comprobatos ad 75 sacros ordines promoueri intelleximus; eidem Praeposito Generali, quod ordinandos socios et fratres huiusmodi Societatis quibuscumque maluerit catholicis Antistitibus, gratiam et communionem dictae Sedis habentibus, praesentare, ipsisque Antistitibus praesentatos huiusmodi, absque omni promissione 80 vel obligatione ipsorum ordinandorum fratrum et sociorum, ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines promouere¹⁵.

[12] Et cum ipsi socii, magnam patientes pro Christi nomine paupertatem, exhortationis pio studio bonos ad potiora dirigant, et errantes ad rectitudinis semitam laudabiliter reuocare 85 procurent; concedimus ut in excommunicatorum et haereticorum uel scismaticorum vel infidelium terris libere commorari, et cum eisdem conuersari (de licentia tamen Praepositi Generalis), et ab eis tunc, et etiam quando per ipsas illos transire contigerit, necessaria vitae deposcere ac recipere valeant¹⁶.

[13] Quodque nullis ipsorum correctionis seu visitationis vel inquisitionis officium monasteriis vel ecclesiis seu quibuscumque personis impendere; vel ad cognitiones causarum, citationes partium et denuntiationes sententiarum Interdicti vel excommunicationum procedere; aut curam Monialium seu religiosarum 95 quarumlibet personarum recipere teneantur, per litteras apostolicas impetratas vel imposterum impetrandas, nisi de hoc indulto et ordine sociorum huiusmodi expressam facientes mentionem, authoritate et tenore praedictis de speciali gratia indulgemos¹⁷.

[14] Concedentes ipsis sociis, ut de iis, quae in ornamentis, aut pro eis, aut libris, fabrica, luminaribus, seu pro victu, vel

71 § 19. Bull. — 82 § 20. Bull. — 90 § 21. Quodque nulli Bull., nulli Fl. * — 5 § 22. Bull.

¹⁵ Cf. Clemens IV, ib. III, 737, § 7, et Gregorius XI, t. IV, 568, § 8.

¹⁶ Clemens IV, p. 738, § 10. Hic locus non est in bulla Gregorii XI.

¹⁷ Clemens IV, pp. 738-739, § 14; Gregorius XI, t. IV, 569, § 14.

* Constructio cum dativo *nullis* est: «quodque nullis monasteriis vel ecclesiis... teneantur impendere ipsorum correctionis... officium».

indumentis eorum, necnon pro annuis censibus redimendis, ad quorum solutionem aliquae domus Societatis praedictae obligatae forsitan existant; ac de Domibus et Collegiis, ac eorum praediis, hortis aliisque locis eisdem sociis, iuxta eorum viuendi Institutum, haberi concessis; aut de iis, quae sibi pro huiusmodi rebus, domibus, collegiis, praediis, locis et hortis emendis, per quas-cunque personas pro tempore legari aut relinquunt contigerit, et aliis bonis quibuscunque per dictam Societatem et ipsius Collegia possessis et obtentis, aliquam decimam, etiam papalem, soluere, seu canonicam portionem exhibere, seu ad prae-stationem procurationum Legatorum praedictae Sedis vel Nunciorum ipsius, aut Ordinariorum locorum, aut exactionum, collectarum seu subsidiorum vel prouisionum quorumcunque minime teneantur; nec ad id per litteras eiusdem Sedis aut Legatorum vel Nunciorum, seu diocesanorum praedictorum, cuiuscunque tenoris fuerint, vlo vmquam tempore compelli possint, nisi ipsae litterae Apostolicae plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto et concessione huiusmodi, ac de eorum ordine mentionem fecerint¹⁸. Et si forte per nos vel dictam Sedem de piis legatis dispositis et relictis, in genere vel specie, decima vel alia portio, seu quarta alteri piae vel non piae cau-sae, quomodolibet hactenus concessa fuerit, vel illam in posterum concedi seu solui, aut dari mandari, contigerit; Socios praefatos et illorum domos et bona quaecunque, ac eis legata et reicta aut alias in eorum fauorem disposita, in concessionibus et mandatis huiusmodi decernimus et volumus minime comprehendti; nisi de ipsis ac praesenti decreto et voluntate nostra non per clausulas generales idem importantes, sed vera, expressa et specifica mentio fiat in eisdem¹⁹.

[15] Et insuper, si contingat Socios ipsos, vt adiuante aliquo Principe, Duce, Marchione, Comite, vel Communitate,

11 de his *Ba.* — 12 et locis et *Bull.* — 14 per praedictam *Bull.* — 19 seu sub-ditorum *Bull.*, notat: Subsidiorum l. c. (R. T.) — 26 vel in specie *Ba.* — 29 dari et mandari *Bull.*, *Fl.*, dari mandari *E1*, 2, 3, dari, mandari *E4 sgg.* — 36 § 23. *Bull.*

¹⁸ Clemens IV, p. 741, § 26; Gregorius XI, p. 572, § 28; cf. et Sixtus IV, t. V, 219, § 8.

¹⁹ Sixtus IV, ib., p. 219, § 7, ad verbum fere; hic locus non est apud Clementem IV, nec apud Gregorium XI.

vel quauis ad id potenti et facultatibus abundantia persona,
 aliquam domum, ecclesiam aut collegium Societatis praedictae
 aedificant et construant, seu id per alicuius similis personae
 40 testamentum mandari vel quoquis modo eis offerri; domum,
 ecclesias seu collegia huiusmodi cum omnibus ad id necessariis
 et opportunis construi et aedificari, ac locum pro huiusmodi
 constructione oblatum recipi posse; ipsasque domos, ecclesias,
 collegia, cellas, oratoria, vbiliter per dictos socios pro tempore
 45 constructa vel eis donata, eo ipso, quod aedificata vel donata
 fuerint, Apostolica authoritate praedicta, erecta, approbata et
 confirmata; ac bona quaecunque, pro Collegiorum dote, seu
 Scholarium inibi pro tempore commorantium sustentatione, per
 quoscunque Chrifideles pro tempore donata, relicta et legata,
 50 eo ipso praedicta apostolica authoritate perpetuo applicata et ap-
 propriata esse et censeri (nisi alias ad collationem Sedis praedictae pertinerent); et ecclesias praedictas cum coemiteriis bene-
 dici aut consecrari facere, et primum lapidem poni, per quos-
 cunque Episcopos (si diocesani vltra quatuor menses id facere
 55 distulerint) posse decernimus; inhibentes omnibus et singulis
 Archiepiscopis, Episcopis aliisque ecclesiarum Praelatis et loco-
 rum Ordinariis, ac quibusvis aliis potestatibus ecclesiasticis et
 secularibus, illis nihilominus mandantes, ne ipsos socios aut
 eorum domos, ecclesias aut Collegia huiusmodi ad aliquorum
 60 requisitionem ex propria eorum voluntate, si id in Domino
 expediens fuerit, aedicare volentes, quoquomodo in huius-
 modi constructionibus impedian, perturbent aut molestent²⁰.

[16] Et, vt Societatis huiusmodi professoribus omnis vagandi
 occasio et ad Apostolicam Sedem praedictam recurrendi sub-
 65 trahatur, pro posse, necessitas: Generali, et de eius licentia
 Prouincialibus Praepositis dictae Societatis pro tempore exi-
 stentibus et illorum Vicariis et loca tenentibus, vt cum eiusdem
 Societatis personis defectum natalium ex adulterio, sacrilegio,

38 Societati *Bull.* — 40 offerri domum *Bull.* — 47 § 24. Ac *Bull.* — 52 § 25.
 Et ecclesias *Bull.*; cimiteriis *Ba.*, coemeteriis *E2 sqq.* — 53 ac primum *E3 sqq.* —
 55 § 26. Inhibentes *Bull.* — 61 in *om. Bull.* — 63 § 27. *Bull.*

²⁰ Locus hic «Et insuper...molestent» (n. 15), in allatis diplomatis non
 invenitur. Partem eorum, quae hic conceduntur, invenies notata in dubio-
 rum serie tertia «Cerca el 18º punto nn. 4º et 6º, supra, pp. 308-309.

incestu et quouis alio nefario et illicito coitu prouenientem patientibus; necnon cum iis, qui ex quauis causa, (praeterquam 70 homicidii voluntarii, bigamiae et mutilationis membrorum) irregulares fuerint, postquam in ordine ipso vota emiserint, ut, defectu et irregularitate huiusmodi non obstantibus, ad quoscunque etiam sacros et presbyteratus ordines promoueri et in illis etiam in altaris ministerio ministrare; et irregulares defec- 75 tum natalium patientes praedicti ad quascunque administrationes et officia dictae Societatis eligi, recipi et assumi, illaque gerere et exercere libere et licite valeant, dispensare possint, autoritate et tenore praedictis concedimus et indulgemus²¹.

[17] Praeterea, cum intellexerimus populos ciuitatum, ter- 80 rarum et locorum apud quae habitationem iidem socii habent, vel vbi eosdem versari aut transire contingit, exemplo allectos et inductos religiosae vitae quam Domino concedente ducunt, libenter ad confitendum eisdem et sacratissimam communionem de manibus eorumdem accipiendum confluere: vt illis sic con- 85 fluentibus satisfacere valeant, vniuersis vtriusque sexus Christifidelibus, vt cuilibet de Societate praedicta confiteri possint, Rectoris sui licentia minime requisita, cui non teneantur eadem peccata de quibus confessi et absoluti fuerint rursus confiteri²².

[18] Necnon omnibus et singulis Christifidelibus, tam fo- 90 rensibus, quam in ciuitatibus et locis in quibus Socii praedicti consistunt commorantibus aut illac transeuntibus, Eucharistiae sacramentum (quod in suis ecclesiis decenter tenere Socios praefatos volumus) quounque anni tempore, praeterquam in festo Paschatis Resurrectionis dominicae, et mortis articulo, nisi ne- 95 cessitas vrgeret, eorumdem fidelium, parochialium, ecclesias-

75 in altari ministrare *Bull.*, *add. not.* In altaris ministerio ministrare l. c. (R. T.). — 80 § 28. *Bull.* — 82 contigit *E1*, 2, contingit *Ba.*, *E3* * *sqq.* — 85 eorum *Ba.*, *Bull.*, *E3* *sqq.*; accipiemad *Ba.*, *Ci.*, *Fl.* — 90 § 29. Necnon *Bull.* — 91 *Al- terum in om.* *Ba.*

²¹ Sixtus IV, p. 221, § 14. Hic locus non est apud Clementem IV neque apud Gregorium XI.

²² Cf. ib. § 15. Quae sequuntur usque ad locum de lectoribus absunt a diplomatis allatis (nn. 18-20).

* Tam *E2* quam *E3* emendata sunt «juxta collationem cum litteris originalibus factam», *E2* p. 116, *E3* p. [193]; sententia postulat contingit.

rum Rectorum licentia minime requisita, accipere libere et licite valeant.

[19] Necnon animarum protectui prouidere volentes, de omnipotentiis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius authoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vobislibet commorantibus, vere poenitentibus et confessis, seu temporibus a iure statutis confitendi propositum habentibus, qui aliquam ecclesiam aut alium pium locum dictae Societatis semel singulis annis (praeter annum Iubilei), in die per pro tempore existentem dictae Societatis Praepositorum eligendo, a primis vesperis usque ad occasum solis eiusdem diei inclusiue, deuote visitauerint, et inibi orationem dominicam ac salutationem angelicam recitaverint; plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam ac remissionem in forma Iubilei, authoritate Apostolica, tenore praesentium misericorditer concedimus et elargimur.

[20] Et insuper quatuor aliis, scilicet Nativitatis, Circumcisio-
nis, Epiphaniae et Corporis Christi festiuitatum, necnon Veneris,
et Dominicis et Quadragesimalibus diebus singulorum annorum
usque ad octauam Paschatis, ecclesias et alia pia loca dictae
Societatis devote visitauerint, et inibi Orationem et Salutatio-
nem praedictas similiter recitauerint, ac verbum Dei, si in illis
praedicetur, deuote audiuerint; septem annos et totidem quadra-
genas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer in Domino
relaxamus.

[21] Ac praeposito Generali eiusdem Societatis, vt, quos
de suis idoneos in Domino iudicauerit, ad lectiones theologiae
et aliarum facultatum, alterius licentia ad id minime requisita,
vobislibet deputare possit²³; et vt, cum aliquos ex fratribus seu
sociis Societatis huiusmodi in Sarracenorum et Paganorum alio-
rumque infidelium terras et prouincias alias remotissimas, a
quibus non potest adiri Sedes Apostolica, miserit, possit eis
authoritate nostra facultatem concedere, ut Christianos ibidem
commorantes, confessione peccatorum suorum audita, et poe-

⁴ § 30. Bull. — 18 § 31. Bull. — 21 si ecclesias *Ci.*, *Fl.* — 27 § 32. Bull. — 30 § 33. Et Bull.

²³ Cf. Clemens IV, p. 737, § 5; Gregorius XI, p. 568, § 4.

nitentia salutari iniuncta, eos et eorum quemlibet ab omnibus
et singulis eorum peccatis, etiam in Bulla Coenae Domini
reseruatis, et a consequentibus censuris et poenis absoluere;
et cum iis, qui ab infidelitate conuertentur tantum, et in locis
remotissimis, qui prius in gradibus non licitis, tamen lege di-
uina non prohibitis, matrimonia contraxerant, vt in eisdem
manere possint, dispensare²⁴; ac in locis praedictis remotissimis,
quaecunque ecclesias, hospitalia et alia pia loca, prout expe-
diens fuerit, erigere, ac nunc et pro tempore erecta reformare
sine alicuius praeiudicio; et vestes sacerdotales, pallas, corpo-
ralia, calices, altaria, coemiteria (si Episcopus, qui ea faciat,
catholicus inibi non adsit) benedicere; ac profanatas ecclesias
reconciliare possint; et quaecunque statuta et ordinationes
desuper necessaria facere, illaque, postquam facta fuerint, mu-
tare, alterare ac illis addere et detrahere; ac Praeposito pro-
vinciali in illis longinquis partibus residente, decedente, interim
dum aliis per Generalem Praepositum mittitur, loco Praepositi
sic decedentis, alium eligere libere et licite valeant. Et, quia in
numerosis populis illarum regionum tanta est sacerdotum raritas,
vt unus plurium curam populorum suscipere debeat; vt bis
eodem die missam celebrare diuersis in locis valeat.

[22] Et insuper, attenta meditatione pensantes quantum
vtilitatis ad exaltationem Christianae fidei et Euangelicae veri-
tatis Societatis praedictae professores afferant et afferre valeant;
omnia et singula gratias, immunitates, concessiones, priuilegia
et indulta antea per nos eidem Societati et illius sociis et per-
sonis quomodolibet concessa, quae hic pro specificatis haberi
volumus, approbantes, innouantes et confirmantes: quod socii
dictae Societatis, qui alibi quam in vrbe Roma professionem
emittere non possunt, litteris Apostolicis ab ipsa Societate ad
id ob aliquas causas ad tempus impetratis, non obstantibus²⁵

39 § 34. Et cum Bull. — 42 § 35. Ac Bull. — 44 § 36. Ac Bull. — 53 § 37. Et
Bull. — 56 valeant Bull., E3 sqq. — 57 § 38. Bull. — 63 § 39. Quod Bull. — 64 Ro-
mana E1, 2, at legendum esse Roma dicitur in erratis E2, p. 117, ut est in Ba.,
E3 sqq.

²⁴ Quae sequuntur non sunt in mari magno ordinis Minorum neque
ordinis Praedicatorum.

²⁵ Breve «Exponi nobis», 5 Junii 1546, monumentum 23, n. 2.

eisdem, de licentia Praepositi Generalis praefati, professionem ipsam vibilitem emittere libere et licite valeant, concedimus et indulgemus.

70 [23] Necnon Ignatio et aliis successoribus suis Praepositis Generalibus dictae Societatis pro tempore existentibus, ut indulatum alias per nos eidem Societati super habendis viginti Coadiutoribus concessum²⁶, ad alios quoscunque, quos idoneos fore censuerint, sub eorum obedientia degentes, extendere; 75 et quascunque gratias, concessiones et indulta eisdem Generalibus dictae Societatis Praepositis pro tempore existentibus, per nos concessa, per eorum Vicarios aut personas ad id sibi bene visas, praesertim in Indiarum et aliis partibus remotis, pro tempore substitutas, exercere libere et licite valeant.

80 [24] Ac praesentes litteras et in eis contenta quaecunque, ex quavis causa, de surreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae defectu, notari vel impugnari nullatenus posse; ac sub quibusuis suspensionibus, derogationibus, limitationibus et aliis quibusuis contrariis dispositionibus 85 et gratiarum ac indulgentiarum concessarum derogatoriis seu reuocatoriis, etiam per nos et Sedem eandem pro tempore concessis, nullatenus comprehendendi, sed semper ab illis exceptas existere ac suos plenarios effectus sortiri; et illarum transumptis manu Notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius Canonici Metropolitanae vel alterius cathedralis ecclesiae, seu personae in dignitate ecclesiastica constitutae, munitis, eandem prorsus fidem, quae adhiberetur eisdem originalibus litteris, si forent exhibitae vel ostensae, vbiique in iudicio et extra adhiberi debere; et sic per quoscunque Iudices et Commissarios 90 95 quavis etiam Apostolica autoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et autoritate, iudicari et difiniri debere; ac si secus super his a quoquam quavis autoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

5 [25] Ac dilectis in Christo filiis illustribus et nobilibus viris, Principibus ac Dominis temporalibus, et venerabilibus

67 praedicti Bull., E3 sqq. — 70 § 40. Bull. — 75 § 41. Et quascunque Bull. — 80 § 42. Bull. — 88 § 43. Et Bull. — 94 § 44. Et sic Bull. — 5 § 45. Bull.

²⁶ Ib.

fratribus Praelatis ecclesiasticis in quouis dignitate constitutis, praedictam Societatem et singulos illius socios plurimum in Domino commendantes; non solum ne eos inquietari aut eorum priuilegia violari permittant, sed vt benigne et cum ¹⁰ charitate, vt decet, suscipiant, exhortamur atque in Domino rogamus.

[26] Et nihilominus vniuersis et singulis venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis, Episcopis ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus et aliis personis in dignitate ecclesiastica constitutis, ¹⁵ necnon Metropolitanarum et aliarum cathedralium ecclesiarum Canonicis, ac eorundem Archiepiscoporum et Episcoporum officialibus et Vicariis generalibus, vbiliter constitutis, per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi ac quilibet eorum per se vel alium seu alios praesentes litteras et in eis contenta ²⁰ huiusmodi, vbi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum Sociorum vel alicuius eorum fuerint requisiti, solen- niter publicantes, eisdemque Sociis in praemissis efficacis de- fensionis praesidio assistentes, faciant authoritate nostra eosdem ²⁵ socios litteris et in eis contentis huiusmodi pacifice gaudere; non permittentes eos aut eorum aliquem, super praemissis aut quibusuis aliis rebus et causis, per locorum Ordinarios aut quoscunque alias quomodolibet indebite molestari; sed eos contra quoscunque, cuiuscunque conditionis vel qualitatis exi- ³⁰ stentes, et quouis etiam patriarchali, archiepiscopali vel episco- ³⁵ pali aut mundana dignitate ac exemptione fungentes et munitos, in quibusuis causis iustitiae complementum ministrantes, id quod per eos ordinatum fuerit, ad executionem debitam perduci faciant; illosque, quos censuras vel poenas praefatas incurrisse constiterit, excommunicatos ac interdictos declarant, ac faciant et mandent publice nunciari, ac ab omnibus arctius euitari, et legitimis super his habitis et habendis processibus seruatis, ⁴⁰ illos, quoties opus fuerit, iteratis vicibus aggrauare procurent; contradictores authoritate nostra (appellatione postposita) compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio bra- chii secularis.

8 Societatem ac *Ba.*, *E3 sqq.* — 13 § 46. *Bull.* — 21 et quando *om.* *Bull.*, ha- bet not. Ubi et quando l. s. c. (R. T.) — 22 dilectorum *Ci.*, *Fl.* — 34 praedictas *Ba.*, *E2 sqq.*, *Bull.* — 38 aggravari *E1*, 2, at legendum esse aggrauare dicitur in erratis *E2*, p. 117, ut est in *E3 sqq.*

[27] Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus, ac iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, nec non priuilegiis, in-
 45 dultis et litteris apostolicis S. Benedicti et S. Francisci ac mendicantium et aliis ordinibus supradictis illorumque Prae-
 latis et personis, etiam super non communicandis gratiis sibi concessis, et alias quomodolibet per nos et Sedem praefatam concessis, confirmatis ac etiam iteratis vicibus innouatis, etiam
 50 Mari magno, Bulla aurea²⁷ et alias quomodolibet nuncupatis, quibus, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

55 Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostro-
 rum concessionum, statutorum, ordinationis, confirmationis, inhibitionum, exemptionis, liberationis, susceptionis, decretorum, voluntatum, elargitionis, relaxationis, exhortationis, rogationis, mandati, et derogationis, infringere vel ei ausu temerario con-
 60 traire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursum.

Datum Romae, apud S. Marcum, Anno Incarnationis Do-
 minicae millesimo quingentesimo quadragesimo nono, XV kal.
 65 Nouembris, Pontificatus nostri anno Quintodecimo.

G. Groletti.

F. De lafer promagistris²⁸.

42 § 47. *Bull.* — 48 praedictam *E1*, 2, at legendum esse praefatam est in erratis *E2*, p. 117, ut est in *E3* sqq. — 55-62 Nulli ergo etc. *fetc. Bull.* — Datum *Bull.* — 65 *Bull. add.* Dat. die 18 octobri 1549, pontif. anno XV. — 66-67 *om. Bull.*

²⁷ Bullae aureae vocabantur illae, quibus «pro plumbeo ponebatur sigillum aureum ex filis aureis vel argenteis pendens» (VERMEERSCH S. J. *Epitome Iuris canonici*, t. I, ed. 5, p. 83), v. g. bulla Benedicti XIV «Gloriosae Dominae» in favorem congregationum B. M. V.

²⁸ Ponimus fuisse duos, qui pro magistro registri contulerant has litteras apostolicas in registro scriptas cum ipsis litteris originalibus. Cf. MORONI, *Dizionario VII*, 184.

Exemplo authentico typis exscripto (de quo annot. 1), adjungitur testimonium hujusmodi: «Franciscus Lambertus, Dei et apostolicae sedis gratia episcopus niciensis, S. D. N. papae vtrivsque signatvrae refendarius, vniversis et singulis praesentes literas siue hoc presens publicum Transumpti

BULLA JULII III¹

NOVA CONFIRMATIO INSTITUTI SOCIETATIS JESU
ET MAJOR EJUSDEM DECLARATIO, 1550

1. Julius III fideles confovet, maxime religiosos, proximorum projectum quaerentes. — 2. Ignatius de Loyola ejusque socii, jamdiu in eum laborem incumbentes, formulam vivendi Paulo III obtulerunt, quam ille approbavit; idem modo cupiunt, illam formulam, exactius et distinctius explicatam, denuo confirmari. — 3 - 6. Hac nova formula exprimitur: Societatis nomen, solemne votum triplex, instituti scopus, puerorum ac rudium institutio, alia ministeria, omnia gratis exercenda; officiorum distributio, Constitutionum confectio, speciale votum obediendi summo pontifici circa missiones, quae tamen procurandae non sint; votum obedientiae praeposito Societatis, hujus electio et potestas, gubernandi ratio; obediendi modus, paupertatis votum et modus, collegiorum fundatio, officium divinum privatim persolvendum, victus et vestitus ratio, neminem ad professionem admittendum nisi diu ac diligentissime probatum; coadiutorum et scholarium vota non solemnia, aliquorum tria vota solemnia. — 7. Pontifex formulam approbat confirmans institutum et privilegia concessa. — 8. Judices qui assistant. — 9 - 10. Clausulae.

Instrumentum inspecturis, lecturis pariter et audituris, notum facimus et attestamur, quod originales litteras, quarum copia praeinseritur, habuimus, vidimus, legimus et diligenter inspeximus, easque omni prorsus vitio et suspitione carere comperimus. Idcirco literas ipsas, ad instantiam nonnullorum de venerabili societate Iesu, nomine totius societatis agentium, per infrascriptum Notarium publicum transumi et exemplari, ac in hanc publicam transumpti formam redigi mandauimus, et ad maiorem praemissorum euidentiam sigilli nostri iussimus impressione * muniri. Datum Romae in Aedibus nostrae solitae residentiae, anno a Natiuitate Domini M. D. L., Indictione octaua, Die vero octaua mensis octobris. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris [Patri orig.] et Domini Nostri, D. Iulii Diuina prouidentia Papae Tertii, anno primo, Praesentibus ibidem D. Ludouico Lebreton et Desiderio Gueniot, Archiuui Roman. Curiae scriptoribus familiaribus nostris continuis commensalibus, Testibus ad praemissa vocatis et rogatis ».

Sequitur «Gabriel Vignodus, Archiuui romanae curiae scriptor rogatus».

¹ Exscribimus exemplum primae editionis (v. monumentum 7, annot. 1, supra, p. 24, et *Proleg.* c. 3, initio, et a. 9). Contulimus autem *Reg. Vatic.*

* Hoc v. est manu Vignodi in ima pagina scriptum pro appensione obl.
- N. B. Post vv. manu scripta pertinarent, cimiteria et impressione est: *Approbo, Vignodus, ms.* In hoc exemplo est linea ducta stylo lapideo signis temporis *M. D. L.* et verbis *octaua octobris*. Quasi aliquod inde incommodum nasceretur. At nihil vetat quominus a Paulo III anno 1549 bulla datur, et sub Julio III publicum hoc instrumentum fieret.

ALIA BVLLA CONFIRMATIONIS
 CVM MAIORI DECLARATIONE INSTITVTI
 SOCIETATIS IESV,

ATQUE ALIIS CONCESSIONIBUS

PER IULIUM III

ANNO 1550

IVLIVS EPISCOPVS, SERVVS SERVORVM DEI,
 AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

[1] Exposcit debitum pastoralis officii, cui nos, licet im-
 10 meritos, praetulit diuina Maiestas, vt fideles quoslibet, praesertim religiosos in via mandatorum Domini ad illius honorem et gloriam et proximorum spiritualem profectum deambulantes paternis confoueamus affectibus; vt fideles ipsi, dextera Domini sibi assistente propitia, aeternae salutis praemium feruentius
 15 exquirant, et in eorum pio proposito confoueantur.

[2] Dudum siquidem per foelicis recordationis Paulum Papam Tertium, praedecessorem nostrum, accepto, quod dilecti filii Ignatius de Loyola, et Petrus Faber, ac Iacobus Laynez, nec non Claudio Iaius, et Paschasius Broet, ac Franciscus
 20 Xauier, nec non Alfonsus Salmero, et Simon Rodericus, ac Ioannes Coduri, et Nicolaus de Bobadilla, Presbyteri Pampilonensis, Gebennensis, Seguntinae, Toletanae, Visensis, Ebredensis et Palentinae ciuitatum et dioceseon in Artibus Magistri, in vniuersitate Parisiensi graduati, et in Theologicis studiis per

7 episcopvs... Dei om. ms. — 15 pio marg. ms. — 16 § 1. Bull. — 17 papam om. Bull.; quod postquam dilecti *Ci.*, *Fl.* — 18 Ignatius etc. *Bull.*, notat: Omittitur residuum narrativa, quia tota bulla Pauli III est in loco citata ad calcem pag. praecedentis, remittens ad bullam Regimini, om. usque ad p. 375, l. 70, concessit. — 23 dioceseon respective *E1*, 2, respective abundat dicitur in erratis *E2*, p. 117, non est in ms., *Ba.*, *E3* sqq.

1790, ff. 93r-98r (*ms.*); item apographum, vix alicujus momenti varietatem exhibens, in cod. *Instit.* 222, ff. 236r-243r (*Na.*); exemplum quoque authenticum typis expressum, quod est Romae in Archivio di Stato, *Collezione dei bandi* (*Ba.*), et *Bullarium Romanum*, editionis taurinensis, IV, 422-472 (*Bull.*). In *Magno Bullario Cherubinorum* est haec bulla in t. I, 787.

plures annos exercitati, Spiritu sancto afflati², iam dudum e²⁵
 diuersis mundi regionibus decedentes, in vnum conuenerant;
 et exemplaris ac religiosae vitae socii effecti, abdicatis huius
 seculi illecebris, eorum vitam perpetuo Domini nostri Iesu
 Christi atque suo et successorum suorum Romanorum Pon-
 tificum seruitio dedicauerant; et iam pluribus annis verbum³⁰
 Dei praedicando et fideles priuatim ad pias meditationes be-
 neque ac beate viuendum excitando, hospitalibus inseruiendo,
 pueros et alios rudes salubria dogmata ad Christiani hominis
 institutionem necessaria docendo, ac denique omnia charitatis
 officia, quae ad animarum aedificationem pertinebant, vbique³⁵
 terrarum, vbi peregrinati fuerant, quisque iuxta traditam sibi ab
 ipso Spiritu sancto gratiam, multa cum laude obeundo, lau-
 dabiliter in vinea Domini se exercuerant; eorum Institutum,
 sub quadam viuendi formula ab ipsis edita euangelicae veritati
 et sanctorum patrum sanctionibus conformi, vt vinculum cha-
 ritatis et vnio in ipsis quidem Sociis et aliis, qui praedictum
 vellent institutum sequi, conseruarentur, approbavit et confir-
 mauit et benedixit; ipsosque Socios (quorum numerum non
 ultra sexaginta esse tunc voluit) sub sua et Apostolicae Sedis
 protectione suscepit; illisque condendi Constitutiones et statuta⁴⁰
 quaecunque ad ipsius sic institutae et confirmatae Societatis
 conseruationem et foelicem progressum licentiam concessit per
 quasdam: cumque postmodum progressu temporis, Spiritu
 sancto cooperante, ex Societate praedicta spiritualem animarum
 fructum crescere, et multos, qui institutum praedictum sequi⁴⁵
 vellent, in Parisiensi et aliis generalium studiorum Vniuersita-
 tibus studere intellexisset idem praedecessor; Ignatii et aliorum
 sociorum praedictorum piam vitam et doctrinam attendendo,
 eidem Societati vt quoscunque alios idoneos, et iuxta suas Con-
 stitutiones probatos libere admittere possent, concessit³, et nihi-⁵⁰
 55

25-26 dudum et diuersis ms. — 26 discedentes Ci., Fl. — 33 christiani nominis
 ms. — 40 conforme ms. — 55 possint ms., posset Ci., Fl.

² Julius omittit locutionem Pauli «ut pie creditur», quia, opinamur, fru-
 ctus ex illa decem hominum Societate, experimento annorum decem vel
 potius sexdecim comprobati, nullum dubio locum pontifici summo relin-
 quebant.

³ Bulla «Iniunctum nobis», 14 Martii 1544, monumentum 18.

lominus, vt Coadiutores tam presbyteros qui in spiritualibus,
 quam laicos qui in temporalibus et domesticis officiis eos adiu-
 uarent (qui quidem Coadiutores peractis probationibus iuxta
 Constitutiones Societatis huiusmodi requisitis, ad maiorem de-
 60 uotionem suam et meritum etiam tria vota, Paupertatis vide-
 licet, Castitatis et Obedientiae, possent emittere, non solemnia sed,
 quibus pro eo tempore, quo Praepositus Generalis Societatis praedictae eis in ministerio spirituali vel temporali utendum iudicaret,
 astringerentur; quique omnium bonorum operum, quae in dicta
 65 Societate fierent, ac meritorum omnium participes fierent, perinde
 vt qui solennem professionem in eadem Societate emisissent), pos-
 sent assumere, et alias gratias ac priuilegia ad fouendam et adiu-
 uandam in iis, quae ad Dei honorem et animarum salutem
 70 pertinebant, Societatem praedictam, de benignitate Apostolica
 concessit⁴. Vt autem praedicta omnia, prius ab eodem praede-
 cessore concessa, magis confirmentur; et simul omnia, quae
 ad institutum Societatis praedictae pertinent, eisdem in litteris
 aliarum summam continentibus comprehendantur; et vt aliqua
 75 obscurius dicta, et quae scrupulum ac dubitationem possent
 iniicere, per nos exactius explicitur: nobis fuit humiliter
 supplicatum, vt formulam, qua praedictae Societatis institutum
 exactius et distinctius quam antea, edocente experientia ac usu
 rerum, expressum, eodem tamen spiritu comprehenditur, con-
 firmare dignaremur; cuius tenor sequitur, et est talis:

80 [3] Qvicunque in Societate nostra, quam Iesu nomine in-
 signiri cupimus, vult sub crucis vexillo Deo militare et soli
 Domino ac Ecclesiae ipsius sponsae sub Romano Pontifice
 Christi in terris Vicario seruire⁵; post solenne perpetuae Ca-
 stitatis, Paupertatis et Obedientiae votum⁶, proponat sibi in

58-66 (qui... emisissent) *signa () om. E3 sqq., restituunt Ci., Fl.* — 66 posset
Ci., Fl. — 69 Societati predice *ms.* — 70 § 2. Ut *Bull.* — 72 predice Societatis *ms.*,
E3 sqq. — 80 § 3. *Bull.* — 81 militari *ms.*

⁴ Duobus brevibus, altero «Cum inter cunctas», 3 Junii 1545, altero
 «Exponi nobis», 5 Junii 1546, (v. monumenta 22 et 23), et bulla «Licet debi-
 tum» 18 Octobris 1549, v. monumentum 39.

⁵ V. dubiorum seriem tertiam, f. 19r, et quartam, n. 15, pp. 299-300, 322.

⁶ Ib., f. 20v, et n. 24, supra, pp. 302, 324. Vides hic dici solemne tam
 votum castitatis, quam paupertatis et obedientiae; Mir tamen ait dici tan-
 tum de voto castitatis, *Historia*, I, 163, B.

animo se partem esse Societatis ad hoc potissimum institutae, 85
 vt ad fidei defensionem et propagationem et profectum anima-
 rum in vita et doctrina Christiana, per publicas praedicationes,
 lectiones et aliud quocunque verbi Dei ministerium, ac spiri-
 tualia exercitia, puerorum ac rudium in Christianismo institu-
 tionem, Christifidelium in confessionibus audiendis ac caeteris 90
 Sacramentis administrandis spiritualem consolationem, praecipue
 intendat; et nihilominus ad dissidentium reconciliationem et
 eorum qui in carceribus vel in hospitalibus inueniuntur piam
 subventionem et ministerium, ac reliqua charitatis opera, prout
 ad Dei gloriam et commune bonum expedire visum erit⁷, 95
 exequenda gratis omnino et nullo pro suo in praedictis om-
 nibus labore stipendio accepto, se vtilem exhibeat; curetque
 primo Deum, deinde huius sui instituti rationem, quae via
 quaedam est ad illum, quoad vixerit, ante oculos habere, et
 finem hunc sibi a Deo propositum totis viribus assequi, vnu-
 quisque tamen secundum gratiam sibi a Spiritu sancto submi-
 nistratam, et vocationis suae proprium gradum. Ideoque, ne
 quis forte zelo vtatur, sed non secundum scientiam, proprii
 cuiusque gradus iudicium et officiorum discretio ac distributio
 tota sit in manu Praepositi Generalis seu Praelati per nos quo-
 cunque tempore eligendi, vel eorum, quos ipse sibi ea cum
 autoritate substituerit, vt congruus ordo seruetur in omni
 bene instituta communitate necessarius. Qui quidem Praepositus
 de consilio consociorum Constitutiones ad constructionem hu-
 ius propositi nobis finis conducentes condendi, maiori suffra-
 giorum parte semper statuendi ius habente⁸; et quae dubia
 esse poterunt in nostro instituto hac formula comprehenso,
 declarandi autoritatem habeat. Consilium vero necessario con-
 uocandum ad condendas vel immutandas Constitutiones et alia 15

88 verbum *Ile. ms.* — 2 stipendum *Ile. ms.* — 5 hinc sibi... prepositum *ms.* —
 7 § 4. Ideoque *Bull.* — 14 ad consecutionem *Ci., Fl.* — 18 connocando *ms.*

⁷ Ib., f. 17v, et nn. 2 et 3, supra, p. 297. Ac nota, non omitti in
 bulla Julii III «reliqua charitatis opera», id quod Mir affirmavit (*Historia*, I,
 134, nota 7 et 160, A); sed alio loco, enucleatus expositis caeteris minist-
 riis, memorari.

⁸ Ib., f. 18r, praesertim vero serie quarta, n. 7, cum responsione S. P.
 Ignatii, supra, pp. 298, 320.

20 grauiora, vt alienare vel dissoluere domos ac Collegia semel
 erecta, intelligatur esse maior pars totius professae Societatis
 (iuxta Constitutionum nostrarum declarationem) quae sine ma-
 gno incommodo potest a Praeposito Generali conuocari. In
 aliis, quae non ita magni momenti sunt, idem Praepositus
 25 adiutus, quatenus ipse opportunum iudicabit, fratrum suorum
 consilio, per se ipsum ordinandi et iubendi, quae ad Dei gloriam
 et commune bonum pertinere in Domino videbuntur, ius totum
 habeat, prout in Constitutionibus eisdem explicabitur⁹.

[4] Quicunque autem in hac Societate professionem emise-
 30 rent, non solum in primis professionis suaे foribus intelligent, sed
 quoad uixerint¹⁰, memores sint, Societatem hanc vniuersam et
 singulos qui in ea profitentur, sub Sanctissimi Domini Nostri
 Pauli Papae Tertii et aliorum Romanorum Pontificum succes-
 sorum eius fideli obedientia, Deo militari. Et quanuis Euangeliō
 35 doceamur, et fide orthodoxa cognoscamus ac firmiter teneamus,
 omnes Christifideles Romano Pontifici, tanquam capiti ac Iesv
 Christi Vicario, subesse: ob deuotionem tamen maiorem ad
 obedientiam Sedis Apostolicae, et maiorem voluntatum nostra-
 rum abnegationem, et certiorem Sancti Spiritus directionem¹¹,
 40 summopere conducere iudicauimus, singulos nos et quicunque
 eandem in posterum professionem emiserint, ultra illud com-
 mune trium votorum vinculum, speciali ad hoc voto astringi,
 vt quidquid modernus et alii Romani Pontifices pro tempore
 existentes iusserint ad profectum animarum et fidei propaga-
 45 tionem pertinens, et ad quascunque prouincias nos mittere
 uoluerint; sine ulla tergiversatione aut excusatione¹² illico, quan-

29 § 5. *Bull.* — 34 militare *Bull.* — 35 et firmiter *ms.*, *Ci.*, *Fl.* — 46 seu excusatione *Ile.* *ms.*

⁹ Ib., f. 18r et v, et nn. 9-14, supra, pp. 298-299, 321-322. Item *Const. IX*, 3.

¹⁰ Cf. dubiorum seriem tertiam, f. 19r, et seriem quartam, n. 16, supra,
 pp. 300, 322.

¹¹ Ib., f. 20r, et n. 22, supra, pp. 301, 323. Hunc locum in serie quarta du-
 biorum vidit, aut certe videre potuit Mir, si quidem saepe affert quae *Con-*
stitutiones hispanae et latinae continent pp. 330-336; est autem hic locus in
 p. 331, n. 22. Cavillatur tamen, evanuisse ex loco bullae Julii III humilita-
 tem (*Historia*, I, 136, nota 4, et 161-162), quando voluntas tollendi etiam
 umbram jactantiae mutationem illam induxit.

¹² Ib., f. 19r, et n. 17, supra, pp. 300, 322.

tum in nobis fuerit (siue nos ad Turcas siue ad quoscunque
 alios Infideles, etiam in partibus quas Indias vocant, siue ad
 quoscunque Haereticos, Scismaticos, seu etiam ad quosvis fi-
 deles mittendos censuerint) exequi teneamur. Quamobrem, qui 50
 ad nos accessuri sunt, antequam huic oneri humeros suppo-
 nant, diu multumque meditentur an tantum pecuniae spiritualis
 in bonis habeant, vt turrim hanc iuxta consilium dominicum
 possint consummare¹³: hoc est, an Spiritus sanctus, qui illos
 impellit, tantum illis gratiae polliceatur, ut huius vocationis 55
 pondus, illo adiuvante, se laturos sperent; et postquam Domino
 inspirante huic Iesv Christi militiae nomen dederint, die noc-
 tuque succincti lumbos¹⁴, et ad tam grandis debiti solutionem
 prompti esse debebunt. Ne qua autem possit esse inter nos
 missionum aut prouinciarum huiusmodi ambitio vel detrectatio, 60
 intelligent singuli, sibi per se vel alium de huiusmodi missio-
 nibus quicquam cum Romano Pontifice non esse curandum,
 sed omnem hanc curam Deo, et ipsi Pontifici, tanquam eius
 Vicario, et Societatis Praeposito dimittendam; cui quidem
 Praeposito (sicut caeteris) nihil de sui ipsius missione in alter- 65
 utram partem, nisi de Societatis consilio, cum dicto Pontifice
 curandum erit¹⁵. Voueant etiam singuli, se in omnibus, quae
 ad Regulæ huius nostræ obseruationem faciunt, Societatis
 Praeposito (qui ad hoc munus, quam fieri possit idoneus, ad
 plura vota, prout in Constitutionibus declarabitur, eligetur) 70
 obedientes fore¹⁶. Ille autem omnem eam authoritatem et po-
 testatem habeat supra Societatem, quae ad bonam eiusdem So-
 cietas administrationem, correctionem et gubernationem utilis
 erit. Iubeat autem ea, quae ad constructionem propositi sibi a
 Deo et a Societate finis cognoverit esse opportuna; et in pree- 75
 latione sua benignitatis ac mansuetudinis charitatisque Christi,

¹³ censuerit *Bull.* — 59 § 6. Ne *Bull.* — 60 hujuscemodi *ms.*; *detractio ms.*, *Ba.*, *E6*, *Ile. Na.* — 64-65 quidem preposito *ms.*, *E3 sqq.*, *praeposito om.* *E1*, 2, *at in erratis E2*, p. 117, *dicitur addendum*. — 67 § 7. Voueant *Bull.* — 69 § 8. Qui *Bull.* — 70 complura *ms. add.*, plura *Ile.* — 73 *correctionem ms.* — 74 *ad consecutionem Ci.*, *Fl.*; *prepositi ms.* — 76-77 *Christi ac Petri Fl.*

¹⁴ LUC. 14, 30.

¹⁵ EPH. 6, 14 et 1 PETR. 1, 13.

¹⁶ Cf. dubiorum seriem tertiam, f. 20r, et quartam, n. 20, supra, pp. 301, 323.

¹⁶ Ib., f. 20v et n. 25, supra, pp. 302, 324. Item *Const. VI*, 1 et 5.

Petri Paulique formulae semper sit memor; et tam ipse quam consilium praedictum ad normam hanc assidue spectent¹⁷. Singuli vero subditorum, tum propter ingentes ordinis vtilitates,
 80 tum propter nunquam satis laudatum humilitatis assiduum exercitium, non solum Praeposito in omnibus ad institutum Societatis pertinentibus parere semper teneantur; sed in illo Christum veluti praesentem agnoscant, et quantum decet, venerentur.

[5] Cum autem experti fuerimus iucundiorem, puriorem et
 85 ad proximi aedificationem aptiorem esse vitam ab omni auaritiae contagione quam remotissimam, et euangelicae paupertati quam simillimam; cumque sciamus Dominum nostrum Iesum Christum, seruis suis regnum Dei solum inquirentibus, necessaria ad victimum et vestitum esse subministraturum: sic voleant
 90 singuli et vniuersi perpetuam Paupertatem, vt non solum priuatim, sed neque etiam communiter possint Professi, vel villa eorum domus aut ecclesia, ad aliquos prouentus, redditus, possessiones, sed nec ad villa bona stabilia (praeter ea quae opportuna erunt ad usum proprium et habitationem)¹⁸ retinenda, ius
 95 aliquod ciuale acquirere, rebus sibi ex charitate donatis ad necessarium vitae usum contenti. Quia tamen domus, quas Dominus dederit, ad operandum in vinea ipsius et non ad scholastica studia exercenda, destinandae erunt; cum valde opportunum fore alioqui videatur, vt ex iuuibus ad pietatem propensis et ad litterarum studia tractanda idoneis operarii eidem vineae Domini parentur, qui Societatis nostrarer, etiam Professae, velut quoddam seminarium existant: possit professa Societas, ad studiorum commoditatem, Scholarium habere Collegia, vbi cunque ad ea construenda et dotanda ex deuotione aliqui mouebuntur;

84 § 9. Bull. — 1 § 10. Quia Bull. — 2 non om. ms. — 4 alioquin Ba.

¹⁷ Circa locum bullae Pauli III hic omissum vide dubiorum seriem tertiam, f. 21v, et quartam, nn. 31-33, supra, pp. 304, 325. S. Ignatius et Julius III judicarunt, ministerium tradendae doctrinae christianaee commendandum magis non esse in bulla, quam confessiones atque alia ministeria, quae omnia supra commendata sunt; Petri vero Paulique formula, illa videtur esse, quae senioribus commendatur 1 PETR. 5, 1-3, PHIL. 3, 17; 2 THES. 3, 9 et 1 TIM. 4, 12.

¹⁸ Cf. dubiorum seriem tertiam, f. 22r et v, quartam, nn. 35-41, et sextam, n. [6], supra, pp. 305-306, 326-327, 351-352. Splendidam loci hujus declarationem habes apud SUAREZ, *De religione Societatis Jesu*, l. 4, c. 9.

quae simul atque constructa et dotata fuerint (non tamen ex ¹⁰ bonis, quorum collatio ad Sedem Apostolicam pertinet), ex nunc authoritate Apostolica erigi supplicamus, seu pro erectis haberi; quae Collegia possint habere redditus, census seu possessiones vsibus et necessitatibus studentium applicandas, retenta penes Praepositum vel Societatem omnimoda gubernatione ¹⁵ seu superintendentia super dicta Collegia et praedictos studentes, quoad Rectorum seu gubernatorum ac studentium electionem, ac eorundem admissionem, emissionem, receptionem, exclusionem, statutorum ordinationem, et circa studentium instructionem, eruditionem, aedificationem ac correctionem, victus ve-²⁰ stitusque et aliarum rerum necessiarum eis ministrandarum modum, atque aliam omnimodam gubernationem, regimen ac curam; vt neque studentes dictis bonis abuti, neque Societas Professa in proprios vsus conuertere possit, sed studentium necessitati subuenire ¹⁹. Qui quidem studentes ingenii et morum ²⁵ indole tales esse debebunt, vt merito speretur, post absoluta studia, ad Societatis functiones idoneos fore; et sic demum, post cognitionem in spiritu et litteris eorum profectum, et post sufficientem probationem, in Societatem nostram admitti possint.

[6] Socii autem omnes, cum Presbyteri esse debeant, ad dicendum officium secundum communem Ecclesiae ritum, sed priuatim et non communiter vel in choro, teneantur ²⁰; et in iis, quae ad victimum et vestitum et caetera exteriora pertinent, honestorum sacerdotum communem et approbatum vsum sequentur ²¹, vt quod inde, pro cuiusque necessitate vel spiritualis profectus desiderio, subtractum fuerit, ex deuotione et non ex obligatione, rationabile obsequium corporis Deo, prout expediet, offeratur. Haec sunt quae, sub praefati Domini Nostri Pauli et Sedis Apostolicae beneplacito, de nostra professione typo ³⁵ ⁴⁰ quodam explicare potuimus: quod nunc fecimus, vt summatim

¹³ seu pensiones ms. — ¹⁴ § 11. Retenta Bull. — ²⁰ correptionem ms. — ³¹ § 12. Bull. — ³³ non om. ms. — ³⁵ sequantur Fl. — ³⁷ subtractum ms. — ³⁹ § 13. Haec Bull.

¹⁹ Cf. dubiorum seriem tertiam, f. 23v-24r, et quartam, nn. 45-46, supra, pp. 308-309, 328.

²⁰ Ib., f. 24v, et nn. 50-52, supra, pp. 309-310, 329.

²¹ Ib., f. 28v, et n. 68, supra, pp. 317, 333.

informaremus, tum illos qui nos de nostro vitae instituto interrogant, tum etiam posteros nostros, si quos, Deo volente, imitatores vñquam habebimus huius viae. Quam cum multas
 45 magnasque habere annexas difficultates fuerimus experti, opportunum iudicauimus etiam statuere, ne quis ad Professionem in hac Societate emitteat, nisi diuturnis et diligentissimis probationibus (prout in Constitutionibus declarabitur) eius vita et doctrina explorata fuerit, recipiatur; quia re vera hoc institutum
 50 omnino humiles et prudentes in Christo, et in Christianae vitae puritate ac litteris conspicuos exigit²². Imo et ii, qui in Coadiutores tam in spiritualibus, quam in corporalibus, et in Scholares admittentur, quorum vtrique, post sufficientes probationes et tempus in Constitutionibus expressum, vota sua ad deuotio-
 55 nem et meritum maius, non quidem solennia (praeter aliquos qui de licentia Praepositi Generalis, propter ipsorum deuotionem et personarum qualitatem, tria vota huiusmodi solennia facere poterunt), sed quibus teneantur quam diu Praepositus Generalis in Societate eos retinendos esse censuerit, emittere
 60 debeant, prout in Constitutionibus latius explicabitur, non nisi diligenter examinati et idonei reperti ad eundem finem Societatis, admittantur ad hanc Iesv Christi militiam²³; qui tenuibus coeptis nostris fauere dignetur ad gloriam Dei patris, cui soli sit semper decus et honor in secula, amen.

65 [7] Quapropter considerantes, nihil quod pium sanctumque non sit, in dicta Societate eiusque laudabilibus institutis, ac exemplari Ignatii et aliorum Sociorum praedictorum vita et moribus reperiri, eaque omnia ad suorum et aliorum Christifidelium animarum salutem et fidei exaltationem tendere: Socios ac illorum Coadiutores praedictos, et ipsius Societatis Scholares a quibusuis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum

44 huius vitae Bull., E7 sqq.; § 14. Quam Bull. — 51 § 15. Immo Bull. —
 55 maius om. Bull., notat Meritum maius, Inst. S. I., l. s. c. (R. T.) — 59 esse retinendos ms. — 65 § 16. Bull. — 68 omnia et singula Ile. ms.

²² Ib., f. 25r, et n. 54, supra, pp. 310-311.

²³ Ib., f. 26r et v, et nn. 62-63, supra, pp. 312-314.

serie absoluentes et absolutos fore censentes²⁴, illosque sub⁷⁵ nostra et Apostolicae Sedis protectione suscipientes: Motu proprio et ex certa nostra scientia, autoritate Apostolica, tenore praesentium, erectionem et institutionem Societatis, ac extensionem numeri illius Sociorum, ac receptionis et admissionis Coadiutorum, ac omnia et singula priuilegia, im-⁸⁰ munitates, exemptiones, libertates, et condendi et alterandi statuta et ordinationes, ac alia quaevis indulta, eisdem Societati et illius Praeposito, per praedecessorem nostrum et Sedem huiusmodi, sub quibuscumque tenoribus et formis concessa et confirmata, ac desuper confectas, tam sub plumbo⁸⁵ quam in forma breuis, litteras, et in eis contenta ac inde se- cuta quaecumque, perpetuo approbamus et confirmamus, ac eis perpetuae firmitatis robur adiicimus, supplentes omnes et singulos tam Iuris quam facti defectus, si qui interuenerint in eisdem. Eaque omnia et singula perpetuae et inconcussae⁹⁰ firmitatis robur obtainere, et inviolabiliter obseruari debere; et sic per quoscumque Iudices et Commissarios quauis authoritate fungentes (sublata eis et eorum cuiilibet quauis aliter iudicandi et interpretandi facultate et autoritate) iudicari, interpretari atque decidi debere; nec non quidquid secus super⁹⁵ his per quoscumque quauis autoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus et declaramus.

[8] Quocirca vniuersis et singulis venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filiis Abbatis, Prioribus et aliis personis in dignitate ecclesiastica constitutis, per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi et eorum quilibet, per se vel alium seu alios, praefatis Praeposito et Societati in praemissis efficaci defensionis praesidio assistentes, faciant authoritate nostra singulas praedictas et praesentes litteras plenum effectum sortiri, ac ab omnibus inuolabiliter obseruari; non permittentes quenquam contra illarum¹⁰

⁸¹ condendi ac ms. — 91-92 § 17. Et sic Bull. — 94 iudicari om. Bull. — 3 § 18. Bull. — 4 episcopis marg. ms., addita litt. P. — 7 vel per alium Ci, Fl.; proposito ms. — 11 quempiam ms. marg., addita littera P, quemquam Ille. ?

